

explan.
1554


Montanus Joan.
1554





Sum tuus ex ... tua sunt mea paula v. Christe

... valentin. matnery pharmacopola

I3
MEI

IO. BAPTISTÆ MONTANI MEDICI VERONENSIS

In tertium primi Epidemiorum ſectionem Explanationes.

A VALENTINO LVBLIno Polono collectæ.


Cum Gratia & Priuilegio.



VENETIIS APVD BALTHASSAREM CONSTANTINVM AD SIGNVM DIVI GEORGII. M D LIIII.

ILLVSTRI, ET
MAGNFICO DOMINO, DOno Lucæ Comiti à Gorka Castellano Brzestensi &c. Domino suo clementissimo.

Valentinus Lublinus Polonus. S. P. D.



Aximam laudem, Comes illustrißime, adscribit Poeta illis omnibus, qui proceribus placere nituntur, cum inquit. Principibus placuisse uiris non infima laus est: quod documentum Poetæ, qui reprobare uellet, ne micam sani cerebri ipsi restare arbitrarer. Ita enim mens diuina anteq; iecisset fundamenta terræ præordinauit, ut alij alijs præsint, principemq; locum teneant; quod &

ipse conabar, & hucusq; non desisto imitari, totisq; conatibus operam dando, ut patriæ meæ primoribus placere, ac obsequi possim, cum multis, tum maximè tibi Comiti illustrissimo, cuius prudentia, fama celebris, ingenij dexteritas, ac singularis sapientia per multas oras spargitur, ac prædicatur. Nec mirum: hausisti enim hæc omnia, cum ab auis, atauisq;, tum à patre tuo sanctæ memoriæ, illustrissimo illo Heroe Andrea Comite à Gorka Castellano Posnamiensi, & maioris Poloniæ capitaneo generali, qui pietate, prudentia (cui reliquæ omnes uirtutes famulãtur) facile omnes præcellebat, imo et ipsos Romanos Scipiones, Catones, reliquosq; clarissimos uiros, nõ si dictis, factis, uel gestis superauit. Certè omnibus par erat, ac in omni-

bus ipſos uirtute aſſecutus eſt: Siue enim quicquam domi, ſiue militiæ agebat perpetuum inde exemplar, ueluti fulgur quoddam dictorum, factorumquè omnibus reſilierat. Quoties enim uenerat in Senatum Regium, plus interdum grauitate uultus, quàm alij plurimi eloquentia præſtabat. Sæpe ille oratione ſua regium animum demulcebat, multoties animos aliorum ad opprimendam libertatem nobilitatis tendentes deterrebat, ac omnibus aduerſa Reipub. molientibus, ſe acerrimum propugnatorem, & legum protectorem præſtabat. Aſſentatores autem ſi quicquam peruerſi, uel priuati commodi, uel popularis auræ captande gratia ſtruebant, reprimebat. Sciebat enim illuſtris Princeps (ut opinor) à. Q. Curtio edoctus Rem-

pub. sæpius assentatoribus, quam ab hostibus euerti. In iustitia autem administranda nõ illum munera ulla, non lingua diserta aut quæstuosa, nõ affectus ullus corrumpebat, nec à recto dimouebat, ut planè lege Cynthia obstrictus fuisse uideretur, ita æquum, iustum (quod quidem difficillimum est) sese omnibus præbebat. Omnes iustitiæ peruersores, muneribus corruptores, & corruptos perpetuò exosos infensus seruabat, ac ueluti quãdam luem pernitiosam spernebat, nec ipsorum quisquam contradicere tentabat: Quoniam satis sapientiæ ad retundendos ipsorum garritus, in ipso relucere perspiciebant. Virtute porrò rei militaris tantum pollebat, ut etiam anno ab hinc quadragesimo, ipsius teneris annis contra Moscum Sigismundus

magnus rex Poloniæ, copias equita-
tus plurimas ei commiserit, ubi & ui-
ctoriam Rex Sigismundus de hoste
cæsis ad quadraginta millia Moscis, re
liquis captis, tulit. Ita ille diuus parens
tuus, fortitudine, temperantia, pruden-
tia, iustitia, quatuor his uirtutibus Her
culeo quodam nexu colligatis, ad ulti-
mum usq; diem uitæ suæ fuerat orna-
tus, neq; harum alteram ab altera sepa
ratam unquam amiserat. Verum ut ip
semet à parentibus suis multa accepe-
rat, ita quoq; tibi filio educatione opti
ma, ac in excolendo ingenio, pietate li
teris (sine quibus hominem similem in-
fructuosæ arbori censebat) eruditissi
mis uiris conuersationi, & formandis
moribus primis annis tuis adiūctus, mul
ta relinquere conatus, quod & (om-
nium iudicio) consequutus est. Noluit

ille heros illustrissimus degenerem fi-
lium patriæ, sed potius æqualem illi pri
scæ, ueterique familiæ Gorkanæ, relin
quere. quam uirtutibus undiquaque
claram pro uno lucido sydere habe-
mus, firmamque, ac stabilem columnam
patriæ uno ore omnes appellamus, ni
hil enim præcipitãter, nihil temere, om
nia constantissime, ac graui consilio
semper agit: propterea etiã, ut ad eam
spem deducor, tu cũ auis, atauisque tu-
is, diuinitus cõcessam nauem pro stem
mate geris, ut sit omnibus conspicuum,
quod omnia quæcunque à familia tua
acta sunt, consilio, ac singulari pruden
tia gesta fuisse, et hucusque geri. Cuius
etiam familiæ uirtutes Serenissimi Re
ges Poloniæ præ oculis habẽtes, sem
per prima loca in medio procerum re
gni sui auis atauisque tuis, maioreque Po

loniam gubernandā comiserant. quod & inuictissimus Sigismundus Augustus Rex Poloniæ exploratum habens, te in ætate adhuc tenera in coronam Senatus sui asciuit, ut illarum præclarissimarū specimen uirtutum (quas á pueritia imbibisti) in Rempubl. patriæ tuæ preberes, ac declarares. Videt etenim Rex sapientissimus te illi prudentissimo senatori patri tuo, non dissimilem filium, scit educationem modestissimam, nouit bonarū artium studijs ingenium excultissimū. Quid enim ornatius Regiæ Maiestati, quid utilius patriæ, quam Regē sapientissimum, senatorum caterua sapienti stipatum esse? Tantis igitur, tamq; præclarissimis tuis uirtutibus permotus, omnes uias prosequebar, quibus me sperabam, in notitiam tuam peruēturum, atq; gra

tiæ tuæ insinuaturum. Verum conati-
bus meis occasio nõ dabatur unquam.
At cum his temporibus Medicæ ar
ti sub Montano Veronensi facile om-
nium medicorũ Principe intentus fu-
issem, collegi ex eius prælectionibus
publicis explanationes doctissimas in
tertiam sectionem Epidemiorum Hip
pocratis, quas non arbitrabar cuipiam
me dedicaturum, quam insigni nomini
tuo, non despero enim me ijsdem scrip
tis gratiam tuam consecuturum: maxi
mè autem cum sciam te non tantum le
ctione historiarum uariarum, uerum,
& harũ artium quæ uitam gubernãt,
ac conseruant, delectari. Has igitur
tibi dedico, has nomini tuo illustrissi
mo offero, ut inde animi mei propensi
tas erga te declaretur, ac hæ ipsæ (si
qui forte fuerint ut puto nõ defuturos,

qui personam Momi induere, & aliquid temere inculpare uoluerint) protegantur. Quod si hoc nostrum studium placido uultu, & animum meum benigne in tutellam susceperis, multum spei ad maiora adijcies, & me tibi deuinctissimum perpetuo reddas. Vale as, uiuasq; diu patriæ decus. Patauij sexta septembris. M D LIIII.

IO. CAROLVS MONNETVS LECTORIBVS VIRTVTIS AMANTIBVS. S. P. D.



VM hoc anno completum esset tempus docendi, darenturq; recessus à studijs Patauinis, ac mihi in animo esset secedere aliquò, ubi possem praxin & uidere, et discere uidendo, meq; in singularibus exercere, quoniam ars nostra primùm circa res uniuersas, deinde circa res indiuiduas uersatur, ego sequendo prudentis uiri cõsilium, mihi fore commodum, ac utile putaui, si Venetias proficiscerer, ut & illic cũ celeberrimis medicis, quorum in ea urbe magna est copia, medicinã facientibus familiariter colloqui possem, & quædã excellentis Montani opera emendarem. Quare hac potißimùm de causa nos accesßimus, nostramq; operam præstitimus, tum ut uobis omnibus inseruiremus, tum ut nobis prodessemus. Neq; uerò laboris in ea re suscepti me unquam pœnitebit. Quod autem ad opera, quæ emendaui, spectat, et qua potui diligẽtia reuidi, ac distinxi, nihil penitus immutaui ne minimam quidem sententiam, aut uerborum collocationem, nec quicquam de meo addidi, sed officio functus, quæ mihi uidebantur aut dictiones, aut phrases à lingua Latina alienæ, eas explosi, pro ijs latinas collocaui. Quod uerò ad laudem, illud uobis audeo polliceri, nullũ fore opus Montani, quod maio-

ri laude dignum habeatur: quandoquidem in ijs explanationibus in. 3. sectionem Primi Epid. Hippocratis mirifica quædam expromuntur, quæ tum Philosophis, tum Medicis omnibus & utilißima, & maximè necessaria tractantur: quæq; adeò mea quidem sententia admiranda sunt, ut autor ijs probè instructus, ac fretus haud aliter docendo, atque cignus cantando, suam ipse mortem prædixerit. Quod porrò ad utilitatem attinet, quam ab ijsdem uos acceptuross scio, uestræ omnium erunt partes & laudibus efferre propter summam in ijs doctrinam, & confirmare propter maximos, quos in ijsdem perlegendis fructus capturi estis. Cæterùm quibusnam gratias uel agere, uel habere debeatis, illud paucis uobis patefaciam. Primùm autori uiro cum doctißimo, tum expertißimo, qui plurimùm insudauit in ijs perpulchris rebus explicandis, qui nisi inopinata, et ante tempus suum debitum mors accedens, eum ex hoc mundo rapuisset, mulò præstantiora in usum uestrum effecisset. Nam cum excellens Montanus genere nobilis, patria Veronensis diu operam medicinæ dedisset, eamq; fœliciter exercuisset tum foris, domiq;, tum in oppidis Brixiensibus, tum Venetiis, tũ in aula Cardinalis Hippolyti Medicis Florentini, tãdẽ ab Illustrißimo senatu Veneto conductus est, quò Patauium proficisceretur ad profitendam illic medicinam practicam. Vbi posteà quàm appulit, magna auditorum frequentia quatuor annos professus est, deinde septem annos theoreticen edocuit. Quibus sanè trãsactis iam decreuerat a lectionibus ua-

care, & paululum requiescere, animumq; recreare suum, sed mutata sententia. 3. primi Epid. Hippocratis sectionem explanare cœpit, ut quæ spectarent ad praxin, perdoceret, atque theorian simul complecteretur. Vtramq; igitur partẽ amplexus, primùm Philisci ægritudinem disertissime explicauit, deinde ad Sileni morbum exponendum accessit, quem fermè totum perfecit. Verùm cum is feriarum Natalitiarum tempore prælegere cessasset, morbo sibi familiari, nempe calculo renũ correptus est, à quo, cum aliquantùm leuari uideretur, in catarrhũ grauẽ incidit, ex quo tabe cõfectus, tres menses magno cũ lãguore uitã duxit, ac demùm eo die, quo CHRISTVS saluator noster ad cœlos ascendit, anno salutis Christianæ. 1551. mortem cum uita commutauit. Heu damnosam mortis cum uita mutationem, quæ non tantùm gymnasio Patauino lugebatur, uerùm reliquis etiam omnibus Italis, atque adeò omnibus totius Europæ medicorum scholis luctuosa fuit. Vixit annos sexaginta tres, mortuus est Teratii (quod est Veronense rus quoddam, ubi multa predia possidebat) sepultus Veronæ splendidissimè, & id frequenti celebratorum hominum comitatu. Huius itaque mortem nobiscum, ac aliis medicinæ studiosis lugete, illiq; in primis gratias habetote immortales. Deinde BASSIANO LANDO PLACENTINO Mõtani discipulo solertissimo, qui propter excellens, ac singulare ingenium assecutus, quod paucis adhuc datum fuerat, ut qui doctissimo præceptori suo primas in academia Patauina medi-

cinam profitendo tenenti, non aliter, ac olim Theophrastus Aristoteli, dignissimè successerit: easq́; primas longè doctissimus, ac in primis laudãdus successor adhuc obtinet: qui maxima cum laude, maximaq́; omnium nationum, quarum in urbe Patauina frequentissimus est concursus, approbatione munere suo perfungitur. Postremò VINCENTIO CASALI BRIXIANO *iuueni eruditissimo, iuxtaq́; doctissimo, & ei, qui palàm haud uulgarem de se admirationẽ, existimationemq́; praebuit tum propter perraras ingenij uires, tum propter uirtutem, ac incredibilem doctrinam à Montano susceptam, ita ut nemo sit, qui nesciat, ac non censeat eum longè maiori, quam omnes homines de eo habent, expectationi responsurum. Itaq; hæc hactenus: quo certiores à nobis fiatis, quòue uobis perspectum sit, quibus gratias habeatis, nimirũ tribus uiris clarissimis* MONTANO *autori,* BASSIANO LANDO *successori,* VINCENTIO CASALI *huius condiscipulo: mihi autem nihil: propterea quòd nulla re superior est inferiori obstrictus, nisi quemadmodum quibusdam uisum est, beneuolentia, studio, cura, defensione, ac denique fauore suo. Quapropter pro uestra pietate, uestroq́; omnium in uiros cum literatos, tum uirtutis amantes amore etiam, atque etiam uehementissimè rogo, atque oro, ut mihi ad uobis omnibus inseruiẽdũ parato faueatis, uestrumq; Monnetum Nectancuriæ natũ, ab Argonia oriundũ amplectamini. Valete. Venetiis Idibus Augu. 1554.*

auandam pro quandam folio primo. uersu 27. pag. secundæ. poterurt pro poterunt fol. 2. uers. 2. laberi pro haberi ibidem uers. 25. generationem originem &, pro generationem, & originem ibidem uer. 28. ibid. expungatur fuit. temporibus pro temporis pag. 2. eiusd. fol. uer. 18. quadam ibidem corrigas more tuo, uel subaudias ægritud. resp. pro febr. fol. 3. uer. 8. at pro ab ibidem uer. 25. tractabamus pro tractabimus fo. 4. pag. 2. uers. 27. hi sunt errores primæ lectionis.

Errores. 2. prælectionis.

exercitabimi pro exercitabimini fol. 6. uer. 26.

Errores. 3. prælectionis.

clata pro clara fol. 17. uers. 6. autumnis pro autumnus fol. eod. sed pag. 2. uer. 17. expensiuè pro extensiuè fol. 18. pag. 2. uer. 7. ex pro est fol. 19. pag. 2. uer. 7. ibid. astrina pro austrina uer. 25. remouetur pro remouet fol. 21. uers. 7.

Err. 4. præl.

amnali pro hiemali fol. 25. uers. 8. distantium pro distantiam fol. 26. uer. 22.

Err. 5. præl.

ab pro ad fol. 34. pag. 2. uer. 15. est fol. 36. pag. 2. uer. 17. dimoueatur. æstas pro æstus fo. 37. uer. 10.


Err. 7. 8. præl.

uidere pro uidete fol. uer. 28. liberatus pro liberatum fol. 50. uer. 3. pag. 2.

Err. 9. 10. 11. 12. præl.

nulli, rariue, alios non potui reuidere, nausea enim molestatus, & dolore confectus maximo.

IO. BAPTISTÆ MONTANI VERONENSIS MEDICI SVPER SECT. III. LIB. I. EPID. HIP. INCIPIENDO AB AEGRO PHILISCO.



HILISCVS, *qui prope mænia habitabat &c. Hæc pars, quam hoc anno declarandam proposuimus, est aliqua partiuncula primi lib.* Epid. *in qua primò quædam proponemus, ut reddantur iuuenes isti attentiores, & dociliores. primũ igitur propositum erit uidere, qua ratione accesserim ad interpretandum hunc librum, cum alioqui à nemine usquam sit solitus interpretari: secundo cur potius ab ista parte diminuta inceperim, & non à principio libri.* Pri*mum uidetur absurdum ea uobis innouare, quæ à nullo sunt tentata: secundo cur ita diminutum librum inchoauerim. oportet igitur primo, ut uobis reddatur ratio istius nostri propositi, deinde quædam à nobis erunt prælibanda, anteq̃ declaremus ea, quæ uidentur facere ad seriem textus, & ista à græcis prolegomena appellantur.* Quod *obseruauerunt omnes Græci interpretes, & etiam* Auer.

& iſta erunt quæ à nobis iam hodierna lect. declarabuntur, ut poſtea accedamus ad declarationes textus.

Quantum igitur ad primum quare iſtum librum interpretandũ elegerim, debetis ſcire mei iuuenes hoc conſulto factum ad beneficium, & utilitatem ueſtram: obſeruaui .n. ſemp̄ duo genera ſcholariũ reperiri, qui ubiq; uerſantur in ſcholis. quidam etenim ſunt, qui ſuapte natura maximè idonei ſunt ad diſcurrendum & ſpeculandum, & præterq̃ quod hoc habeant à natura, hoc etiam acquiſiuerunt artificio per habitus ſpeculatiuos: ſunt enim uerſati & in dialectica, & philoſophia, & iſti ſi ſortiti fuerint optimos præceptores euadunt inſignes Medici, & maximi uiri. Quidam autem non ſunt idonei ad hoc conſequendum, nec aliquo artificio adiuti ſunt uel propter inopiam, uel propter imperitos præceptores. Vnde uel tandem deſperant, uel neceſſe eſt, ut accedant ad aliquem empiricum: ex quo addiſcunt quaſdã propoſitiones, quas longo uſu acquiſiuerunt in ſcholis. Hoc ego conſiderans, ut poſſem omnibus prodeſſe: is enim ſum, qui ſemper pro uiribus utilitati ueſtræ ſtudeo, hanc partem interprætandam elegi, ne quiſpiam ſua ſpe, & labore fruſtaretur, & omnes pariter ſuum intentum conſequerentur, nec librum aliquem magis utilem, & ad hoc præſtandum magis idoneum inueni, quàm lib. epid. & præcipue iſtam partẽ in qua traduntur & caſus uniuerſales, & particulares morborum: & hic habetis pedagogum quandam, & ductorem Hip. .ſ. qui ducit uos in artẽ medicam, nec nunq̃ deſerit uos donec deduxerit ægrum uel ad mortem, uel ad ſalutem. Vnde

de qui non sunt apti ad discurrendum erunt contenti sola obseruatione. qui autem speculantur poterurt discurrere usque ad prima principia, & quoniam anno elapso didicistis quomodo procedimus ab uniuersalibus ad particularia hoc anno addiscetis quomodo à particularibus ad uniuersalia procedendum sit, & ita facietis quendam circulum, ex quo perficietis intellectum uestrum. intellectus. n. & ipse quædam forma circularis est. Et ideo uos omnes poteritis intentum uestrum æqualiter assequi, si ea quæ hic traduntur ab Hipp. diligenter didiceritis: Hæc enim omnia cognouit magnus Hipp. & fuit tantæ excellentiæ, ut utrique generi optimè satisfecerit. Empirici enim suæ sectæ affirmant Hippocr. esse: contrà autem dogmatici suum esse defendunt. Hæc igitur fuit ratio quare ad hunc librum interpretandum accesserim. Quantum autem attinet ad secundam partem, ad ea scilicet quæ proponi solent, ea tamen proponemus, quæ necessaria sunt, quæ sunt septē, breuiter tamē, et summatim hæc omnia tractabimus. primò uidebimus quisnam fuit iste Hipp. secundò an iste liber sit illius magni Hippoc. tertio qua ratione fuit scriptus. quarto ad quam partem pertineat. quinto quæ sit utilitas. sexto quæ ratio huius tituli. Vltimo qui libri sint præeligendi à uobis, ut hanc doctrinam facilius consequi possitis. Quantum attinet ad primum scilicet quisnam fuit Hippoc. ineptus laberi possem, si uellem hoc ostendendo diutius immorari, Cum sit omnibus notissimus; Hoc tantum scietis nobilissimus fuit, descendit enim ab Hercule, qui generationem originem & traxit à Ioue. fuit Igitur

nobilißimæ familiæ fuit, ſiquis alius nobilis eſſe poteſt; nec Philippus, nec Alexander magnus, nec aliquis alius, nec fuit nobilior ipſo: Hoc dico, ne quis fortè putaret medicinam ignobilem eſſe: quia non habuerit illuſtres uiros: hoc dimittamus, cum ſit à fortuna, iſte inquam Hipp. habuit patrem Hæraclidem. fuerunt enim ſeptem Hippoc. huius familiæ, & iſte obſcurauit omnes iſtos: habuit præceptores inſignes in philoſophia Herodotum, & Democritum, audiuit etiam artem oratoriam à Gorgia rhetore ſiculo. Vnde apparet, quòd illa opinio Arabum erronea eſt, & præcipue Hali in principio Art. par. qui dixit Hippoc. fuiſſe penitus ignarum & imperitum. Ideo uideatis, quàm iſti aberrant à ueritate, fuit iſte mirabilis, & diuinus uir & doctrina, & experientia maxime excelluit: fuit ſemper peregrinus, & ob quam rem pingitur pileatus, ſolent. n. iſti, qui peregrinant accedere pileati, uel hoc poteſt eſſe, quia deſcenderit à parentibus nobilibus: tunc enim temporibus nobiles erant pileati. Porrò contraxit amicitiam cum Eriſiſtrato rege, qui dum laboraret quadã cognouit tale hoc eſſe propter amorem, paſſus deinde calumniam, & hoc propter malignitatem nonnullorum, inquit enim Andreas ille Arabs, q. Hipp. iſte omnes libros midorum, & multos alios cremauerit ſed iſti arabes magis inuidi et maligni habendi ſunt, quàm aliqua fide digni, fuit ſanè uir integerrimus Hipp. & miræ probitatis. Vnde in honorem ſuum errecta fuit ſtatua: quod non fuiſſet factum, ſi tale ſcelus perpetraſſet, ut cremaſſet illos libros. Imò fuit tantæ diuinitatis, ut circa ſe-

pul-

pulchrum eius apparuerit examen apum; ex quo continuè emanabat mel, quod multis ægritudinibus conferebat. Vnde non solùm uiuus ipse, sed etiam mortuus omnibus fuit maximæ utilitati. Accedamus autem nunc ad alia; quod certè attinet ad illud: an iste liber fuit Hipp. scitote q. septem sunt libri epid. sed omnes non sunt Hippo. ut inquit Gal. in principio libri epid. & secundo de diff. resp. primus enim & tertius sunt ipsius Hippocrat. & isti duo manifestè probantur esse Hipp. cæteri autem non sunt Hip. & præcipue secũdus, quintus, sextus, septimus: doctrina enim horum non est conformis doctrinæ, & stylo Hipp. secundus autem, & sextus, dicunt quidam q. non sunt Hipp. sed cuiusdam suæ scholæ, cæteri autem sunt spurij. Dico igitur, q. primus, & tertius liber sunt manifestè Hipp. secundus autem, & sextus sunt cuiusdam suæ scholæ: reliqui quia non redolent nec doctrinam, nec stylum Hip. ideo spernendi sunt, quicunque sint illorum autores.

Quantum attinet ad tertium quesitum uidelicet, quæ sit ratio, & finis istius libri: primò notandum est, q. qui accedunt ad scribendum (non loquor nunc de illis, qui propter malignitatẽ, uel propter ambitionem scribunt libros, sed loquor de uiris magnis, qui propter aliquem bonum finem inducuntur ad scribendũ, uel hoc ipsum faciunt primo propter sui ipsius memoriã ut at Rabi Mos. in principio suarum epistolarum, ubi inquit q. scripsit librum illum propter sui memoriam: nonnulli scribunt libros, ut exerceantur uel propter memoriã. ea enim quæ ad-

discuntur facilè fluunt, & huiusmodi sunt isti duo libri, uidelicet primus, & tertius epid. Nonnulli autem scribunt libros propter exercitium, in quibus obseruantur ea, quæ ab alijs scribūtur: et isti sunt libri isagogici à Græcis pro gymnastici appellantur, in quibus exercentur iuniores. Tales libros scripsit Hipp. & sunt isti primus & tertius epid. tamen quibus constituuntur certi anni, deinde ægritudines, quæ contingunt in ipsis constitutionibus, deinde ægritudines particulares. Primò enim proponitur aer, et cognita dispositione aeris, statim patet, quæ ægritudines oriantur. Itaq; scribūtur libri, ut doceantur causæ; et huiusmodi sunt libri. Hipp. prognosticorum: & hæc est ratio, ut inquit Gal. secundo de Crisibus quare libri Prognost, sint scripti post libros epid. post enim exercitium deuenientes ad doctrinam, & causas inquirendas postq̃ sumus rectè exercitati. Ideo scripti sunt isti libri epid. propter exercitiū, & ista ars constituitur in exercitio: et hinc colligatis omnes primùm si in istis libris uos exercebitis, postea ad doctrinam accedetis. Quinto uidendū est in qua parte medicinæ ponendus sit iste liber Epid. & hic dimittam diuisiones illas ineptas, & uanas: & tantum ego ipse sequar diuisionem ex natura rei. scitis igitur, q, scientia uersatur primum circa corpus humanū, deinde circa alterantia istud; tertio uersatur circa dispositiones & curationes istius. Prima pars, quæ circa subiectū uersatur, tractatur à Galen. in libro de temp. & de adm. anatomicis, & in multis alijs libris, in quibus colligitur totum subiectum: alia pars, quæ uersatur circa ma-

te-

teriam, id est, circa instrumenta alterantia, tractatur in libro de elementis, & in lib. de simpl. medicamentis, & in multis alijs libris: tertia pars quæ uersatur circa cognotiones dispositionũ, & curationes tractatur in lib. de differ. & causis morborum: & lib. de locis affectis, & in alijs, in quibus docet omnia ista: tractat enim ibi de signis: istæ sunt partes principales circa quas uersatur tota ars medicina, quam Hippocr. seminauit sparsim; quam postea Gal. collegit: perfectiori tamen modo agit Hipp. in libro de ratione uictus sanorum, in quinto tractat de instrumentus alterantibus. Habetis etiam in libris Aphorismorum, omnia in unum collecta, & de signis, & de prognosticis, ex quibus Gal. posteà collegit quæcunque seminauit. Iste igitur Hipp. liber sequendo opinionem Galen. subijcitur parti prognosticæ: nam proponit ægros; & docet qua arte poßimus prædicere illis mortem, uel salutem; quod est diuinum in arte ista: nam ista faciunt cognoscere medicum probum, & uendicare illum ab omni labe, & culpa. In alijs autem partibus non est tanta excelentia: Nam per prædictionem uos acquiritis uobis honorem, & euitatis calumniam hominum. Neque uerò solum prædictiones, sed etiam affectiones, & curationes morborum hic docet Hipp. subijcitur ergo primùm parti significatiuæ futurorum, deinde curatiuæ, quæ græcè θεραπευτικὴ nominatur. Sexto quæritur quare hic lib. dicitur epidemiarum: Huius rationem affert Gal. in primo Epid. inquit enim ipse quidam morbi dicuntur epidemiales, quidam sporades, id est sparsi: & illi sunt, qui peregrinant

per populos ut febres pestilentes & plures corripiunt & sicut hoc anno contigit febres illæ tertianæ nothæ corripiebant plerosque, habent autem isti morbi causas uniuersales: nã effectus uniuersalis prouenit à causa uniuersali: debet.n.causa proxima, & p se esse homogenæa. Ideo necesse est, ut morbi uulgares siue uagãtes habeãt causam uniuersalem, cuiusmodi est aer, quo uelimus nolimus fruimur: qui aer si mutatur in qualitate oriuntur morbi uulgares, & epidemici: aliquando etiam mutatur substantia aeris, & tunc fiunt morbi pestilentes, qui dicuntur etiam πανκοινὰ idest omnibus communes. nam quando mutatur aer secundum qualitatem, tunc ægrotant solum illi, qui habent humorem aliquem homogenem illi affectioni, & mutationi: quando uero mutatur substantia, fiunt uniuersales febres pestilentes in omnibus. Item debetis scire, q, charonij uenti, de quibus Gal. loco citato, sunt exitiales tanquàm si prouenirent à Charonte, dicebatur autem ab antiquis porta charo uia per quam ducebantur rei ad mortem. Est etiam spelunca quædam Prope puteolum in regione Neapolitana, ex qua spirat uentus, qui uerè potest dici charonius, qui uentus, quando increbescit fiunt febres pestilentes: nam congregatur quandoque materia illa, & exit tanq̃ fumus, uel ignis, qui quidem circumcirca omnia comburit, & destruit. hoc quoque exit ex monte illo Siciliæ, qui dicitur Aethna, & idem facit, quod ille puteoli, & peius, hæc actenus de 6. illis, quæ dicuntur antecedẽtia, cras tractabamus. 7. caput quod reliquum est, sicq; habebitis omnia capita proposita, à Græcis προλεγόμενα nũcupa-

cupata, quæ plurimum faciunt ad maiorem eorum intellectionem, quæ nos deo fauente dicturi sumus.

Ex his propositis in hesterna lectione, quæ plurimum attinere uidebantur ad attentionem, docilitatemq; eorum: quæ sumus dicturi in Hipocrate, unum reliquum fuerat, quod prætermisimus, quod necessarium est, quia multum facit ad rectam intellectionem textus. Illud fuit, ut admoneremus nostros auditores, quinam libri illis sint legendi, & in manibus habendi. ut rectè intelligantur libri Epidemici, quod nunc expediemus. Sunt autem isti libri, ut declarat etiam Gal. libri de natura humana Hip. cum Gal. commentarijs, Liber Hippocratis de locis, aere, & aqua. plurimum enim refert, ut sciantur loca, in quibus degunt homines: & affectus, quos ista producunt circa corpora humana. ita studendum est libris Prognosticorum Hip. & Gal. Atque Gal. de diebus criticis. Si habebitis hos libros præ manibus maximam habebitis lucem ad eorum declarationem, & optimam intellectionem, quæ dicentur ab Hip. in Epidemijs. Hæc hactenus dicta sint de ultimo capite, quæ sunt potius extra rem, quàm in re; tamen & ista sunt utilia, & necessaria. Nunc autem rem nostram aggredior: quia amplexi sumus hanc partem tertiæ sectionis primi libri, quæ est de particularibus quibusdam ægritudinibus, oportet nos continuare hanc partem cum præcedentibus, & connectere omnia simul, ut facilior pateat ad textum aditus, ne confusio in his appareat. Quod ut commodè fiat, oportet uos exer

cere in quibuſdam, quæ ſunt tanquam præfationes: in his præfationibus oportet uos exerceri, ſic ut & pueri quando incipiunt diſcere: & hi qui initiantur, dicuntur initiati, quia adhuc ſunt nouitij, prius exercentur in quibuſdam principijs, quibus auditis faciliime posteà procedunt ad diſcendum ea, quæ ſequuntur. Sumus ergo in his Epidemijs, ubi proponuntur tempeſtates nonnullæ aeris, & ſunt in hoc primo libro, quæ omnino ſunt tres conſtitutiones temporum, quas poſteà ſubſequuntur nonnullæ ægritudines uariæ quidem ſecundum uarietatem mutationum, quæ fiunt in aere, & ſecundum naturam temporum diuerſam, hæ in hac, illæ in illa, iſtæ in iſta. Et hæ cum ſint omnino (ut dixi) tres, oportet, ut ſingulas proponamus breuiter, & lucidè, tum ut ea quæ prætermittimus legenda ſciatis, tum etiam, ut ſitis præparati magis ad intelligenda, quæ dicemus in caſibus particularibus à nobis declarandis, qui ſecundum naturam earum efficiebantur. Stetis ergo attenti, erimus breues: nihil tamen prætermittentes. Prima ergo primo ponetur: prima eſt, quæ in Thaſo contigit, quæ talis fuit. Incepit in Thaſo cum iam eſſet autumnus circa æquinoctium huius modi ſtatus cœli. primo inceperunt ſpirare Auſtri, per totum illum autumnum perſeuerarunt ita, quòd eſſet conſtitutio auſtralis: pluuiæ plurimæ, & continuæ in toto autumno fuerunt, ſucceſsit hyems, in qua perſeuerarunt ſpirare auſtri, ſicut & in autumno ſpirabant. fuit ergo omnino in hoc hyems ſimilis autumno quia utraque erant auſtralia tempora, ſed defecerunt pluuiæ, ita ut ſicut autumnus

fuit

fuit australis cum pluuis, sic hyems quidem Austrina fuit, sed sicca sine pluuijs, cum austris tamen uentis, ita ut frigida fuit & sicca hyems per flantibus austris, neque austri impediunt, quin esset hyems sicca: erat sicca, quoniam non erant pluuiæ, & Aquilonij uenti purum perflabant, quod dicit Hip. PARVI VENTI AQVILONII. incepit uer consimile omnino hyemi frigdidum, & siccum: quia non erant pluuiæ. quantum ad uentos australis erat tempestas aeris cum aliquibus australibus uentis. VER AVSTRINVM &c. quia in uere dominati sunt austri, qui sunt uenti frigidi, & humidi: tamen quantum ad naturam ueris pertinet, erat frigidum, & siccum. Et hic (notetis) intelligo, cum dico siccum: non sicut est in æstibus magnis, sed quantum ad priuationem, & carentiam pluuiarum, non pluebat, & squalores erant, cum austri spirarent austrina frigida, possumus ergo habere totum uer siccum, quia sine pluuijs, tamen siccum existens australe erit. successit æstas: AESTAS FERE &c. Fuit nubulosa, sicca quidem & australis, sed nubilosa, carens pluuijs prorsus, nihil pluit: Et ita habuimus totam anni constitutionem à prædominio Austrinam, siccam cum æstate quæ nebulosa fuit, & est talis extra naturam suam: ista est constitutio mala, ut uidetis, quæ cum ita sit primo uidendum est quid potuit generare hic status anni, quid consecutum est, & quas peperit ægritudines, & ita in his exercitabimi, ut posteà melius etiam accedatis ad casus particulares propositos in hac parte nostra: hæc ut præfationes notare debetis: Circa hoc sciendum est à uobis, quod

quod Hip. probat in libro de locis, aere, et aqua: et Gal. in tertio libro Artis paruæ: Probant ambò, quod aer maxime inter omnes ſex res non naturales alterat corpus humanum ſecundum ſuas qualitates, per calidum, uel frigidum, humidum, uel ſiccum: penes quas qualitates etiam aer immutatur, unum alterum in hoc ſtatu noſtro conſideretis: in ſtatu cœli eſt quandoque humiditas, quæ duplex eſſe poteſt: Humiditas enim aeris, alia eſt pluuioſa primo, propter abundantiam multam pluuiarum, cum largi, continui, & plurimi fiunt imbres, hæc dicitur humiditas pluuioſa aeris: quia aer humectatur tanta copia pluuiarum: Alio modo humectatur aer, non quia pluat, non propter aquarum abundantiam, ſed propter uapores à quibus aſcendentibus aer humectatur, & hæc dicitur humiditas uaporoſa, has quotidie ferè uidetis, cum humidus redditur aer modo propter pluuias, modo propter uapores eleuatos. Hæ diſtinguendæ ſunt, quia non eundem producunt in corpora effectum, aliud agit pluuioſa, aliud uaporoſa producit in aere: Pluuiæ humor exiſtens in aere, non ita penetrat ad profondum, ſicut humiditas, quæ fit propter uapores, & nebulas, uel caliginẽ: nec ita naturæ repugnans eſt, longè minus naturalis, q̃ uaporoſa. ideo corpora peius, et deterius ſe habent quando ſunt tempora nubiloſa, caliginoſa, & aer plenus uaporibus, corpora grauiter mouentur, & cum difficultate; caput grauatur, non poteſt erigi, non poſſunt attolli oculi, concidunt palpebræ, & omnia deterius ſe habent in corporibus humanis, ſenſus obtunduntur, & omnes opera

tio=

tiones torpeſcunt, libenter decumbunt homines. cum ue-rò ſtatus aeris fuerit humidus non nubiloſus, ſed humiditate pluuioſa, ideſt propter multitudinem pluuiarum corpora melius habent, leuiora ſunt, caput non ita grauatur, non ita ſegnia, nec torpida in motu, neque ſenſus obſcurantur, operationes aliæ omnes non tantum læduntur, lætantur magis homines, non ſunt ita occupati ſicut in uaporoſa humiditate, ſignũ quidem firmiſſimum, quod humiditas uaporoſa magis penetrat in corpora humana, quàm pluuioſa, quia ſubtilior, & tenuior, magis penetrat, ergo etiam magis alterat, & offuſcat ſenſus: Hoc ſuppoſito circa ſtatum aeris, qui fuit in Thaſo, & cauſas eius inquiramus modo, & uideamus hanc conſtitutionem ita diſpoſitam, quos affectus, quas'ue ægritudines, & diſpoſitiones potuit producere in corporibus humanis, & ita exercebimus uos in praxi, in rebus non in nugis: uidete, quantum utilitatis afferet hæc conſideratio. Incipiamus ergo per ſingula tempora, dixit quod autumnus fuit auſtrinus, pluuioſus, humidus humiditate pluuioſa: Autumnus debetis ſcire, ut dicit Gal. in primo de Temperaturis, naturalis cum eſt in ſua natura debita, debet ita eſſe diſpoſitus in qualitatibus, ut plus habeat de frigido, quàm de calido, plus de ſicco, quàm de humido: quando ita ſe habuerit erit bene diſpoſitus autumnus: & hæc eſt eius naturalis, & debita temperatura frigida, & ſicca. In tali autumno naturaliter ſe habente corpora bene habent, optime ualent, ſana degunt: primò quia frigidus autumnus; frigiditas enim autumni contemperat caliditatem

tem æstatis, quæ præcessit, corrigit eius uitia, quæ produxit in ea corpora, quia corpus à frigido constipatur, & condensatur, ex constipatione meatuum calor naturalis coadunatur, & in unum colligitur, collectus & unitus fortificatur & corroboratur: inde concoctiones fiunt meliores, & expulsiones excrementorum, & omnes operationes recreantur, quæ delapsæ, & debilitate fuerunt à summa caliditate æstatis relaxante, & omnino resoluente, quia siccus est quid agit? Siccitas non est maxima, quæ augere posit siccitatem æstatis, & magis exiccare corpora: siccitas autumni non exiccat, sicut siccitas æstatis, quando fiunt maximi æstus. Sed est siccitas temperata, & parum excedens humiditatem aeris. Autumnus ergo in hac naturali temperie frigidus, & siccus temperate reficit uires corporis deiectas, omnes actiones animalis adiuuat, & meliores efficit, sensus uegetiores, qui iam resoluti fuerunt, ideo quotidie uidetis in autumno, qui cùm secundum naturam est, qualem constituimus, corpora recreari, & saniora effici, fortiora, ac robustiora: Modo autumnus iste non fuit naturalis, fuit australis humidus, pluuiosus, succeßit hyems austrina sicca, uaporosa, & nebulosa, humida, crassa, et australis: ut dicit Hip. Ex hac necessarium fuit, ut omnes sensus obscurarentur, & spiritus obtenebrarentur: nam (ut dicit Gal.) qualis est aer circundans nostra corpora, tales sunt etiam spiritus, & eius temperaturam sequuntur, ab eo immutantur, & alterantur, quod ex principijs nostris, & Gal. in lib. de usu respirationis sequitur. Nam si aere nutriantur

tur ſpiritus, & generantur, qualis fuerit aer nutriens, tales quoque erunt ſpiritus nutriti. Ergo ſi aer nebuloſus, auſtrinus, humidus & craſſus accedat ad nutriendos ſpiritus neceſſarium eſt, quòd fiant etiam tales ſpiritus craßi, nubuloſi, obſcuri, aer craſſus attractus ad pulmones nutrit ſpiritus. ergo qualis fuerit attractus, tales quoque erunt ſpiritus, & cum ſpiritus, qui ſunt ipſa anima, uel ſine illis anima non poteſt operari, fuerint craßi, (ut dicebat Gal. ſpiritus aut ſunt anima, aut inſtrumentum animæ ſine quo non operatur:) cum in quam craßi fuerint, actiones obtuſas producunt, ſegnes, & diminutas, uel obſcuratas. Ideo in temporibus nebuloſis uidetis (ut dixi) ſenſus obtunduntur, homines ſunt pigri, ſegnes, triſtes, torpidi, omnes tam intrinſeci, quàm extrinſeci ſenſus deterius ſentiunt: naturales etiam actiones debiliores redduntur, non bene appetunt, non concoquunt, non continent debito modo, ſcitis enim quod ad continendum maxime commodum eſt ſiccum, cuius proprium eſt retinere: quia humiditas relaxat corpus, ideo contentiua debilitatur, inde & male, & parùm continent nutrimentũ corpora humana in humido, & nubuloſo aere; ſicut ſiccum ad retinendum facit, ita humidum ad lubricandum et relaxandum, licet temperata humiditas adiuuet; quia uirtus confortatur humido, ut et Gal. & Auicen. dixerunt. Ex hac eadem ratione expulſiua uirtus non poteſt naturaliter expellere, ſi eſſet humiditas temperata in corpore adiuuaret ad expellendum, ſed quia humiditas aeris extrinſeca circundans corpora obſtruit, opplet, & occludit

dit meatus cutis, excrementa non possunt expelli à uirtute expulsiua; expulsiones etiam ad uenas fiunt debiliores duobus modis non secundum naturam, primo quia uirtus expulsiua facta fuit debilior, Secundo cum non fiant concoctiones secundum naturam, malæ, uitiatæq; cruditates generantur, & multi crudi humores craßi, uiscidi, qui adhærentes meatibus uasorum, & uenarum causant obstructiones. unde non possunt expelli excrementa collecta, caput grauatur, & oculi deprimuntur, omnia grauia, maximè tamen caput: quia potißimum caput aeri exponitur. Austri caput grauantes, uisum hebetantes, auditum obtundentes, &c. dicebat Hip. in eo Aph. tertij Aphorismorum reddebat rationem Gal. quia caput maxime offenditur cum aeri magis exponatur. hæc sunt consona & rationi & apparentibus signis confirmantur, atque oculi obtunduntur eadem ratione, ut dicit Hip. Itaque cum talis fuerit status autumni, omnes actiones obtusæ fuerunt, debilitatæ, & impeditæ ab aere crasso, pluuioso continente, excrementa non poterant expelli, concoctiones malæ, cruditates augebantur, obstructiones fiebant: unde excrementa magis colligebantur: ex quo minabatur secuturas malas dispositiones, & præparabat corpora ad peßimas ægritudines, & uaria mala. peßimus erat autumnus, ut uidetis, quem animaduertentes etiam medici eo tempore non poterant, nisi prognosticari aliquid magni mali subsecuturum: Sed cum autumnus ita peßimus fuißet, si saltem hyems succeßisset naturalis in propria temperie frigida, & sicca, intelligo

au-

autem per ſiccam temperiem, quod non fuiſſet pluuioſa, ſed ſerena, ſine pluuijs non eſſent conſecutæ tam malæ diſpoſitiones, tam peſſimæ ægritudines, quoniam quod malum succeſsiſſet ex intemperie ueris correctum fuiſſet à temperatura hyemis, & corpora redacta ad priſtinam ſalubritatem, & diſpoſitionem, ſi qua excrementa in autumno intemperato collecta fuiſſent, ſi quæ factæ obſtructiones excruditatibus, & excrementa expulſa fuiſſent, factæ bonæ concoctiones, & remotæ obſtructiones ac cruditates, ita adhuc corpora non fuiſſent parata ad aliquid mali, robuſtiora euaſiſſent cũ calor ex frigiditate hyemis naturalis ad centum retrahatur, & colligatur in unum, concentratus, & unitus corroboratur, bonæ operationes ſubſecutæ eſſent, optimæ coctiones iuxta illud Hippocratis: Ventres hyeme, & uere natura ſunt calidiſsimi &c. ex concoctione cruditates, & obſtructiones remotæ fuiſſent, reſoluta, expulſa excrementa, & corpus purgatum remanſiſſet. Frigidum etiam hyemis adiuuaret ad reſoluendam materiam crudam excrementoſam; quia exiccaret: propterea quòd non modo ſiccum exiccat calidum reſoluendo, ſed etiam frigidum exiccat, ſi credimus Ariſtoteli in quarto Meteororum, ubi Ariſto. dicit frigidum ita exiccare, ut calidum: frigidum quidem, quia exprimit humidum, exprimendo humidum remanet ſiccum, exprimendo ergo frigidum exiccat, calidum reſoluendo, & humidum abſumendo. ad id adiuuaſſet ſiccitas iuncta frigiditati: diximus enim hyemem in naturali temperie eſſe frigidam, & ſiccam, quæ ſi talis ſucceſsiſſet peſsimo autumno & ui

tia præcedentis autumni correxiſſet, & ad temperiem re duxißet, quod etiam cognouit Poeta, cum dicit hyemem ſiccam, ſerenam in naturali ſua temperatura affectatam, & hominibus, & terræ et ſegetibus, & omnibus, quæ ſecundum naturam fiunt: Humida ſolſtitia, atque hyemes optate ſerenas: Agricolæ. Autumnus naturalis, hyems ſerena frigida ſicca; Aſtas autem calida, & ſicca omnia naturaliter ſe habentia corpora, & agricolis, & hominibus & commoda, & læta ſunt: ſed hyems noſtra non fuit talis, fuit auſtralis quidem calida, & humida: calida quidem, quia ſpirantibus flatibus auſtris effectus eſt aer calidus: Nam auſtri ſunt naturaliter calidi, & humidi. Fuit etiam hyems ſicca, & ſi conſtitutio eſſet auſtralis, Et hic eſtote attenti, cum dico ſicca, non intelligo, nec dico, quod eſſet ſicca, ſicut in æſtate in magnis æſtibus; neq; enim poterat tanta adeſſe ſiccitas in aere, quæ comparata ſiccitati æſtatis non eſſet maximè parua: & alia ratione ſpirantibus auſtris uentis aer efficiebatur humidus: proprium enim auſtri eſt humectare: ſi ſpirabat auſter ita, ut tota hyems eſſet auſtrina. Quo modo ergo aer poterat eſſe ſiccus? non intelligatis ſiccum hoc modo: ſemper intelligit Hipp. ſiccam hyemem fuiſſe, ideſt, carentem omnino pluuijs, & priuatam humiditate pluuioſa: non pluebat, aer non humectabatur, non aderat humiditas pluuioſa, ſed nebuloſa, caliginoſa cum plurimis uaporibus, uidete, deberet corrigere uitia autumni, magis auget maleficium: Melius fuiſſet, quod pluiſſet. Aer humidus redditus erat ex pluuiarum multitudine, quæ in autumno contingebant:

u da-

uapores multi aſcenderuut, factus eſt aer turbidus, nebuloſus, & caliginoſus propter illam paucam caliditatem in aere ab auſtro impreſſam: ſi pluuiæ ſucceßiſſent, aer ad meliorem ſtatum redditus fuißet: propterea quòd pluuiæ expurgant aerem à multis uaporibus malis caliginoſis, pluuiæq; detrahunt ea, quæ ſunt in aere, ac ſi eſſet quodam pharmacum: ſicut corpora purgantur, cum ſunt repleta, & multa habent excrementa ſi exhibeatnr aliqua medicina, qua corpora expurgãtur p fluxum alui, per urinam, per ſudores, uel per alia loca: ita aer nebuloſus lauatur, & expurgatur pluuijs. melius ergo erat, ſi pluuia deſcendiſſet, uitia ab autumno generata correcta fuiſſent, nebuloſa humiditas, & excrementitia eſſet ab aere detracta, & melius habuiſſent corpora: ita debebat eſſe hyems, ſed non modo non fuit naturalis, ſed etiam magis ad maleficium iuuit: erat nebuloſa, auſtrina, ſine pluuijs humida humiditate uaporoſa, ſicca humiditate pluuioſa: quid ſecutum eſt? non modo non expurgata eſt humiditas impreſſa in autumno, ſed etiam magis aucta, & aggregata, magis parabatur aer ad maleficium, illa pauca caliditas, quæ ex flatu auſtri proueniebat iuncta cum humiditate nebuloſa, & uaporoſa relaxauit potius meatus cutis: ex quo debilitatus calor naturalis, multa incommoda ſubſecuta ſunt, quæ poſterius uidebuntur. Videtis hyemem periculoſam malam, mutatam à ſtatu, & diſpoſitione naturali, ſalubrior erat hyems contraria illi ſtatui autumnali, uel pluuioſa, uel ſaltem fuiſſet inſalubrior, ſed omnia ad malum procedebant: Cum talis fuiſſet hyems debebat modo ſe-

qui aer, quod corrigeret ea, quæ commißa sunt in hyeme, & ita forsitan corpora euasissent ægritudines, in quas postea deuenerunt. At peius parabat: succeßit uer extra propriam naturam, malum debebat esse calidum & humidum temperatum, quod & calorem adiuuaret, & corpora expurgaret ab excremẽtis, quæ sunt collecta in temporibus præcedentibus, & resoluendo, & concoquendo, aperiendo, meatus cutis relaxando, & corpus omnium conseruando. Sed inquit Hipp. uer austrinum, frigidum, humidũ, uidete quid debuit subsequi ad tam malum tempus: erant collecta multa excrementa & in hyeme, & in autumno præcedentibus, quæ indigebant euacuatione, & inanitione; sed frigiditas illa ueris retinebat excrementa, meatus cutis constringebat, & magis faciebat ad expreßionem humiditatis: unde sequebantur multa mala, excrementa nõ sunt euacuata, non expulsa, magis aucta, & aggregata; calor debilitatus, uirtutes imbecilliores, & tandem omnia deteriora: adiuuabat etiam humiditas australis, quoniam spirabant austri ad replendum corpus multis excrementis superfluitatibusq́;, spirabant & pauci Aquilonij, qui sua frigiditate adhuc magis meatus cutis occludebant, si aer secundum naturam fuisset, concoctiones bonæ factæ essent, expulsiones excrementorum, & natura adiuta fuisset: ex quo etiam magis alterationibus resistere potuisset: sed quid contigit? Notetis: dicit Hipp. in uere fuit frigiditas, & humiditas, & aliqua siccitas: licet humiditas superaret propter naturam temporis, & quia flabant austri, collecta excrementa non fuerunt expulsa, cum expul-

pulsiua debilitata esset, quæ à calido adiuuatur: deinde & frigiditas, quæ fiebat ex uentis Aquilonaribus siue Aquilonaria constringebat, et ad retentionem faciebat ante hoc tempus. iam fuerant ante multæ febres tertianæ, & ardentes, de quibus melius dicemus, si dabitur occasio: licet in hoc tempore uerno Aquilonij flarent, à prædominio tamen totum fuit austrinum, frigidum propter aquilonios: quorum frigiditas maior est, quàm caliditas, uel potius tepiditas, ut ita loquar Austrinum, humidum erat & propter austros, & quia parùm pluebat, & quia tale tempus naturaliter est, hoc uer etiam tale subsecutum est ad ea intempestiua, pessimaq; tempora. Successit æstas, quæ si saltem fuisset naturalis non mutata extra naturam suam, forsitan corpora melius disposita fuissent, & correxisset uitia præcedentium, semper supponendo illud uulgatum dictum quod tempora consequentia secundũ naturam existentia corrigunt uitia præcedentium præter naturã existentium. Debebat esse æstas calida, & sicca secundum naturam æstatis propriam, & sic excrementa collecta potuissent à calore consumi, resolui, cruditates concoqui, omnes uires aggrauatæ subleuari, & excrementa collecta in corporibus expelli, sed quid fuit audiatis. Æstas fuit feré tota nebulosa, humida, caliginosi uapores in aere; unde non correxit dispositiones præcedentium temporum, ad maleficium potius adiuuabat, cum frigida esset exprimebat potius humiditatem aliquam, & corpus condensabat, & occludebat. Et hic animaduertatis, cum dico æstatem fuisse frigidam, & humidam, cum totum oppositum

esse debuerat, ut etiam calida, & sicca, non intelligatis tan tam fuisse in aere frigiditatem, & humiditatem, sicut est in hyeme. Hem esset nimis intemperata, neque hoc esset possibile propter propinquitatem solis, nunquàm potest esse tanta intemperies in æstate ad frigiditatem, & humiditatem, uti sit æqualis intemperiei hyemis, semper est maior intemperies: sed dicimus æstatem frigidam, & humidam comparatiuè respectu æstatis, & propriæ temperaturæ, quæ calida & sicca est, quis unquàm putabit tantam posse esse in aere frigiditatem cum humiditate, sicut est in hyeme? certè nescio quis: cum talis fuerit æstas subsecuta humida, nebulosa, necessariò periculosa, morbos minabatur, & ad peßimas ægritudines præparabat corpora, & maleficium temporum augebat. Quid ex his secutum est? notetis, cum calor æstatis debilis esset, non poterat resoluere excrementa in corporibus collecta, non consumebat, sed ita debilis potius colliquabat, q̃ resoluebat: sed ubi calor debilis excrementa colliquat, et multas humiditates generat, quas cum non poßit deinde consumere putredinem inducit, quia scitis, quod ubi est calor debilis, & humiditas multa redundans necessariò sequitur putredo, ut habetis in quarto Meteororum, quid aliud est, q̃ corruptio in humiditate inducta à calore debili facto? putredine existẽte in corpore timendum erat sicut posteà fuit, ne succederent ægritudines peßimæ, putredinales, pestilentes. Habetis qualis fuerit æstas, & status, ac constitutio totius huius anni, quàm peßima quàm periculosa, ad quam necessariò subsequi debebant strages, & multæ ægritudines.

Quid ergo ſecutum eſt? Audiatis modo etiam Hippocra tem, qui cum poſuerit conſtitutionem huius anni integram incipit enumerare quid efficere potuit, & effecit, attendatis, incepit autumnus mutari à natura, & totus annus uſq; ad alium autumnum: dicit Hippocr. cum talis fuerit ſtatus totius anni peßimus, auſtralis, licet aliqui Aquilones quan doque ſpirarent, meritò tamen totus dictus eſt auſtrinus, quia ferè ſemper flabant auſtri: CVM ESSET AVTEM TOTVS &c. totus fuit ſtatus auſtrinus à prædominio: audiatis ipſum Hippoc. dicentem ſucceſſerunt febres ardentes paulò ante uer, & in uere, intelligatis ardentes debiles non acutæ, non erant aliqua ſymptomata acuta, & ſæua: ideo dicit: Ante uer: ANTE VER ex prime cœlo quod huic &c. erant febres ardentes, ſed non multum acutæ, remiſſæ ex eo tempore, quod præceßit Aquilonium, non erat multum profluuium ſanguinis, nec multum erat delirium, nec multum excruciabantur, erant febres quietæ, dicit Hipp. erant febres ardentes in quibus calor eſt ardentißimus, acutißimæ, tamen ſubdidit & re miſſæ, non erant acutæ febres, erant quietæ remiſſæ ſine malis ſymptomatibus, non calor ardentißimus, & hoc uidetur ſatis obſcurum, febres ardentes habent hæc propria accidentia delirium, ardentißimum calorem, & inquietu dinem: erant ergo remiſſæ ſine his accidentibus, habent & hæ febres profluuium ſanguinis, ut proprium ſymptoma propter multos uapores, & ſpiritus, qui ad cerebrum mo uentur, agitantur, & erumpunt per al iquam uenam, cum quibus ſimul quoque erumpit ſanguis: ſed in hac conſtitu-

tione cum fuerint febres remissæ ardentes, non erat delirium, nec profluuium sanguinis per nares. PAVCISQVE &c. ergo erant febres non meræ & puræ ardentes. NEQVE EX HIS PERIBANT. ergo erant mites: Nam si hæc propria sunt ardentium accidentia, & ut delirent, & excrucientur, & profluat sanguis e naribus, & moriantur: ista in his febribus non contingebant: ergo & si febres ardentes fiebant illæ erant mites, ac remissæ. Quantum ad genus ardentium febrium attinet oportet notetis, quod illæ sunt acutæ, & fiunt ab humore bilioso puro, sed hic tales non potuerunt esse febres: Audiuistis, et hic bene attendatis, istud est utilius, quod unquam habueritis, exercebimini in Medicina, & docti euadetis: Audiuistis dico constitutionem ueris non fuisse secundum naturam temperatam, sed frigidam, & humidam, austrinam, intẽperatam: autumni etiam frigidam, humidam, intemperatam; ex quibus malis & intemperatis temporibus, humidis, craßis generati sunt uitiati humores, craßi, mali; unde febres generantur cum putrescunt. Primum autem quod mouetur in corpore ad putredinem est bilis, atque ad alias quascunque ægritudines non solum ad putredinem, quia subtilior, & tenuior, ante uer putrefacta bilis quæ prima est, & facilis ad patiendum generauit febres ardentes, sed mites & remißæ: quia licet haberent formam ardentium, quæ est ut bilis pura putrescat prope cor, putrescebat quidẽ bilis, sed non pura illa bilis, acris, & acuta, quæ proprie generat ardentißimas febres acutas:

tas: ſed mitis, & commiſta non acris, quæ fuit obtuſa propter malum humorem craſſum à tali conſtitutione generatum cum quo erat commiſta: ideo uim ſuam integram habere non poterat, obtuſa etiam & remiſſa propter aerem nubiloſum humidum, eius acrimoniam retundentem: putreſcebat quidem bilis, ſed non illa acris, pura, ſed mitis miſta cum humore pituitoſo, craſſo, nubiloſo, & maxime humido: ex putredine horum humorum, quæ fuit à remiſſo calore ante uer, & in uere generata: neque enim omnino dominabatur frigiditas, quæ auferret bilem totam, ſubſecutæ ſunt inquam febres ardentes, mites, & admodum remiſſæ, non acutæ. meritò ergo factæ ſunt iſtæ febres. cum talis fuerit totius anni conſtitutio, quæ ab autumno incepit in Thaſo præter naturam aere immutato generati fuerant bilioſi humores ante autumnum in æſtate, quæ naturaliter ſe habuit: Et hic notetis quia dicit Hip. incepit in autumno, non intelligitur conſtitutio, quæ fuerit antequam immutaretur aer ad ſtatum non naturalem, ſed Hip. intelligit, & dicit incipere conſtitutionem ab eo tempore, in quo fit mutatio præter naturam, in autumno incepit aer mutari, non autem in æſtate: æſtas fuit ſecundum ſtatum naturalem. Ideo in æſtate generatus erat humor bilioſus copioſus, ut eius natura poſtulat. At cum fuerit talis poſteà conſtitutio anni præter naturam, et in autumno inceperit, humores mali, craſſi, pituitoſi, & nebuloſi generabantur in autumno, in hyeme generati erant: non enim in pauco tempore hyemis ſtatim generati ſunt, ſed inceperunt generari in

autumno procedendo per totam hyemem, quia omnis generatio fit succeßiuè, & in tempore. Nam omne quod mouetur, mouetur in tempore, ut habetis etiam à philosophis. in autumno igitur inceperunt generari, in hyeme generati erant: Sed & si erant generati, non propter ea debebant in hyeme fieri febres ardentes, quia licet fuerit nebulosa non tamen in ea humores mouentur, sed in corpore resident, quieti sunt, non agitantur, quiescunt, nec facilè putrescunt: in uere, ut de natura ueris est, semper humores commoueri incipiunt, per corpus totum repunt, non permanent in loco firmo iuxta sententiam Hippocratis in tertio Aphorismorum, in eo Aphor. in quo ipse dicit in uere humores incipere moueri à centro ad circunferentiam, & agitari, merito in principio ueris, uel paulo ante uer inceperũt fieri ægritudines ex ea constitutione anni inducendæ. sed minores: non tam sæuæ sicut posteà sunt secutæ, ut audietis, quia in principio uniuscuiusque ægritudinis, uel mutationis mitiora fiunt; quoniam circa principium, & finem omnia sunt leuiora dicebat Hip. Cum uerò consistunt fortiora, nondum contigerant ægritudines aliquæ. Ideo cum in uere incæpissent aggredi homines ex his causis, quas diximus, mitiores inceperunt, ardentes quidem, sed non acutæ, remissæ, leuiores, quæ & si à bilioso humore putrescente generarentur, non erant tamen ab eo puro, sed commisto humori pituitoso, crasso, humido, qui obtundebat malitiã eius, meritò etiam dicit Hip. ex his non peribant, non habebant propria symptomata: quoniam non habebant pro-

priam

priam naturam integram; proprium autem earum est, ut mortem causent: sed in his non sequebatur mors, quia mites non puræ erant. TVBERCVLA VERO multis secundum alterutram aurẽ, plurimis secundum utranque &c. Contigerunt etiam tubercula circa aures, quandoque circa unam aurem, aliquando circa utranque: erãt laxa, sine inflammatione aliqua, magna, sine dolore, et sine febre, sponte resoluebantur, neque ægrotabant inde homines, non decumbebant: quia ex his non multùm afficiebantur, & hoc meritò, nec sine causa; non est hoc mirum si dicebamus uer austrinum fuisse. Caput autem maximè grauatur ab austro uento, ut audiuistis: quia replebatur humiditate extranea inducta ab austro: Austri caput grauantes, auditum hæbetantes &c. dicebat ille: secundum diuersitatem corporum diuersa contigerunt tubercula circa aures, quia caput maxime grauatum erat, & repletũ humiditate: quoniã ergo uniuersaliter habebant debilitatem capitis illi circa caput patiebantur: quia facile in eo imprimebatur qualitas uenti, & ueris. alij patiebantur, & incidebant in febres: ut calidi & sicci in temperatura: alij alio morbo secundum quod temperati, & dispositi erant: quia in habentibus symbolum, (ut scitis,) facilior est transitus; febris est dispositio calida & sicca. ergo qui talis erant dispositionis, & temperaturæ hi facillimè incidebant in febres. Qui uero humiditate abundabant, & humidi dispositione erant, quiq; debilis erant capitis: in eo patiebantur, ut tubercula post aures, tussim, raucedines: omnia secundum rationem ex hac con

sti-

ſtitutione anni euadebant, omnia conſequentia quadam efficiebantur. Et ut hoc etiam melius noſcant iſti noſtri iuuenes, Debetis ſcire, quòd quanto natura eſt fortior, et ualidior: tanto melius, & exquiſitius expurgat uentres excrementis, & illa tranſmittit ad loca conuenientia ad hunc uſum dedicatum, ſcilicet emunctoria corporis, & partes adenoſas, ut gutur, & poſt aures: in hac noſtra conſtitutione primo multis, & ferè omnibus caput repletum erat multis excrementis, uirtus non erat debilitata, ſatis fortis erat. ergo poterat expellere ualidè excrementa ad emunctorium capitis locum conuenientem ad expurgationem capitis, ideſt poſt aures. Ideo in ualidioribus uel pueris, uel iuuenibus, uel etiam ſenibus contigerunt tubercula poſt aures. quanto uerò natura debilior, tanto magis ad loca nobiliora propinqua non ad debita & conuenientia emunctoria tranſmittit excrementa. Vnde dicit Hip. in debilibus contigiſſe non tubercula, quia materia non poterat à natura mitti ad adenoſarium. Sed quid? materia ad pectus deſcendebat, uel ad gutur, & ſequebantur aliæ ægritudines, tuſſes, raucedines, & aliæ conſimiles. MVLTI PRAETEREA &c. Neque hoc loco placet expoſitio Gal. Dicit enim Gal. contigerunt tubercula poſt aures modo iuxta unam, modo circa utranque: quia erat multa copia bilis in corporibus humanis, quæ ad caput aſcendebat, & ſecundũ quod abundabat fiebant tubercula poſt aures, & bilis ſimul cum pituita aſcendens faciebat œdemata, ut nũc dicam, ſed melius dicam. Gal. dixit ea fieri, quia bilis aſcendebat ad

caput, Hoc non est uerum, quia dicit Hip. ERAT EORVM &c. erant tubercula laxa, magna, frigida, liquida sine febre, sine dolore, & aliqua inflammatione: erāt ergo uera œdemata, quæ fiunt à pituita maxime ad hoc faciente aeris constitutione humida, austrina, nubilosa: non erant facta à bile, quia si fuissent à bile, secuta esset febris cum inflammatione, cum dolore, & calore feruescente: Sed Hip. dicit totum oppositum contigiße. præterea non erant solida, liquida & meritò, quia redundabat pituita liquidior, & humidior. Dicatis igitur, quòd contingebant tubercula in ualidioribus, non in omnibus, Sed in fortioribus post aures, quia natura fortis expellit excrementa ad partes adenosas, & propria emunctoria. excrementa autem erant pituitosa ex aeris statu tali congregata, sine acrimonia: ideo qui patiebantur non decumbebant, sed recti ambulabant, non afficiebantur febre, nec dolore. Ideo dixit in iuuenibus, & ualidioribus contigisse: quoniam habebant caput ualidius, natura fortior expellebat ad loca conuenientia materiam excrementosam. Sed mulieres, & senes, quiq; habebant temperaturam humidiorem, habent caput debilius semper, & multis excrementis oppletum, expelli quidem debebant excrementa, sed uirtus eorum expulsiua debilis non poterat regulariter agere. Vnde propellebat materiam excrementosam, non tamen ad loca conuenientia: Cùm non posset propelli materia ad emunctoria, expellebatur ad loca nobiliora, & partes non conuenientes ad gutur, modo ad pectus, & ita aridæ tußes, modo raucedines subsequebantur.

tur. Senes ergo, & mulieres tussi magis, & raucedine laborabant non tuberculis; ratio fuit assignata, ita processit uer, hos affectus patiebantur homines in uere: Accessit modò æstas, calor æstatis non erat naturalis, ideo incommoda parabat, iam humores maiori impetu mouebantur, qui paulatim in uere mouebantur à quiete. & ideo efficiebantur ægritudines leuiores, quæ ita leues erant, ut non egerent medico, humores moti debebant à calore naturali æstatis resolui, et ad benignum reduci, sed æstas fuit præter naturam, cum uer etiam innaturale præcessisset frigidum humidum, ita ut quemadmodum dicit Hip. saperet naturam hyemis, quid factum est, successit inquam æstas frigida humida, cum calore debiliori, quàm sua natura postularet: calor naturalis corporum infirmus factus est, humores qui debebant resolui à calore æstiuo ualido colliquabantur, eo debilitato uirtus debilis reddebatur, & deijciebatur ab humoribus multis colliquatis, qui collecti fuerant in temporibus tribus præcedentibus non naturalibus, & à debili calore æstatis: spiritus obtenebrescebãt, & obscurabantur: obstructiones multæ generatæ, quia humores colliquati obstruebant uasorum foramina, & cutis meatus: unde putredo subsecuta est, neque poterat aliter esse, cum putredo sequatur ad caloris debilitatem in humiditate redundante: & ita æstas fuit epidemica, morbi .s. epidemici subsecuti sunt, qui uulgo deambulabant, & multos simul corripiebant ex putredine humorum, multi etiam tabem incurrerunt, qui ad eam erant parati, atque dispositi: quia multa materia descendebat ad

pe-

pectus colliquatis humoribus. unde pulmones putrescebant, & exulcerabantur, & omnes phthisici moriebantur. tabes ergo & phthises efficiebantur, colliquatis etiã humoribus uenæ replebantur multis humoribus humidis, qui cum facilè à calore computrescerent sequebantur febres. ideo dicit aliquos corripuerunt febres, neque mirũ est, quia cum essent multa excrementa intra uenas crassa, frigida, humida, colliquata, (ut dixi) sequebatur putredo: ergo & febris, sed erat quædam febricula lenta, leuis, nõ acuta, humores & excrementa non erant maligna, acria, sed humida, frigida, ad multos igitur secutæ febres typhodes, quæ à Latinis nostris Laticæ dicuntur, à Græcis τυφώδες: eadem ratione sequebantur descensus catarrhi, multi patiebantur hecticam, nec hoc mirum, quia sequebantur febres τυφώδεις laticæ, ad quas ferè semper terminantur, ut proprium earum sit tendere ad hecticã. Vnde etiam Auicenna prima quarti in capite de febribus laticis, pertractans de his dicebat omnes febres laticas terminari ad hecticas, nisi à perito medico curentur prius, et remoueantur, et ab hecticis præseruẽtur, de se tamen inquit Auic. semper tendunt ad hecticas, omnia secundum rationem. bene ergo Hip. dicit multos correptos febribus, & hecticos factos, & cum calor æstatis debilis esset non resoluebat humores, & excrementa colliquabat, colliquatis excrementis, quæ maximè continebantur in capite descendebat materia ad pulmones, & membra spiritalia exulcerabantur, & computrescebant. Ex quo factũ est, ut ex hectica tabem incurrerint, & phthisici, ac rabi-

bidi mortui sint plurimi; omnesq; illi, qui hac febre lati ca laborauerunt, nisi rectè curarentur aperitis medicis, omnes inquam illi mortui sunt ex phthisi. iam est finis constitutionis anni positæ ab Hip. in hoc primo libro, et quæ ad illam sint consecutæ ægritudines peßimæ suo ordine incipiendo ab autumno usque ad alium, idest ad principium alterius, in quo postea uagabantur epidemici morbi: primam constitutionem perfecimus, secundam, & tertiam: deinde dicemus in singula lectione, & ad Philiscũ nostrum accedemus ordine, ut uobis nihil in hoc desit.

Videbamus in præcedenti lectione constitutionem primam illam Hippocr. in primo libro Epidemiarum, quæ constitutio consequentia quadam à nobis fuit introducta, plurimum adiutura, & auxilio futura ad ea, quæ ex professo, & proposito intenduntur in hoc anno. Proposuimus enim, ut uobis iam dixi, legere casus quosdã particulares, qui tamen communes erant, quia in constitutione aeris peßima uagabantur: si ergo constitutiones non intelligetis, in quibus hi casus particulares, certum est etiam quòd non intelligetis has particulares ægritudines, quæ consequuntur, neque eorum causas scietis perquirere. Nos ergo uolentes declarare uobis hæc particularia, in quibus tota ars consistit, antequàm ad casus deueniremus, ut & nihil prætermitteremus, quod in hoc libro ab Hippoc. dictum fuit, & omnia quæ ad propositum intelligendum facere uiderentur, haberemus, uolui has constitutiones breuiter, & copiose simul colligere, quæ cum tres ab

Hip.

Hippoc.in hoc primo libro epidem.proponantur, de prima credo satis abunde dixi in præterita lectione: considerandũ modo est de secunda, quæ fuit deterior prima, Hæc constitutio fuit in eodem loco, in quo etiam prima in Thaso insigni insula, una ex cycladibus: unde marmor euehebatur. ideo & clata, & insignis fuit hæc insula lata agris, & copiosa: non laborabo multum in hoc, ut uobis describam naturam, & situm huius insulæ: quia parùm ad rem nostram facit, ut etiam in hoc sequar Galenum sicut semper secutus sum, qui in primo commento primi Epidemiorum ex sententia Quinti sui præceptoris inquit non esse multum immorandum in descriptione loci, in quo accidunt morbi particulares, quia nihil facit locus, nec ad indicationem, nec ad præsagitionem. non occupabimur igitur in describenda hac insula, sed solum morborum essentiæ sunt annotandæ, & constitutiones aeris, quæ in tali loco contigerunt, tali tempore: quantum ergo ad locum, satis est, ut sciamus, quòd fuit in Thaso hæc secunda constitutio posita ab Hippocra. Thasus autem est una insignis insula ex cycladibus, in qua excauabantur marmora, & incidebantur, nihil aliud refert scire, quantum ad præsens attinet institutum; in hac insula fuit peßima cæli constitutio, & in ea morbi epidemici uagabantur, multosq; simul corripiebant: constitutio posteà optime consideranda est: constitutio hæc ab autumno incepit dicit Hipp. sicut, & prima: Et dicit, quod autumnus incepit mutari à naturali temperie ad statum præter naturalem, quæ dispositio perdurauit per totum autumnum: IN THASO ANTE AV

TVMNVM &c. Videte quòd hæc constitutio incepit ab autumno. si debetis intelligere quomodo sit immutatus à dispositione naturali, oportet uos prius scire, quæ sit dispositio, & quæ temperies autumni secundum naturam, & hoc propter iuniores: scio enim quòd multi sunt, quibus hoc erit superfluum, oportet ut omnes habeant suam partem. Dico ergo q, temperies autumnalis est aliquomodo frigida, quia plus de frigido, quàm de calido habet: sicca quia plus de sicco, q̃ de humido, ita tamen frigida est, ut ẽt calida: non habet frigiditatem absolute, sicut siccitatem; neque enim frigiditas est comparanda siccitati, & frigiditas inquam relatiuè, & sic respectu autumnus est frigidus, cuius? respectu æstatis, quæ præcessit calida, & sicca; Et hic consideramus autumnum, ut est in propria natura, non ut est in principio, quando incipit autumnus: secundum primam partem, uel primum tempus autumni illa non est natura autumnis, quia participat de natura æstatis: neque etiam intelligimus de ultima parte, & ultimo tempore autumni, quod participat de natura hyemis subsequentis: consideramus naturam autumni, idest, mediam illius partem, medium tempus, hoc tempus habebit temperiem naturalẽ frigidam, & siccam, hic dicitur propriè autumnuss: neque quando dicimus esse frigidæ temperiei intelligimus de intẽsa frigiditate. neque enim potest esse multa frigiditas, quia sol non multum recedit a zenith capitum nostrorum: est adhuc caliditas aliqua, sed quia maiorem partem autumni occupat frigiditas, ideo dicitur frigiditas superare, non quod tanta sit frigiditas in aere, ut est in hyeme, quæ maxime

me corpus refrigeret:ſiccitas etiam dominatur in autum=
no & magis,q̃ frigiditas:& hoc propter ſiccitatem æſta
tis,quia æſtate fuit exiccatus maxime aer : in autumno ẽt
remanet illa ſiccitas,quia à nullo remota eſt,quoniam non
ſucceſsit aliqua notabilis humectatio , ita autumni tempe=
ratura ſecundum naturam eſt frigida, & ſicca moderatè.
nullam ergo poteſt facere intenſam in corpore impreſsio
nem,maxime cum hac ſua temperie habeat inæqualitatem,
non ſemper dominatur frigiditas,aliquando eſt pauca ca=
liditas:illa ergo frigiditas autumni retundit caliditatẽ æ=
ſtatis præcedentem: ſiccitas autem cum ſit admodum tem=
perata nihil poteſt,uel parum corpus immutare. ideo cor
pora in autumno naturaliter ſe habente bene habent,ſana
degunt,& ab omni ægritudine libera:homines ſunt leues,
læti,& ſine diſpoſitione mala:hoc dico quantum eſt ad na
turam temporis autumni , & dico quod corpora humana
maximè ualent in autumno, niſi ab aliqua alia cauſa ægro
tent.nunc de aere ſolùm ſermo habetur, non intelligimus
nos,quòd ſi propter malam uictus rationem , aut exerci=
tium,uel aliquid aliud incidant in ægritudines aer,uel tẽ=
pus ſit cauſa:non enim tunc tempus erit in cauſa ægritu=
dinum,ſed aliæ ab hoc cauſæ,quæ ſecundum qualitates cor
pora mutent:Hæc eſt natura propria autumni qua natu
rali exiſtenti corpora naturaliter ſe habebunt . Si modo
autumnus ab hac temperie mutetur ad aliquam contrariã
qualitatem,ut in autumno aer reddatur magis calidus,uel
etiam magis humidus;ex leui occaſione generantur ægri=
tudines conſimiles illi temperiei , corpora uarias patiun=

tur dispositiones secundum differentiam illarum qualita= tum, pessimum est tempus hoc autumni cum à natura sua mutatur: consideremus modo hanc nostram constitutionē, & ipsius naturam sicut proponit Hipp. qui dicit in prin= cipio Boreas spirabat ualde, et maximus erat extensiuè, et intensiue: intensiue quidem ualde spirabat, quia maximus erat flatus: expensiuè, quia perdurauit per totum autum num, cum hoc Borea flante aliud fuit adiunctum ut Hipp. dicit in textu subsecutæ sunt pluuiæ, & superuenerunt Bo reæ, ita ut quotidie fierent pluuiæ per totum autumnum magnæ, & largæ: sicut dicit Gal. Habuimus igitur totum hunc autumnum malignum, & pessimum, qui erat autum nus frigidus, Aquilonaris cum aliquibus Austris spiran= tibus, erat frigus maius, quàm oportet, & quàm natura sua requireret. diximus esse temperaturæ frigidæ mode= ratæ, At in hoc autumno non naturali erant summa frigo ra, & præter hoc quod frigora erant intensa, fuerunt etiam intempestiua, non debito tempore, facta sunt frigo= ra in autumno ante æquinoctium autumnale, quod fit post paucos dies ab ortu Arcturi: in principio Arcturi ferè, qui cum oriatur in principio Septembris mensis, æquino= ctium erit autumnale in puncto Libræ, ut circa xi. uel xii. diem Septembris, ante æquinoctium ergo, idest, in princi= pio Septembris, uel etiam in fine Augusti frigora inuale re inceperunt: cum tamen in hoc tempore non sit consue= tum frigus esse. Fuit frigus inquit Hippoc. pluuiæ succede bant, flabat spiritus Aquilonius, idest, Boreas, & postmo dum quod peius erat, repentè inualuerunt ista frigora, sal

tem

tem paulatim successissent; sed dicit Hippoc. SED REPENTE, hæc pessima erat, uidete quid parabant. primo scitis Boream, & flatum aquilonarem quod idem est esse frigidum cum siccitate, subtilem in substantia, id eo optime penetrat ad profundum: cum penetrauerit maximé refrigerat, & exiccat. Vnde mulieres exponentes pannos Aquiloni exiccant eos, cum etiam flant uenti Aquilonares maximum frigus, & penetrabile ad interiora sentitur. Vnde dicebat etiam Poæta: Ne madidos intret penetrabile frigus in artus, intelligens de Aquilone, qui subtilis maxime penetrat in membra corporis, & cum frigidus sit humiditatem, quæ impressa fuit magis retinet, & incuneat, & exiccat: habet enim frigiditatem cum siccitate iunctam. Vnde optime etiam dicit Hippoc. in tertia Aphorismorum particula, in illo Aphorismo de autumno, quod quando autumnus aquilonius fuerit multæ sunt expectandæ ægritudines malæ, quia Boreas maximé penetrabilis, & subtilis est. flante ergo Borea in autumno fiũt stranguriæ, difficultates partuum, tusses, raucedines, & distillationes: quia Boreas subtilis est penetrat ad profundum, cum penetrauerit qui frigidus est & siccus comprimit corpora, & exprimit humiditatem exprimendam, si quid inconeandum est incuneat, & impellit, ut non facile posit dimoueri. cum autumnus fuisset aquilonaris, incuneatæ, sunt materiæ in corporibus, ex pressa humiditas, Huic posteà Boreæ additus est paucus auster. ET AVSTER: Auster autem, ut habetis ab Hippoc. in lib. de locis, aere, & aqua calidus & humidus existit: unde ca

put maxime replet humiditate ſuper: Auſtri caput grauã tes, auditum hebetantes, ut habuiſtis in eo Aph. tertiæ particulæ iam ſupra citato, ſua temperata, & remiſſa calidita te laxabat corpora, quæ fuerant compreſſa ab Aquilone, liquida faciebat, humiditateq; uaporoſa replebat: magis. n. & facilius humiditas poterat per poros laxos penetrare. ex quo etiam Boreas qui de ſe ſubtilis ex poterat magis penetrare: ita ancipites erant effectus, & duo omnino cõtrarij effectus, qui producebantur à contrarijs flatibus: Aquilonaris quidem primum exprimebat humiditatem, incuneabat materiam, quæ incuneanda erat, comprimebat corpora, & conſtringebat: Auſtralis contrà inimicus relaxabat corpora conſtricta, & meatus cutis, humiditatem inducebat, & putredinem faciebat: quia Auſter calidus humidus putredinalis eſt; ita inæquales erant uenti in autumno. Et ideo inæqualiter etiam corpora diſponebantur, poſt flatus etiam ſubſecutæ ſunt pluuiæ. HVMIDA: Videte, iſtud etiam maleficiũ augebat: Nã ſi uerum eſt ꝙ Auſter relaxabat corpora, & ſubſecutæ ſunt pluuiæ: ergo humiditas pluuioſa facilè penetrabat per poros cutis laxos, deinde Aquilo incuneabat, & impellebat, inæqualiter ſe habebat autumnus, modo humidus propter flatum Auſtrinum, modo humidus propter pluuias, modo ſiccus flante Aquilone, talis fuit ſtatus, & conſtitutio totius autumni inæqualis, humida aſtrina, Aquilonaris, pluuioſa frigora maxima intẽpeſtiua. Cum hæc fuiſset eius cõſtitutio, quid deinde contigit? cum pluiſſet & uentus auſtrinus ſpiraſſet, aer erat humidus obſcurus. ſcitis autem ex Galeno,

qua=

qualis fuerit aer, in quo continentur corpora, tales generari ſpiritus, ut dicebamus ſuperius: quia ſpiritus ſecundũ principia Gal. nutriuntur aere. qualis igitur aer, tales ſpiritus neceſſariò, in conſtitutionibus humidis ſpiritus humidiores & obſcuriores. ergo in tali conſtitutione autumni ſpiritus craßiores, humidioresq; reddebantur, obtenebrabantur, & obſcuriores fiebant. ſpiritus craßi humidi? ergo calor naturalis humidior, debilior, & remißior: Nã cum ſpiritus aut ſint anima ſecundum Galen. aut non ſine his poßit operari potentia animæ, propter ea mutatis ſpiritibus anima non bene operabitur, calor quoque mutabitur, & debilior efficietur, obtundetur: & inde peßimæ fient concoctiones, quia calor fortis, intenſus, uehemens non poteſt ſtare cum humiditate, licet ea ut ſubiecta utatur, tamen ſi ſuperflua fuerit calor obtundetur, & peßimæ ſuccedent inconcoctiones: hoc neceſſariò ſequitur in hac conſtitutione, in qua ſpiritus ſunt redditi frigidiores, & humidiores, à quibus concoctiones efficiuntur, & omnes operationes: neque enim refert ſi dicas ſpiritus cauſare concoctiones, uel calorem naturalem: quoniam ſpiritus, & calor naturalis idem ſunt ſubiecto, qui non diſtinguuntur niſi ratione, ut alias ſatis diffuſè declarauimus. Quare uidetis, q, hic duæ erant humiditates, una uaporoſa, altera pluuioſa in autumno, uaporoſa propter Auſtros, pluuioſa propter pluuias: una extrinſeca, & alia intrinſeca, ideſt, humiditas ſpirituum. ſuccedebat deinde frigiditas, & ſiccitas Aquilonaris comprimens, & conſtringẽs: hæc erat ſumma temporum inæqualitas, in qua parabantur

tur corpora ad morbos malos, & uitiosos, sicut uidebitis successisse: quando uidebimus, qui morbi in hac constitutione sunt facti; mutationes temporum pariunt morbos, mutatus est autumnus in temperie à statu naturali. ergo expectandi morbi: Vnde dicebat Hippoc. in lib. de locis, aere, & aqua quòd nihil peius esse potest, q̄ mutatio aeris à statu naturali, qui est inter omnes præcipua causa, quando præsertim mutatur inæqualiter in eodem tempore, & in eodem die. Nam tunc peßima constitutio aeris, peßimi morbi pariuntur; quod etiam repetebat idem Hippocr. in tertio Aphoris. Mutationes temporum pariunt morbos: & in alio Aphorismo in temporibus, quando eodem die modo calor, modo frigus fit autumnales morbos expectare oportet: inæqualitas etenim aeris peßimè dispo nit corpora ad ægritudines. Vidistis duos oppositos fuisse uentos, Auster relaxabat meatus cutis, replebat humiditate: Boreas comprimebat, & constringebat: pluuix secutæ, ita magis augebatur aer, cum augeretur necessarium erat, quòd corpora quoque magis augerentur, & præpararentur ab aere infecto ad peßimos morbos. Vnde corpora maximè patiebantur in hac inæqualitate maxima temporis; hoc fuit primum tempus constitutionis huius, malum inæquale. Quod tempus secutum est? oportet uidere, si fuisset hyems naturaliter disposita: nã tunc corpora non essent tam malè disposita; & siquid passa fuissent ab inæqualitate autumni, ab hyeme in contrarium deducerentur, & ad pristinnm statum, ac temperaturam propriam redderentur: Nam si sit unum tempus malum
præ=

præter naturam, & ſequatur aliud ſecundum naturam, quod commiſſū eſt ab innaturali, remouetur à naturali; quod habetis ab Hip. & Gal. in commen. in 3. Apho. ubi inquit, Quod ſequens tempus corrigit uitia ſuperioris: imò etiam ſi tria tempora, uel duo mala præter naturam præcedant: unum autem naturale ſequatur, illud remouetur omnia mala, quæ fuerunt impreſſa, & bona conſtitutio unius temporis corrigit malam conſtitutionem illorū omnium. in hoc anno tempus bonum non eſt ſecutum autumnum non naturalem, ſucceſſit hyems peior priore, & inæqualior, ut audietis. Dicit autem conſtitutionem illā autumnalem perduraſſe per totum tempus autumni ab æquinoctio, ſcilicet: Imò ante æquinoctium autumnale quod eſt 11. uel 12. Septembris uſque ad occaſum pleiadum, uel Vergiliarum, quod idem eſt. fit autem iſte occaſus Vergiliarum, quando Sol ingreditur, & accedit ad primum gradum ſagittarij, primus gradus Sagittarij, in quem ingreditur ſol eſt circa 8. 9. uel 10. uel 11. Nouembris, uel circà ſicut in hoc tempore, in quo nunc ſumus, huc uſque protenditur autumnus, nec procedit ultra: hic fit occaſus Vergiliarum, & incipit hyems. ergo uſque ad nonum, uel circà Nouembris durauit conſtitutio autumnalis non naturalis. poſt autumnum in hyeme quid ſecutum eſt? Audiatis: Ceſſauerunt Auſtri, acceſſit ſolus Boreas, qui cœpit flare potentius & magis, q̄ in autumno. Boreas ergo maior, pluuiæ maiores, ningebat, erat nubiloſum tempus, obſcurum, plenū uaporibus, modò ſerenitas cœli, ita inæqualiter procedebat; quod

tempus, & quam inæqualitatem uniuersaliter appellat græcè Hip. μιξίθρια, appellat enim μιξίθριαν hanc inæqualitatem, quia modo serenum tempus, modo pluuiosum, modo nubilosum erat: isti nostri qui interpretantur libros Hippocratis, & Gal. interpretantur mista sudа, & satis quidem infœliciter: non enim exprimunt propriè conceptum, & notam huius nominis, quod dico μιξίθρια malè acceperunt, & malè uerterunt: Nam μιξίθρια propriè & fideliter loquendo licet non satis fœliciter significat quod Nos dicimus admistionem nubium cum serenitate, & claritas aeris mista cum nubilatione, ut ita dicam, dicitur μιξίθρια: Sed quia non possumus latine propriam huius nominis uim exprimere, nec fœliciter utemur nomine græco, & dicemus in hyeme fuisse μιξίθριαν dantes uobis intelligere, quod tempus erat nubilosum, modo serenum, clarum: pluebat, & quandoque niues uidebantur, ita tempus mutatum à naturali statu perseuerauit usque ad solstitium brumale à primo gradu Sagittarij, idest à principio hyemis, sicut dicit Hip. in textu: HYEMS AQVILONIA, &c. Peßima erat constitatio hyemis, peßimum tempus: primo hyems Aquilonia: Aquilo sicut audiuistis superius, est uentus subtilißimus, frigidus, & siccus, qui penetrat ad profundum, incuneatq; materiam, quæ in corpore continetur, exprimit humiditatem: flante Borea aer ita refrigeratur, & Borealis trahebatur intra corpora per systolen, & non solum per systolen, sed etiam per totius transpirationem: quia pluebat, & tempus nubilosum erat: aer

quo=

quoque nubilosus, humidusq; trahebatur intra: cum attractus esset humidus aer, Borealis deinde, & Aquilonius comprimebat ipsum, exprimebat quod tenuius erat, incuneabat: unde meatus obstruebantur, craßior aer attractus reddebatur, & fiebant per totum corpus obstructiones multæ, cum exprimat & incuneat, ita materia figebatur, ut non facilè illæ remoueri possent, adiuuabat ad hoc frigus magnum, quod eo tẽpore ortum erat: FRIGORA &c. Videatis quid parabatur, quàm peßimum tempus: remoueret ne uitia autumni? certe non, magis adiuuabat ad maleficium, excremẽta colligebantur, et corpora ad malas ægritudines disponebantur, & hoc tam peßimum tempus perseuerauit usque ad solstitium brumale, quantum poterat confirmare id, quod imprimebat? Quod sit uerum. IAM VERO POST BRVMALE SOLSTITIVM: Ecce usque ad solstitium hyemale perdurauit constitutio dicta, quia statim post solstitium alia secuta est ab ista diuersa: Vt hoc sciatis intelligere uideatis Gal. in primo lib. Epid. Sectione prima, commento etiam primo, in principio libri, quoniam quandoque Hip. loquitur de septimanis, Gal. declarans temporum diuisionem, ut intelligeretur Hip. inquit quod & si secundum Antiquiores annus haberet solum duas partes, ut dispescebatur per duo solstitia, tamen à Posterioribus diuisus est in septẽ partes principales; quæ postea à pluribus fuit acceptata diuisio. Diuidebant ergo annum in septem partes, cum quatuor sint tempora omnino: illi aliqua ex his diuidebant, aliqua indiuisa permittebant.

bant.

bant, ita ut numerum ſeptenarium complerent in partibus, Autumnus, & uer propter breuitatem temporis, quam habent, non diuidebantur, remanebant ita indiuiſa, & erant duæ partes anni: Alia duo quia ſatis longa ſunt diuidebantur æſtas, & hyems: æſtas in duas alias partes: hyems in tres, ita ſi bene numeretis conſurgebant ſeptem partes: Autumnus, & uer duæ: tres hyemis quinque: duæ æſtatis ſeptē. in totū ergo annus habebat ſeptē partes. Neque hoc erit ingratū, Audiatis hoc, quia multum attinet ad medicum, ut cognoſcat partes omnes anni, & in hoc maxima debet eſſe eius diligentia, multum facit ad prognoſticum, & ad curationem ſcire quot tempora anni, qualia, & quo modo ſe habeant maxime circa motum, & eorum temporum ſpatium. Ver igitur apud Antiquos erat indiuiſum propter eius breuitatem, tam breue erat, ut audietis nunc, quòd pro una parte anni totum ponebatur. incipiebat autem ab æquinoctio uerno, & perſeuerat uſque ad ortum Vergiliarum ſeu pleiadum: oriuntur autem quando ſol intrat primum gradū Arietis. ergo Ver incipiet circa 11. uel 12. Martij, et perdurat uſque ad ortum pleiadum: quando? quando ingreditur Sol primum punctum Geminorum, ideſt uſque ad 3. 4. 8. uel 9. Maij, dicamus nos uſque ad principiū Maij paulo plus, paulo minus. Ver ergo durat ab 11. uel 12. Martij: non curo nunc diſtinctiſſimè id perquirere an uſque ad principium Maij paulo plus, paulo minus; ita uer erit duos menſes complectens reliquum Martij, totum Aprilem cum pauco principio Maij: iſti ſunt duo

duo menses ueri, & integri: Videte quàm breue tempus erat, non poterat diuidi: & hæc est una pars anni. post ortum pleiadum incipit æstas, & perdurat usque ad ortum Arcturi, qui fit circa principium mensis Septembris, quoniam Arcturus oritur per 12. dies ante æquinoctium autumnale. æquinoctium autem fit 11. uel 12. uel 13. Septembris. ergo in principio Mensis septembris orietur Arcturus, ad quē terminatur æstas: Aestas erit à principio Maij usque ad principium septembris: hoc totum interiacens tempus æstas est, ut in ea contineatur id, quod reliquum est mensis Maij in uere, totus Iunius, Iulius, & Augustus: & ita habebit quatuor menses integros, uel circà: non curo, Videte quàm prolixū tempus sit ad duplum ueris. ideo Antiqui secarunt æstatem in duas partes, ut ex uno tempore generali diuidentes duo facerent: prima pars dicitur ab illis græce ὥρα, & est pars in qua maturãtur fructus præcoces, qui ideo dicti sunt à Medicis fructus horarij, qui maturantur tempestiuè eo tempore, quod est ante solstitium æstiuum: hoc totum spatium in quo maturantur fructus præcoces à principio Maij usque ad solstitium æstiuum, qnod fit circa 11. uel 12. diem Iulij hæc dicitur prima pars æstatis; etiam sunt duæ partes Ver, & ὥρα: secunda pars æstatis est spatium illud à solstitio æstiuo usque ad principum autumni, idest ad ortum Arcturi; & in hoc toto tempore maturantur fructus non horarij, qui non sunt fugaces, nec præcoces, sed magis durabiles: & hæc dicitur ὄπωρα, non πρoωρα: quia de hac postea, dicitur

ὄπω-

ὄπωρα. Sic ergo æstatem diuidimus in duas partes, in primam ὥραν, & secundam ὄπωραν, & habemus iam tres partes anni. Succedit autumnus qui incipit ab ortu Arcturi, idest in principio Septembris, et durat usque ad occasum Vergilianum, quando sol ingreditur prima puncta Sagittarij, idest circa 8. uel 9. Nouembris diem, ut nunc sumus in fine autumni, Occidunt nunc pleiades: ideò finit autumnus. Autumnus si bene aduertitis in supputando habet duos integros menses septembrem ferè totum, & totum Octobrem, & principium Nouembris, quod computatur respectu principij Septembris, quod occupatũ fuit ab æstate. duos igitur habet integros menses, & adhuc ultra paulo plus longior est, quàm sit uer, quod non habet duos menses omnino completos, & perfectos. Ideo nec autumnus fuit ultra diuisus: quoniã breue admodum spatium habet. Hyems postea sequitur, quæ incipit à principio Nouembris post occasum pleiadum, et perseuerat usque ad primam partem Martij, usque ad æquinoctium uernum, quod fit in principio Martij. ergo hyems continet plus, quàm quatuor menses, longißimum est tempus. Antiqui adhuc diuiserunt ipsum in tres partes, & primam partem sementum appellabant, quia in hoc tempore seminabant, erat tempus sationis, à qua actione nominarunt ipsum sementum: secundum tempus brumale nominabant, & hoc erat medium: unde Poeta, Hæc tibi brumali gaudentia frigore rapa: dicebat, eò quòd in hac parte hyemis maxime uigeant frigora intensa: est deinde tertia pars hyemis, quæ à Græcis proprie

φυταλία dicitur ab eadem ratione, qua prima σπορά: Nam primam appellant Græci σποράν, Latine ſementum à σπείρω quod ſero ſignificat, quia tempus ſerendi eſt: ſic ſecundam φυταλιαν à φυταλίαζω, quod eſt inſero, quod hoc tempore inſerantur arbores, & plantentur: illa ſerendi, hæc inſerendi: & ita tres ſunt partes hyemis, ſementum, Bruma, & tēpus inſerendi. prima incipit ſtatim ab occaſu Vergiliarū, & durat uſque ad ſolſtitium brumale; Reliquum tempus diuiditur in illas duas partes, in Brumam, quæ incipit à ſolſtitio brumali, et perſeuerat uſque ad occaſum. Tertia durat quæ eſt inſerendi tempus uſque ad principium ueris, ideſt ad æquinoctium uernum ad principium Martij, ita ſi ponatis hyemis tres partes cum alijs quinque, ut prima ſit uer, ſecunda ὥρα, quæ eſt prima pars æſtatis, tertia ὄπωρα, Secunda pars æſtatis, quarta autumnus, quinta tempus ſerendi, ſexta Bruma, ſeptima inſerendi tempus erunt omnino ſeptem partes anni per diuiſionem duorum temporum, quæ cum ſint quatuor principalia, duo propter breuitatem ſpatij remanent indiuiſa, alia duo diuiduntur, Ver & autumnus indiuiſa, æſtas & hyems diuiduntur: æſtas in duas partes; hyems in tres: æſtas in ὥραν: et σπωραν: hyems in ſementum, brumam, & φυταλίαν. ergo ſunt ſeptem tempora anni ſecundum Antiquos, licet etiā ſecundum antiquiores duæ tantum eſſent partes anni ſecundum duo ſolſtitia: hæc eſt anni diſtinctio in ſua tempora, quam neceſſariò oportet ſcire in medicina, quoniā maximùm refert Medici cognoſcere tempora anni & ad cu-

ran-

randum, & ad prognoſticandum: neceßaria etiam fuit diſtinctio iſta ad intelligentiam eorum, quæ hic ab Hippocrate dicuntur. Dicit igitur Hipp. quod perſeuerauit illud tempus tam malum, & præter naturam cum pluuijs cum dicat ipſe IMBRES ERANT &c. perſeuerauit ita hyems cum pluuiis magnis largis, & multis uſque ad brumale ſolſtitium, ita uel tota prima pars fuit talis à naturali ſtatu mutata, quæ eſt ſementum, fuit pluuioſum ſpirantibus Aquilonibus: in ſecunda deinde parte, quæ ſequitur ſementum, & eſt brumale tempus inceperunt flare zephyri, ideſt in media hyeme poſt ſolſtitium, in quo incipit Bruma. IAM VERO poſt brumale ſolſtitium, & ubi Fauonius ſpirare cœpit &c. incepit ſpirare Fauonius: Fauonius eſt uentus, qui ſpirat ab occidente contra Septentrionem, non debebat in eo tempore ſpirare, maxime in regione temperata, ſi ſpirauit eſt indicium, quod malè afficiebat aerem continentem, & corpora humana offendebat: in Thaſo nanque inſula temperata, quæ eſt in principio quinti climatis, uel in fine quarti non ſit dißidium, & in finitimis regionibus temperatis, ubi omnia temperata ſunt non debebant ſpirare zephyri, niſi fuiſſet conſtitutio non naturalis. incipientibus igitur zephyris, quos Fauonios dicimus Aquilones deſierũt, quia iſti uenti ſunt oppoſiti & ſibi contrariantur; in contrariis etiam regionibus ſituati ſunt, & à partibus mundi contrariis ſpirant: ſicut enim zephyrus ſpirat medius inter occidentem, & meridiem, ſic Aquilo ſpirat medius inter orientem, & Septentrionem. Ecce quo modo de dia=

diametro sibi per paralellum opponuntur in spirando, cùm unus spirat, alius non spirat: nunquam simul spirant, & hæc est causa, quam tradit Aristoteles qui in 26. si me mini particula Problematum proponit unum problema, & quærit cur est quòd cum incipiunt zephyri spirare sta tim cessant Aquilones? Respondet, quia sunt uenti oppo siti, & sibi contrarij. ideo dicit Hippoc. cessantibus Aqui=lonibus in solstitio amnali inceperunt flare Fauonij uenti intempestiuè, qui non debebant adhuc spirare, hyems pro pterea exasperata, non debebant tam citò flare, frigora erant, pluuia & nix: pluebat continuè & multum: Exa=sperata inquam fuit extrema, & ultima pars hyemis: quia cessantibus Fauonijs incepit adhuc Boreas multum spira=re, frigus erat, ita perseuerauit ista constitutio hyemis us que ad æquinoctium, idest, ad principium ueris, maiora fa cta sunt omnia usque ad illud tempus, nubilosus aer, pro=cellosus, & maxime obscurus, ita proceßit hyems. Debe=bat sequi uer temperatum, æquale, calidum, humidum, & sic corpora non tam malè fuissent affecta, sed & ipsum fuit intemperatum inæquale: audiatis quid dicit Hippocr. in textu: VER AVTEM frigidum, Aquilonium &c. non fuit temperatum, sed frigidum, & siccum inæquale, quæ est propria temperies autumni: uer debet esse calidũ, humidum, temperatum si corpora debent bene habere, & ita uerum erit, quod uer secundum naturam conseruat cor pora humana in sanitate. sed quid fuit, uer non solum non fuit temperatum, sed etiam ad oppositam intemperiem mu tatum, nempe ad frigidam & siccam: flabant Aquilonij &

pluuijs nubilosum erat, fuit frigidum: bene uerum est quod & si ratione Aquilonis siccum esse deberet, tamen propter pluuiarum copiam, & nubium multitudinem fuit humidum. Successit ultimò æstas, quæ si fuisset naturalis, & in naturali temperie consistens calida & sicca forte natura adiuta fuisset, & corpora reducta ad statum meliorem sanitatis, excrmenta per tria superiora tempora congregata, & retenta resoluta fuissent, ac inanita, corpora sine excrementis adhuc sicut prius sana essent. sed quid fuit? AESTAS NON admodum fuit feruens &c. fuit etiam æstas à naturali temperie mutata, sicut & superiora tempora: ideo uidete quomodo augebat maleficium, inæqualis erat, Aquilonaris cum caliditate remissa, pluuiosa in fine Aquilone spirante: uidete quomodo corpora debebant affici, & languere; uirtutes debilitatæ sunt omnes, spiritus humidi obscuri, non lucidi, excrementa à remissa caliditate non fuerunt resoluta, imò magis congregata, & malum malo additum. debebant igitur esse ægritudines multæ malæ; hæc temperies æstatis non naturalis extra suam naturam perseuerauit usque semper fuit humidum tempus, inæquale modo frigidum, modo parum calidum. Post solstitium æstiuum quid contigit? Scitis quod solent spirare quidam uenti singulis annis, qui à Græcis dicuntur ἐτήσιαι, eò quod certis temporibus, & statutis diebus flare incipiant: ethesiæ sunt species omnino Boreæ, flant ab eodem situ, & regione, & ijdem sunt. ideo specie non differunt, quando Boreas flat post solstitium dicitur ἐτησίαι, ita certo eo tempore singulis amnis aspirare

re incipiat, uel uenti ἐτησίαι ab his, qui interpraetantur subsolani uocati, quid post solstitiam statim quando sol recedit à nobis, incipitq́; abire à zenith nostrorum capitum, & sunt idem cum Borea, uel de eius familia: sed in hoc differunt, quia cum sint Boreales quidem, non sunt tamen tam asperi sicut boreas simplex; humidiores sunt, & benigniores, & mitiores: cũ sol à capitibus nostris recedit incipiunt flare ἐτησίαι quocunque anno: dicuntur ἐτησίαι ab ἔτος, quod est certum & statutum, qui post solstitium semper flant, causam optime & diuine: nescio quid magis reddebat Arist. in secundo Meteororum: uideatis locum, certe in hoc fuit resolutus. Dicebat ibi Aristo. quando sol est supra capita nostra, & nobis propinquus ante solstitium, ac aestiuas uersiones in puncto cancri, & si maximus sit aestus, & calor solaris, non tamen potest resoluere niues & humores, qui sunt in partibus illis Borealibus frigidissimis licet sit calor uehementissimus propter distantiam maximam inter solares radios rectos, & regiones, Aquilonares non possunt resolui humiditates: scitis enim in Aquilonaribus partibus maximas niues eo tempore esse, & pluuias, humores, glacies, & multas humiditates. propter distantinm igitur solis colliquantur, sed neque perfecte, cum sol magis ad illas partes accedat, & fiat propinquior colliquat omnino, ut quando accedit ad punctum Leonis, & niues, & glacies, ex quibus colliquatis deinde à caliditate solari in uapores, & exhalationes eleuantur, & ita fiunt uenti Boreales, & insurgunt ἐτησίαι, si magis accedat cum à nobis recedit ad

partes Aquilonares, quia magis propinquus est humiditatibus resoluit, & exiccat, ut antequàm exhalationes generentur prius resoluta sit humiditas, & materia uaporationis: post solstitium insurgunt, quia sol ibi colliquare potest glacies, non resoluere ante uersiones æstiuas non fiunt isti uenti, quia non possunt colliquari glacies & humiditates propter multam solis distantiam; in solstitio resoluuntur antequàm exhalent propinquo sole existente: post solstitium uero colliquari commodè possunt. inde fiunt ἐτησίαι. melius ergo dicamus ante solstitium, cum sol est in primo puncto cancri, & ante: aquæ congelatæ & glacies non possunt resolui, nec colliquari: ideo etesiæ non spirant, in solstitio cum sol magis cancrum penetrat propinquus existens Aquilonaribus regionibus non solum colliquat, uerum etiam resoluit, & exiccat, ut non poßint euaporare deficiente humiditate: post solstitium commensuratè distans calor colliquat, & exhalationes efficiuntur, ex quibus consurgunt uenti etesiæ, hæc est causa Aristot. propter quam non flant alio tempore isti uenti, nisi post solstitium, quando sol ingreditur punctum Leonis: ita bene diximus, non antea: in hoc nostro anno inceperunt flare etesiæ, & perseuerarunt ante solstitium, & per totam æstatem: qui non potuerunt esse, nisi præter naturam, quia si etesiæ spirant, & efficiuntur propter plurimos uapores, hic non erat causa, quam dicit Aristot. non erant exhalationes, quia caliditas debilis, & remissa non potens colliquare congelatas aquas, imò potius tepiditas quædam: & quia non erat causa Arist.

non

non est iudicandum fuisse, nisi non uaturaliter propter humiditatem multam & post etesias secuta est frigiditas & flabat Aquilo, secutum est contrarium, cum debuit esse calor fuit frigus, secutæ sunt pluuiæ in fine æstatis ferè sub Arcturi principium. Hæc est secunda constitutio posita ab Hippocrate, & breuiter recitata, quæ sicut est ordine secunda, ita etiam peior est priore, fuit constitutio Aquilonaris frigida, humida: prima quidem erat frigida humida, Austrina nebulosa, habebat uaporosam humiditatem subtilem, quæ maxime penetrat, sed cito resoluitur hæc Borealis cum humiditate aquea: sicut illa habebat frigiditatem, ita hæc illa humiditatem uaporosam, quæ cum penetrauerit citò resoluitur: ideo minus mala est, hæc humiditatem habet aqueam, quæ ubi penetrat incuneatur, & non facile resoluitur: illa fuit austrina nebulosa, hæc Aquilonaris pluuiosa, maxime adiuuabat Aquilo ad penetrationem pluuiosæ humiditatis, incunebat, & comprimebat. unde malæ & peiores ægritudines parabantur, quàm ægritudines, quæ fuerunt in prima: craßior, & etiam difficilius resoluitur cum impressa fuerit, peior fuit primo, quia Aquilonaris humida pluuiosa: pariebat obstructiones: Aquilo enim comprimebat humiditatem pluuiosam, & magis incuneabat. unde meatus cutis, & foramina uasorum obstruebantur: secundo peior fuit, quia cum hac malitia aliud maius maleficium adiungebatur, quod erat inæqualitas temporis, quòdq; tempus modo Aquilonare, modo frigidum, modo tepidum ex hac inæqua litate multæ & uariæ parabantur ægritudines. in

priore constitutione non erat tanta inæqualitas: scimus autem tempus inæquale peius esse æquali, propterea quod in ipso plures, & peiores oriantur morbi. Vnde dicebat Hippocr. in tertia par. Aphoris. inconstantibus temporibus cum tempestiuè tempestiua redduntur, morbi constantes, & boni iudicij fiunt: in inconstantibus autem incõstantes, & mali iudicij, quia male terminantur. & in alio Aphorismo in temporibus quando modo calor, modo frigus &c. pessima sunt tempora inæqualia: Hæc constitutio ita inæqualis necessariò parabat, & disponebat corpora humana ad multas, plurimasq; & pessimas dispositiones: si legatis Hippocr. in reliquo usque ad finem horum textuum uidebitis omnes morbos, qui secuti sunt hæc inconstantia tempora, fuisse pessimos, & peiores his qui in prima acciderunt: neque enim profiteor ego omnes recensere, nec totum textum exponere, omnia sunt clara, quæ sequuntur, & multi sunt morbi, quos non possemus recensere, dum tendimus magis ad nostrum intentum principale, dico solum aliquos potius, exempli gratia, quam quòd uelim de his sermonem habere longiorem: Videbitis si textum percurretis usque ad finem, quam uarij & mali morbi orientur, multi ægrotabunt & pessime habebunt, cuius rationem etiam breuiter hic recensere possumus. Quia si constitutio anni sit non naturalis sibi constans à principio usque ad finem recedens ad talem, uel talem intemperiem ægrotant solum illi homines, qui in intemperie conueniunt. si sit constitutio tota humida, qui habent humidam intemperiem solum ægrotant: alij uel nul=

li, uel pauci: sic in sicca sicci, in calida calidi. Nam qui contrariæ sunt temperaturæ resistunt illi constitutioni, non ægrotant: & si ægrotant illi, qui cum constitutione conueniunt moriuntur. At si tempus sit inæquale non constans, uarians in constitutione plurimi, & omnes ægrotant secundum inæqualitatem constitutionis, & peßime ægrotant, multiq; moriuntur, si uerum est quod modo calidum, modo frigidum, modo humidum, modo siccum & hi, & illi ægrotant, peßimos morbos ita patiuntur isti, sicut illi: est par ratio, quòd morbi omnium sint inæquali dispositione, & malitia, & non solum uerificatur in temperaturis uarijs hominum, sed etiam ratione aliorum, ut propter sexum, uel tempora, & ætates pariter omnes ægrotant in inconstantibus temporibus, sicut in hac constitutione secunda, & morbi, qui accidunt sunt perniciosi. Ideo dicit Hippocr. in Aphoris. & mali iudicij, quia male terminãtur uel ad mortem, uel faciunt recidiuas: erant deteriores, quàm in prima propter humores craßiores in corpore collectos, & crassefactos multitudine pluuiarum, & aeris craßitie spiritus sunt craßiores, obscurati, uirtutes debilitatæ omnes, stante uirium imbecillitate, & craßitie humorum resistente non poterat aliquo pacto fieri bona crisis: uirtus non regebat humores, quia multum resistebant rebelles natura. Videte modo etiam Hippoc. & uidebitis ipsum numerare omnes morbos contigisse in hac constitutione cum malo iudicio, hoc secundum principia Hippoc. & Galen. sequitur necessariò, quotiescunque uirtus est debilis, humores craßi in cor-

pore necessariò semper sequitur mala crisis: rationi post eà respondit etiam experientia: Hactenus habetis secundam constitutionem, quæ fuit in Thaso; Videbimus cras tertiam.

Declaratis iam duabus constitutionibus positis de Hippocr. in hoc primo lib. Epidemiarum, superest modo tertia, quæ quidem multum ad nos attinet, & est totum nostrum intentum in hoc anno: Nam casus omnes, ut posteà in re ista melius uidebitis, qui proponuntur in hoc lib. sunt casus, qui contigerunt in hac tertia constitutione. ideo tertia constitutio erat necessariò præscienda ad rectam cognitionem eorum, quæ dicentur in casibus particularibus. Volui uobis declarare & breuiter colligere illas duas etiam, ut totum hunc primum librum perfectum habeatis, ne haberetis opus imperfectum propter duas, uel tres lectiones: duas primas cõplexi sumus in duabus lectionibus; tertiam in hac lect. complebimus; & ita breuiter extra rem licet in re habebitis, & intelligetis omnia, quæ in hoc libro continentur usq; ad nostram partẽ quæ est de Philisco, & præter quod intelligetis ea, quæ dicemur ab Hip. non erit hoc etiam inutile uobis, quia ex his cognoscetis constitutiones temporum, & scietis in illis optime procedere sicut processit Hip. non sumus igitur frustra hactenus in his uagati, uobis utilia erant non modo ad textum, & ad ea quæ dicentur in hac parte libri, uerum etiã ad optimam temporum dignotionem, in qua decet medicum esse perfectissimè exercitatum, & maxima debet es-

se

se eius cura in hac parte. Hæc tertia constitutio est omnium pessima, quam præ manibus habemus, & ita processit Hip. ordinare in ponendis his tribus constitutionibus tanquam per tres gradus ab infima ad supremam ascendens, à mala ad peiorem, à peiore ad pessimam. Vidistis secundam peiorem prima, nunc audietis tertiam peiorem adhuc secunda, & sic omnium pessimam. Et ut in hac ordinate procedam, (et sciatis quod hoc fuit præcipuum studium Hip. ut per gradus semper ad peiorem ascenderet) primo proponam totam tertiam constitutionem, & uerba Hip. exponam, deinde ad propositum ueniemus, quæ ægritudines in hac contigerint? Dicit Hip. in Thaso eadem insula fuisse hanc constitutionem, sicut et alias duas, ponã primo uerba: IN THASO PAVLO ante Arcturum, & sub Arcturo multi, & magni spirante Aquilone imbres &c. iste est autumnus tertiæ constitutionis positus ab Hip. sicut primæ duæ incipiebant ab autumno, ita hæc tertia constitutio ortum habuit ab autumno: diuiditur hic autumnus in duas omnino partes: prima pars est incipiendo paulo ante Arcturum, fuit una constitutio aeris ante Arcturum parum sub Arcturo usque ad æquinoctium autumnale: est alia constitutio ab æquinoctio usque ad occasum Vergiliarũ, & finem autumni: Autumnus enim (ut scitis) perdurat per duos menses incipiens ab ortu Arcturi usque ad occasum pleiadum, Arcturus oritur ante æquinoctium 12. diebus: æquinoctium est circa diem duodecimum Septembris: ergo in principio Septẽbris Arcturus oriens con=

stituit autumnum. paulò igitur ante Arcturum, & sub Arcturo, idest in principio mensis Septembris, uel in fine Augusti paulo ante principium Septembris incepit constitutio aeris mutari ad statum non naturalem, pluuiæ magnæ, plurimæ spirante Aquilone ortæ sunt. Videte hanc tertiam constitutionem quo modo ualde similis erat in principio autumni cum superioribus duabus, si meministis processum earum, maxime tamen cum priori secunda in ordine: Nam in principio secundæ pluuiæ largæ, multæ inceperunt spirante Aquilone, ita in tertia spirabat Aquilo, multæ pluuiæ, & magnæ erant. Duo erant pluuiæ, & Aquilonaris uentus, quæ hanc constitutionem faciebant præter naturalem. Audiuistis heri quo modo ista duo sunt contraria, & faciunt oppositos effectus; Aquilo est uentus subtilis, tenuis, frigidus, subtilitate penetrat ad partes profundas, cum penetrarit comprimit, & refrigerat, pluuiæ propter multam humiditatem humectant, & incrassant aerem. aer ergo in contrario erat, anceps, cùm corpora penetrabat, propter Aquilonẽ penetrabat, propter pluuias humectabat: cum aer humidus penetraret deducebatur ad profundas partes ab Aquilonari uento, & incuneabatur, ut non facile posset resolui: inde obstructiones multæ factæ sunt in corpore incrassata humiditate, & incuneata, obstructionibus existentibus non poterant difflare corpora, & hoc maximum erat in tali constitutione nocumentum, quod ut recte intelligatis, Debetis scire secundum Hip. in 3. Apho. quod proprius effectus Aquilonii uenti est, ut penetret ad

ad profundum, et ita penetrat, ut ad uesicam usque perue niat, & stranguriam efficiat, obstructionesq; generet, ut urinæ non facile exeant: attrahitur deinde humiditas aquea, pluuiosa per anhelitum, et totam transpirationem: quæ cum ab Aquilonari uento comprimatur, et incuneetur magis obstructiones parit, prohibet euentationem, et inducitur putredo in humoribus corporis. Videte quàm similes fuere isti duo autumni: perdurant hic status cœli in autumno à principio Arcturi, & paulo ante Arcturum usque ad æquinoctium: ut circa 12. uel 13. uel 15. dies in totum perseuerauerit, non determinatur dies, qua incepit. ideo nos poterimus ita supponere uel paulo plus, uel minus, nihil refert, scimus quod per hoc tempus fuit una temperies aeris præter naturam Aquilonaris, pluuiosa, succeßit alia temperies in reliquo autumni ab æquinoctio usque ad occasum pleiadum, uel Vergiliarum usque ad finem autumni principium hyemis, quando Sol ingreditur primum punctum Sagittarii: in toto hoc tempore longiore pluuiæ non cessarunt, loco Aquilonii succeßit auster: stante igitur Austro pluuiæ erant. uideatis Hip. quid dicat. AB AEQVINOCTIO usque ad Vergilias &c. incipiendo ab æquinoctio usque ad principium hyemis fuit tempus pluuiosum, Austrinum, pluuiæ autem erant paucæ, & modicæ: Notate quare dixit paucæ modicæ? non immerito hoc additum est ab Hip. quia superius in prima parte autumni dixerat pluuias magnas, multasq; fuisse, ad differentiam hoc addidit: Quare autem duplicauerit uerba, magnæ multæ, paucæ modi-

cæ interpræatur Gal: in comment. dicens quod Hip. per magnas oſtendit quantitatem, per multas uices, ita ut ſæ=pe plueret, melius magnitudo ſignificat quantitatem con tinuam, in magna erant quantitate, ſed multitudo quantita tem diſcretam, uel numerum uicium: ſcitis enim duas eſ=ſe ſpecies quantitatis continuam, & diſcretam, ut habetis in prædicamentis. in hac ſecunda parte autumni Auſter flabat, pluuiæ paucæ, modicæ, ideſt paruæ in magnitudine & quantitate continua, & paucæ in quantitate diſcreta, & in numero, in uicibus, rarò pluebat & modicùm: lar=gæ uero quod in ſuperioribus etiam addebat, quando dice bat: imbres multi, magni, largi ſignificat magnas pluuias, repentinas, & uehementes fuiſſe, ita ſi bene aduertiſtis ſtatus principii autumni humiditatem habuit, fuit humi=dus ſpirante Aquilonari uento, pluuioſa fuit humiditas do minans non uaporoſa. Sed habuiſtis ſuperius, quod nunc breuiter repeto humiditatem duplicem eſſe alia eſt plu=uioſa propter pluuias, alia uaporoſa propter nebulas et caligines: hoc audiuiſtis, oportet modo ſupponere, quòd totus autumnus huius conſtitutionis fuit humidus non u=nica humiditate: nam duplex in eo erat humiditas, à prin cipio uſque ad æquinoctium humidus humiditate pluuio=ſa, erant pluuiæ magnæ, multæ: ergo craſſa, obſcuraq; humiditas, quæ ab æquinoctio uſque ad finem uaporoſa fuit humiditas non pluuioſa: licet etiam aliquæ fuerint pluuiæ, paucæ tamen & modicæ. Itaque autumnus omni=no fuit humidus duplici humiditate partim propter plu=uias, partim propter nebulas & uapores adiunctis pau=

cis

cis pluuiis modicis. Hæc quantum ad paßiuas qualitates attinet, fuit autumnus humidus, qui debebat eße ſiccus ſecundum ſuam temperaturam cum hac humiditate poſtea caliditas addita fuit. Quantum ad actiuas qualitates caliditatem, & frigiditatem à principio fuit frigidus, in ſecunda parte cum humiditate calidus: unde magis ſuffocabantur ſpiritus, & humidiora corpora efficiebantur: Quod ut intelligatis, audiatis, oportet meminiſſe quemadmodum Aquilo frigidus et ſiccus eſt uentus, qui dominãs in principio autumni reddidit eam partem frigidam cum humiditate pluuioſa: ſic Auſter eſt humidus & calidus: ideo cũ caliditate humiditas dominabatur in ſecundo tempore. quantum autem faciant ad ſuffocationem maximè ſpirituum manifeſtum eſt, & præſertim quando humiditate caliditas remiſſa adiungitur qualis eſt in hoc autumno; ita calidus eſt, ut potius tepidus dici debeat. Videte quàm peßimus autumnus totus inæqualis, intemperatus: erat primo inæqualis quoad qualitates paßiuas, modo pluuiæ, modo nebulæ, quæ diuerſos effectus producunt: inæqualis etiam in actiuis modo frigidus, modo calidus, non poteſt eſſe peius tempus, in omuibus qualitatibus inæquale, neceſſariò parabat corpora ad multas, & peßimas ægritudines: Nam ſicut quando conſtitutio temporis autumnalis eſt regularis, corpora conſeruantur in ſanitate, ſana degunt: ita quando eſt inæqualis, & irregularis morbi ſunt expectandi, & quidem mali iudicii, ut habetis ab Hip. in eo. 8. Aph. tertiæ part. ſupra citato: hic autumnus erat inæqualis intẽperatus, ſicq; expectandæ

dæ malæ ægritudines, ita proceßit autumnus. Sequuta est hyems intemperata non in propria natura frigida & sicca: audiatis Hip. HYEMS aquilonia, frigidi uenti & squalores &c. Notate hyems fuit frigida spirante Aquilone cum magnis niuibus squalida, & sicca: sicca quidem ad bonum sensum non eodem modo quo dicunt Grammatici proprietatem uerborum inquirentes, non accepit siccitatem eo modo, uel squalorem Hipp. Nam id squalidum est quod habet partes incontinuatas propter plurimam siccitatem, quod à Græcis proprie dicitur ἀχμηρός uel αὐχμηρὸς dicatis quomodocunque, & est proprie quando terra est arida in medio æstatis maximis æstibus, ita ut propter maximam siccitatem terræ partes inuicem separentur, & apparet incontinuata: uidistis credo, sæpe in æstate tellurem habere multas scissuras & hyatus prouenientes ex partium incontinuitate, & separatione: aperitur etenim terra hæc à nimia siccitate, summa scissura in ea efficitur: inde partes incontinuatæ efficiunt asperitatem, & inæqualitatem in superficie: hoc proprie dicitur αὐχμηρον à Græcis, à nostris squalidum, cum dicit Hip. hyems fuit squalida, αὐχμηρά non credatis, ut notauit Gal. in prima constitutione posita, quod Hip. intelligat illam magnam siccitatem, & ariditatem, hoc apud Hip. non sonat squalidum, uel αὐχμηρόν græcè, sicut siccitas est in media æstate, quando terra aperitur, nunquam est tanta intemperies sicca in hyeme, ut partes terræ disgregentur, & scindantur, sit quantumcunque magna, sit intensa quantum uult.

in=

intelligendum ergo est squalidam fuisse hyemem, siccam tanta siccitate, quanta potest in hyeme contingere innaturaliter disposita, non est intelligendus crasso modo Hip. *omnia ad bonum sensum accipienda sunt.* Erat igitur *(inquit) hyems sicca, arida, frigida,* Aquilonarisq; *: meritò, si meministis, dicebamus superius, quod* Aquilo est *uentus, qui semper refrigerat & exiccat, quotiescunque spirare incipit, semper refrigerat, exprimit humidum, et exiccat aerem : si hoc perpetuo sequitur ad* Aquilonem, *& in quocunque tempore spiret, quanto magis in hyeme, quæ naturaliter disposita in propria manens temperie est frigida, & sicca : quod si humida uideatur non est ratione sui, sed propter pluuias, in hac hyeme nihil erat, quod humectaret aerem, non pluebat,* Aquilo *spirabat.* Q*uare necessariò debebat sicca esse hyems, omnia adiuuabant ad siccitatem, frigida etiam meritò, quoniam* Aquilonaris *præter propriam temperaturam :* MAGNAE NIVES. N*on miremini, quod inferat etiam niues fuisse et magnas, quod niues humidæ sint; neque tamen impediunt niues aeris siccitatem, potest esse siccitas aeris, & tamen nix magna decidat, hoc præter rationem uidetur.* Vos *uidistis anno elapso, in quo primùm plurimæ, & maximæ fuerunt niues : deinde successit* Aquilo, *spirauitq; per multos dies, qui ita constipauit, & compressit niues, aerẽ refrigerauit, & omnino niues congelauit, ut supra terram permanserint per duos mẽses quandoque, uos experti estis anno præterito cum uestro damno, & si niues erant in terra, tamen aer lympidus, lucidus, clarus, & siccus*

cus erat, e'l strizegaua, apparebant niues usque ad æqui=noctium uernum, in hac aeris constitutione niues magnæ erant congelatæ, terra humida propter niues, sed uer sic=cũ flante Aquilone, ut etiam terra sicca ex congelatione uideretur: IAM SVB æquinoctium frigora maxi=ma: Erat necessarium, ut esset maximum frigus, quia fla bant uenti frigidi, ut dicit in textu, erat nix congelata su=pra terram, quæ maximè refrigerabat aerem: tota igi=tur hyemis constitutio breuiter fuit ista frigida & sicca Aquilonaris: VER AQVILONIVM, squalores, pluuiæ paucæ, & frigidæ, &c. Erat sperandum quod uer naturale & salubre succederet; si debebat esse salu=bre, quod spirarent uenti zephyri, ut spirant in debito ue re, quod de se temperatum existit, ita aer fuisset contem=peratus in suis qualitatibus, & colliquarentur niues, & tempus rediret ad suam naturam, ita forsan quod uitium secatum erat ex hyeme non naturali remoueretur, et cor pora bene ualerent, ut solent in uere temperato: sed quid contigit circa æquinoctium? inceperunt perspirare Aqui lonij frigidi & sicci, cum tamen deberet esse calor in ue=re cum humiditate temperata: ista est temperatura au=tumni, non ueris, paucæ pluuiæ: parum enim pluebat, nõ humectabatur aer ex illis paucis pluuijs. ergo siccum eo=dem modo uer fuit frigidũ Aquilone spirãte. uideatis nun quid adiuuaret ad remouenda uitia hyemis & autumni non naturalis, potius augebat maleficium, hæ qualitates dominabantur in uere præter naturam: & quantũ per=durauit hæc constitutio? per duos menses, sicut est uer, di=

dicebam in superiori lectione uer complecti ferè duos perfectos menses. fuit ne per hos menses talis constitutio? perdurauit usque ad canem, canis oritur, quando sol ingreditur Leonem: ortus autem Leonis est circa 11. uel 10. uel circà Iulij, perdurauerunt magna frigora à principio ueris Aquilone flante usque ad principium canis, frigiditas magna fuit in his mensibus, multis & multis diebus perseuerauit, comparatæ uosmetipsi, incepit à principio ueris, idest, in principio Martij paucis diebus prætermißis: Martius ergo Aprilis, Maius, Iunius cum illo pauco Iulij quod supplet defectum Martij per hos quatuor integros menses durauit hæc constitutio aeris frigida, maximeq; sicca cum paucis pluuijs, Aquilonaris: Notetis Hippoc. inquit CIRCA SOLSTITIVM æstiuum imbres pauci, magna frigora usque ad canem, magna fuit hæc intemperies, ut etiam circa solstitium æstiuum circa principium cancri tanta fuerit, quod non modo non erat calor, qui eo tempore maxime uiget, sed frigora erant, & quidem magna dicit Hipp. Nam uidete modo, si debebat esse magna intemperies, ut eo tempore, quo dominari solet contrarium in summo, dominetur alterum contrarium & in summo, ista sunt perpendenda, frigora erant & magna, non miremini: Nam ego memini quandoque fuisse tam magna frigora in media æstate circa solstitium æstiuũ in die sancti Ioannis Baptistæ, ut oportuerit me tota illa die mansisse apud ignem, quãdo debebat esse æstus & debebam uentilari, perdurarunt hæc magna frigora non propter aliud, quàm propter uentos frigidos

dos, quia semper spirauit Aquilo flatus frigidißimus, non est audiendum hoc aliter, neque aliter potest intelligi fuisse, sicut in superioribus temporibus frigora fuerunt, ita in æstate, spirabant uenti frigidi, Aquilo, qui & in illis spirare solebat, fuerunt omnia similia tempora, & eadem cõstitutio ferè perseuerauit, sed modo pluuiæ, modo non, modo pluuiæ multæ magnæ, modo paucæ modicæ, totum hoc tempus usque ad 2. uel circa Iulij quando oritur canis. VSQVE AD canem, postea quid contigit. A CANE AD ARCTVRVM usque æstas calida, æstus magni &c. Notetis, dicit repente inuaserunt maximi calores, & feruentißimi æstus continui uehementes, non crescebant paulatim, heu quàm peßima constitutio, nunc in uigore æstatis magna erant frigora, debebat sensim aer alterari ad contrarium, & calefieri: sed statim & repente inceperunt maximi æstus suffocantes magni, & continui, non intermittebant, consideranda sunt omnia ista: putate per uos an corpora deberent languescere, & uirtutes debilitari: natura enim non tollerat mutationes repentinas, cum neq; ipsa inoperando faciat saltum, procedit ab extremo ad extremum per aliquod medium, multum passa est ex hac repentina mutatione, non perdurauerunt autem isti æstus magni, nisi usque ad principiũ Arcturi per duos menses ferè, idest, usque ad principium Septembris in quo incipit autumnus, & finitur æstas, hoc tempus ita præter naturam fuit constitutum. Notetis igitur quod Hipp. non frustrà dixit illud, repentini, & addit, magni, non sensim increscentes non ĩnteruallo, sed continui, sine plu-

pluuijs ſpirauerunt eteſiæ: Dicebamus ſi recte memoria tenetis, quòd eteſiæ uenti erant, qui eo quòd certis, ſtatutisq; temporibus anni ſpirabant ſtatim poſt canem, dicti ſunt ἐτησίαι, ſunt uenti benigni, poſt ortum canis exurgentes; & generantur quemadmodum dicebatur ex Ari. ſententia in ſecundo Meteororum, & bene, quoniam ſol propinquus exiſtens aquilonaribus regionibus frigidiſſimis, in quibus niues, & aquæ ſunt congelatæ, colliquat, facit exhalationes multas non reſoluens, ex quibus exhalationibus fiunt eteſiæ maiores, uel minores ſecundum potentiam caloris ſolaris, & copiam exhalationum. Eſt autem uentus iſte frigidus omnino ſimilis Boreæ, benignior & mitior; imò plus dicam, eſt ipſemet Boreas humidior & benignior, remiſſior: dicitur eteſia non alia ratione, niſi quia certo tempore cuiusq; anni flare incipiat, ut ſignificat eius nomen apud Græcos ἐτησίαι ab ἔτος, eſt uentus ordinatus, & quaſi autumnalis, aura moderata, ſuauis in æſtibus magnis: CIRCA arcturum &c. fuit æſtiua illa tempeſtas ita diſpoſita uſque ad Capricornum, circa principium modo Arcturi alia fuit aeris diſpoſitio; & eſt ultima pars huius conſtitutionis, circa ortum Arcturi in principio autumni inceperunt flare auſtri uenti, pluuiæ erant, totum tempus humidum fuit auſtrale, pluuioſum, & perſeuerauit à principio Septembris, in quo oritur Arcturus uſque ad æquinoctium uerum: ut dicit Hippocr. in textu, æquinoctium uerum fit circa aliquot dies Martij, uidiſtis hoc ſuperius non eſt repetendum. igitur longiſſima fuit ultima pars conſtitutionis, quæ durauit

ferè per ſex menſes: nam Arcturus circa principium Septembris oritur, æquinoctium uernum circa x. uel xi. uel circa Martij totum tempus inter medium fuit præter naturam humidum auſtrinum, September, October, Nouemb. December, Ianuar. Febr. & pauculum Martij, per tres menſes integros durauit ſi bene computetis: Fuit iſta conſtitutio peßima in qualitatibus: ergo & peßimas parabat ægritudines. Conſideremus modo effectus huius conſtitutionis, quo nam potuit producere effectus, in hac erit utilitas maxima, uidebitis quantam uobis id afferet utilitatem tum circa curationem, tum circa artem prognoſticandi: hic erit effectus huius noſtri conſilij; credite mihi ſi unquam alia nobilis fuit lectio, aut pars iſta erit: ſi unq̄ alia lectu digna hæc eſt illa & ad cognoſcendum morborum, eſſentiam, & ab futuram prædictionem, & ad eorum quæ præter naturam ſunt remotionem maxime faciet. Notetis modo effectus huius malæ & peßimæ conſtitutionis: Autumnus in hac conſtitutione fuit humidus humiditate aquea; in fine uero uaporoſa, fuit inæqualis; ergo & diuerſos effectus facere debebat; non eundem producunt effectum hæ duæ humiditates, Aquea enim humiditas ex ſententia Gal. à quo nunquàm recedimus, maxime humectat aerem, aer corpus: uaporoſa magis quidem penetrat ad profundum corporis, non tamen ita humectat, ſicut aquoſa, & pluuioſa humiditas, in principio autumni erat quidem humiditas pluuioſa, tamen maxime humectauit corpora, ut audietis, penetrauit ad profundum, neceſſariò aere humectato multitudine pluuiarum reddita ſunt

cor-

corpora excrementoſa, plenaq́; ſuperfluis humiditatibus: & ſcitis quod præceßit caliditas æſtatis, quæ relaxauit cutim corporum, dilatauit omnes meatus, reſoluit corpora, & ſpiritus conſumpſit, uirtutes omnes debilitauit, concoctiones & omnes operationes non potuerunt perfici debili uirtute, multa excrementa collecta ſunt, ſucceßit humiditas pluuioſa, aquoſa, craſſa: quæ licet craſſa ſit, tamen, inueniens corpora iam rarefacta à caliditate æſtiua facile penetrauit. unde magis aucta ſunt excrementa, & humiditates ſuperfluæ: frigiditas autumni ab Aquilone producta compreßit, & craſſefecit, illa excrementa; incuneauit, ut non facile poſſent reſolui & ſeparari, coſtipauit corpus, & ita neceſſariò parata corpora erant ad ſuſcipiendas ægritudines: ſucceßit ſecunda pars autumni auſtrina, humida humiditate uaporoſa, adhuc magis auctæ humiditates in corpore, ſpiritus obſcurati, calor debilitatus: neque illa pauca & remiſſa caliditas proueniens ratione Auſtri reſoluit excrementa, ſicut deberent reſolui, ſi parum adiuuari debebant ea corpora, potius tepiditas iſta ad maleficium augebat, rarefecit enim magis, & laxa reddidit humana corpora: ex quo humiditas uaporoſa poterat etiam facilius penetrare, & augere excrementa impreſſa & incuneata magis obſtructiones multas generare: tota hæc pars, ut uidetis, impleuit homines multis humidis excrementis. Vnde debebant expectari morbi mali, hos effectus produxit autumnus non naturalis, inæqualis auxit magis repletionem redundantibus excrementis. Acceßit hyems frigida & ſicca, quæ adiuuit ad maleficium,

inuenit factam repletionem, constipauit meatus corpo= rum, expreßit humiditatem magis, atque magis. Quare incuneata sunt & crassefacta corpora, omnino obstructa, & condensata: ita permansit etiam uer, per omnia ista tẽ pora, auctum fuit in corpore maleficium: uidete & atten dite ad quid præparabantur homines. Æstas deinde, quæ debebat esse calida & sicca secundum naturam, debebat re soluere excrementa collecta in præcedentibus tempori= bus, fuit æstas frigida Aquilonaris, non potuit resoluere ista excrementa & humiditates collectas, imò illi qui ha= bebant excrementa permanserunt ita repleti, & quoti= die replebantur humiditatibus excrementitijs, uirtus ex repletione debilitata non poterat concoctiones efficere, expulsiones malæ excrementorum, & omnes operatio= nes deterius efficiebantur: neque etiam purgabantur cor= pora per resolutionem: quandoquidem à frigore consti= pata erant; omnia repletionem augebant. In hyeme puta= te quæso, fuerant niues magnæ, humiditas magna ex his impressa non potuit resolui à caliditate ueris, æstate fri= gida adhuc non erat resolutio. ergo necessariò repleban= tu quotidie magis uiribus imbecillibus, quæ non expelle= bant sicut debebant in tam innaturali constitutione: dura= uit frigiditas in aere usque ad ortum caniculæ: quomodo uolebatis excrementa diminui, & corpora expurgari? sicut in æstate & uere solent, si excrementa quotidie au= gebantur, & illa non resoluebantur, nec per expulsio= nem euacuabantur: certe credendum est, quod erant ad= modum repleta illa corpora cessante frigiditate ab ortu

ca=

canis statim, repente inuaserunt uehementißimi æstus, quoniam uidetur, quod debuissent præficere, sed magis nocuerunt, ita repente inuadentes non potuerunt resoluere humiditates & excrementa collecta, colliquata sunt potius in uenis, resolutioni necessaria est alteratio succeßiua, & aliqua præuia dispositio: sed hic adhuc erant obstructiones multæ, corpora constipata, humiditates incuneatæ, non potuerunt isti æstus etiam maximi resoluere, colliquatæ sunt, & humidiores effectæ: peßimæ sunt mutationes omnes, quæ repente, & sine præparatione fiunt, ægritudines parant, & in omnibus uniuersaliter damnandæ. unde habetis, Mutationes temporum pariant ægritudines in tertio Aphoris. & in libro de locis, aere, & aqua dicebat Hippoc. quod nihil potest esse deterius, quàm mutationes temporum, uel aliorum quorumcunque aeris, locorum repentinæ: Nam multum abhorret à natura motus repentinus; quod etiam affirmabat Arist. natura, dicebat, ordinata procedit ab extremo ad extremum non sine medio, omnia media pertransit, non facit saltus natura, pedetentim & ordinate procedit, abhorret omnes repentinos motus: quia ducunt ad interitum. Merito igitur & opportune Hipp. addidit illud repente, inquiens repentinos & magnos succeßisse æstus ab ortu canis, qui inuenerunt magnam imbecilitatem corporum, adhuc debilitata resoluerunt, calorem innatum, suffocantes; humores à debili uirtute & calore non sunt resoluti: quoniam imbecillibus uiribus omnes operationes fiunt deteriores, & diminutæ; bene colliquati, calor debilis bene potuit colliquare hu-

mores & excrementa; sed non resoluere & si magni essent æstus: quia æstus sine calore naturali non possunt colliquare aut resoluere, qui secundum eius proportionē & ipsi fortius, & debilius agunt: omnium enim operationum in corpore natura est operatrix: alia sunt instrumenta, & ita ab his repentinis æstibus quantum attinet ad corpora, illa non potuerunt adiuuari, imò magis debilitata, quia æstus suffocabant calorem, colliquabant etiam humores: ex quo præparata corpora humana sunt ad plurimas ægritudines. Quantum ad terram etiam æstus, & calores isti uehementes potius fuerunt nocumento, & maleficio, quàm iuuamento, inuenientes terram humidam & ratione autumni præcedentis humidi, & ratione niuis, quia erant magnæ niues in hyeme: quibus imbibita terra adhuc interius humida, licet à frigore fuerit exterius exiccata & constipata, quid fecerunt æstus repentini. aperuerunt terræ meatus, tota humiditate colliquata est non potuit dare terminum resulutionis ista constitutio: ideo meritò & digne posuit illud Hippoc. in textu, magnæ niues, quibus resolutis uapores exhalarunt multi, aer male effectus: quid secutum est audietis, ergo æstus repentini mali fuerunt, & quoad corpora ipsa, & quo ad terram: quia resolutis uaporibus exterra humectata, aer humidus factus adhuc magis augebat humiditates corporum, & debuisset exiccare, & resoluere. Vnde Hippocrat. in tertio Aphoris. quando dicebat. Si uer pluuiosum fuerit, & sequatur æstas calida & sicca &c. credo quod sit xi. Aph. Gal. in commento reddit rationem, quare malū sit

ſit tempus, & inquit, madida exiſtente terra ex illa multæ exhalationes fiunt, & nihil uapores à calore æſtatis, qui imbibuntur in corporibus, et ſequuntur ægritudines, febres acutæ, ophthalmia, & aliæ quæ connumarantur: hæc eſt ſententia Hip. et Gal. in illo ſi recte memini. 11. Apho. tertiæ particulæ: Vnde conſentaneum rationi eſt quod cum in re noſtra corpora excrementis humidis repleta fuiſſent à præcedentibus temporibus non potuerũt reſolui, quia frigora durarunt magna continue, corpora male haberent, ſucceſſerunt æſtas repentini, calores uehementes, qni inuenientes ipſa repleta non potuerant ita ſtatim reſoluere, & conſumere: ſed colliquantes, & euaporantes à terra exhalationes imbiberunt corpora, & ita non modo non potuerunt corrigi uitia præcedentiũ temporum, ſed etiam magis pararunt ad malas diſpoſitiones; & neceſſarium erat quod fierent ægritudines, de quibus narrat Hip. in hac conſtitutione, ut uidebimus, uideatis quid conſecutum poſt ea eſt. quid ſubſecutum eſt? inquit Hip. circa ortum Arcturi in principio Septembris, & ab ortu canis uſque ad æquinoctium uernum, cum fuiſſent maximi, & repentini æſtus, ſecutæ ſunt auſtrinæ pluuiæ, quid peius potuit conſequi, uidete quàm mirabilis Hip. ut ponat ſemper augeri per gradus hanc conſtitutionem, par erat, ut fierent hæ pluuiæ, cum à principio anni & huius malæ conſtitutionis humiditas, & in hyeme niues materia pluuiarum abundauerit, ſecuti deinde æſtus qui uapores auxerũt, ſequutus autumnus frigiditate ſua condenſauit exhalationes, & factæ ſunt pluuiæ, adiuuerunt

etiam hoc flatus Austrini, qui perpetuò spirarunt, terra prægnans erat humiditate, quæ in uapores resoluta fuit, & semper materia pluuijs suppeditabatur, non deficiebat materia, & exhalatio. Vos uidistis quàm humida erat terra & niuibus colliquatis, & humiditate autumni: Austri postea auxerunt pluuias, qui sua natura pluuiosi sunt, perdurauerunt pluuiæ usque ad æquinoctium uernum per sex menses integros, per totum hoc tempus male ualebant homines, & ad putredinem parabantur, si bene notauistis qualitates & processum huius constitutionis certe mecum fatebimini hanc esse peiorem superiori, quam heri recensuimus. Videatis primo autumnus fuit nõ naturaliter humidus, inæqualis modo propter pluuias, modo propter nebulas, et uaporum multitudinem: hyems frigida, & sicca, uer eiusdem naturæ, æstas etiam frigida, statim successerunt maximi, repentini æstus statim inquã post canem, qui non potuerunt resoluere humiditates excrementitias, tum quoad corpora, tum quoad terram: quoad terram quidem humiditates, quæ in terra erant colliquatæ fuerunt à magnis æstibus repente factis, eleuati uapores: successerunt deinde flatus Austrini, qui humidi sunt. necessario ergo debebant sequi pluuiæ in autumno. ideo Hip. dicit pluuiæ factæ sunt, quæ perdurarunt usque ad æquinoctium uernum, ista tempora cum tam mala, & intemperata fuerint, ut uidetis non potuit nisi malum aliquod consequi, necessarium erat, ut corpora replerentur, & multis, ac plurimis abundarent excrementis, humiditates augerentur, & tota corpora pluuiis imbiberen-

rentur, putredines pararentur, ex quibus deinde fierent morbi uulgares & uniuersales Epidemici, qui multos simul inuadunt homines, sicut secuti sunt, ut modo uidebitis in sequentibus lectionibus isti sunt morbi, quos nunc aggredi uolumus, iam diximus, & enumerauimus quàm breuiter fieri potuit omnes constitutiones ab Hip. in hoc libro singillatim positas nunc his suppositis declarabimus casus, qui acciderunt in constitutione tertia, & accedemus ad Philiscum, qui primus est, & hæc hactenus diximus, ut continuaremus nostra dicta, & ea quæ ab Hip. docentur à nobis interpretanda. Videtis continuationem, positis constitutionibus reliquum est uidere morbos particulares, qui secuti sunt: Neque omnes hic numerabimus, dimittam multos sicut & Hip. dimisit, eos tantum qui sunt insigniores attingemus, ideo Hip. solum eos, qui in hac tertia & ultima constitutione contigerunt enarrat. quare debetis meminisse, quæ superius dicebamus, tres sunt constitutiones, quas ordinatissime posuit in hoc lib. ac si essent tres quidam gradus unus altero peior. Hip. conatus est secundum eorum malitiam ordinem etiam constituere, & primo posuit primam, quæ mala est absolute, bona respectu duarum sequentium: unde hòmines, qui ægrotabant euadebant, & sanabantur: secunda peior erat, ideo & secundo loco posita est: tertia pessima omnium, quod hoc sit uerum uideatis & discurratis per totam hanc constitutionem omnes, qui ægrotabant mortui sunt, erat tanquam superlatiuum respectu sui comparatiui, & positiui. Et quia Hip. erat maximus, & ingenij altissimi erat

nun-

nunquam docere uoluit ea, quæ ſunt uulgata, imò ſuum fuit in hoc præcipuum ſtudium, ſua diligentia, & ma= magnanimitas, ut quæ omnes ſcirent prætermitteret, dif= ficilia, & digna doceret, hoc in eo eſt perpetuum: certe mirandum eſt ingenium huius hominis, & breuitatis, & dignitatis in loquendo ſemper ut aliàs ex ſententia Gal. uobis oſtendi, fuit amator mediocria omittere, quæ ſub captum uniuſcuiuſque cadunt, mirabilia & quæ non niſi à doctis intelliguntur accipiens. hac igitur de cauſa caſus particulares notatu dignos non omnes, ſed inſigniores, qui in tertia conſtitutione peßima omnium acciderunt uobis annotauit non morbos aliarum conſtitutionum, quia ſalubres erant: in hac tertia peßimi & inſalubres omnes fuerunt, cuius rei ſignum eſt illud manifeſtum, quod inuenietis omnes periiſſe, nullus ferè ſaluatus: hoc audietis, habebitis difficiliores morbos, & caſus particu lares lætales. in tertia conſtitutione, hæc fuit ratio ordi= nis, & doctrinæ Hip. in hoc lib. habetis noſtrum progreſ ſum: quod ſumus progreſſuri poſt hac curationes mor borum particularium: ſed hic unum notandum eſt, poſt ea dimittam uos: ſciatis in his tribus cōſtitutionibus per capita ſolum repetitis Hip. non fuit idem progreſſus, non idem ordo: uidetur ipſe principaliter intēdiſſe ita pro= gredi, ut primo poneret conſtitutionem temporis, ſecun do caſus, qui contigerunt & ægritudines Epidemi= cæ: aliquando prognoſtica, & curationem: Sed ante= quam ad caſus particulares, quos uolumus exponere ac= cedamus poſt conſtitutiones ſunt quædam inter media,

uariæ ſententiæ,uarii tractatus, modo de febribus, modo ponit Apho. modo de morbis particularibus,neſcio quæ inepta ita ſine ratione fuerint interpoſita,cur non exponis poßet aliquis obijcere. Hic debetis ſcire,quòd illa intermedia non ſunt germana,nec propria Hip. Sed quomodo ſint ibi adiuncta audiatis rationem et cauſam ſecundum Gal. ſententiam,non ſunt digna Hip. minus ordine Hip. ita ineptè interpoſuiſſet tantus uir, nunquam feciſſet id. Sed ſcitis quid fuit? Gal. in ſecundo de natura humana in procœmio quod præmittit reddit cauſam, eo quia Hip. non multa edita erant ſcripta, pauca admodum edidit præter ea etiam,quæ ad nos peruenerunt, circunferebantur tamen multa ſcripta aliorum uirorum, et Doctorum inſigniorum,& illuſtriorum, ſicut nunc etiam circunferuntur ſcripta huius,uel illius magni Doctoris, quid factum eſt? Poſt mortem Alexandri cum res bellicæ deſinerent pace iam exiſtente inter omnes, Attalus,et Ptolomæus in Ægypto cæperunt æmulari inuicem doctrinis,& ſcientijs,ac ſtudijs quietioribus contendebant habere maximos uiros docentes,& libros magnorum uirorum; Id non diuulgabatur, quod uterque deſideraret edicto publicato, quòd hi qui regi libros illuſtriorum hominum afferrent pecuniam eſſent accepturi, tantum pro tanto libro etiam precio determinato, ut magnos libros afferentes multam pecuniam relaturi,qui paruos paucã: inceperunt corrumpi homines, et auari pecuniæ inſurrexerunt,ut multum lucrarentur, ſicut ſæpe contingit noſtris temporibus in rebus honeſtis non curantes doctri-

nam,

nam, ſed omnia pro pecunia menſurantes quid fecerũt? inceperunt excogitare quomodo multum lucrarentur: ideo portabant libros alicuius magni Doctoris, & inſcribebant alicui ex ueteribus celeberrimo, ueniebant qui inſcriberent libros Hippocratis, quos nunquam conſcripſerat, non deerant qui inſcriberent alijs doctis uiris, ut etiam aliqui eſſent, qui inſcriberent Orpheo, & multis alijs, ut uidebant fuiſſe magnos. hac de cauſa multi libri inſcripti ſunt Hippocrati, qui non ſunt ipſius. aliud imaginabantur, quando inuenirent libros Hip. qui parui eſſent, ut magis augerentur, quoniam exigebant pecuniam ſecundum eorum magnitudinem, acceperunt libros aliorum Authorum, et ſimul coniunxerunt ſub nomine Hip. ſicut dicit Gal. de libris illis de natura humana, ita fecerũt in his: cum enim liber de conſtitutionibus, et caſibus particularibus, qui eſt primus Epid. paruus eſſet, ſolum continet tres conſtitutiones, quas recenſuimus, & hos paucos caſus ægrotantium, addiderunt iſta, quæ ſunt in medio, maiorem pecuniam à Rege exigentes. addiderunt autem ſicut de natura, de uenis, & conſimilia: quæ negotio propoſito non conueniunt, & præter rem intentam ſunt. Ex quo factum eſt, ut poſt hac ſemper ſub nomine Hip. ederentur, & circunferrẽtur, hæc eſt cauſa cur inuenietis multos libros, qui continent multa non digna Hip. eo modo & de Gal. poßemus dicere, multi ſunt libri utriuſque ſpurij: ſed qui Hippocrati inſcribantur & non ſunt ipſius ab auaris fuerunt inculcati: auaritia omnia corrumpit, ut augerẽt pecuniæ exactionem, condiderunt li-

libros Hip. semper fuerunt auari, sicut & nostro tempore multi reperiuntur. itaque non miremini, quia hoc non est nouum, est antiquum, pecunia multa facit.

Vidistis in præcedenti lectione constitutionem tertiã Hip. quàm mala fuerit, & inæqualis quandoque Austrina, aliquando Aquilonaris, modo cum pluuijs, modo sine pluuijs, & cum nebulis, modo frigida, modo calida, modo humida, modo sicca. Audiuistis, quæ sequebantur, et qui effectus fuerint huiusce constitutionis: & si comparetur ista tertia omnibus alijs superioribus facile iudicabitur peior, & se habere tanquam superlatiuum ad comparatiuũ, & suum positiuum. cum enim sint tres constitutiones istæ (ut notauimus) sunt tanquam tres gradus, ac si eßet quædam scala: prima mala: secunda peior: tertia de qua loquimur, peßima, idest in tertia fuerunt peßimæ ægritudines cum symptomatibus sæuis: aliæ non ita malæ erant, quia ægritudines, quæ fiebant in illis erant mitiores, & meliores non cum sæuis symptomatibus. Quod uidens, & obseruans Hip. ita ordinauit has constitutiones in hoc libro secundum earum malitiam, & solum posuit, et adnotauit eos casus particulares, qui contigerunt in tertia constitutione dignos maxime notatu: quoniam Hip. semper sectatur ea, quæ sunt digniora et rariora, nec ea quæ sunt nota uulgo, ut dicebamus: neque enim posuit omnes etiam casus tertiæ, sed ex his solùm mirabiliores, et insigniores. unde uidetis quod illi ferè omnes sunt mortui. Debetis scire quod in hac tertia constitutione peßima mor=

morbi Epidemici diuulgabantur, & erat pestis, in qua multi & ferè omnes ægrotabant. ideo nimis longum, & tediosum fuisset omnes casus recensere, Hip. tantum sumit insigniores ex his, ut per unum eorum multos consimiles, qui accidebant consideret, sicut Epaminundã, duos Epigenis fratres Philiscum, & Silenum, & alios consimiles. creditis uos quod in tam mala constitutione uniuersali aeris isti tantum infirmarentur? Nam multi alij ægrotabant, quos Hip. non recenset, quia prolixißimum esset: & quoniam sub his multi alii continentur, qui eodem morbo laborabant enumerat eos, qui erant insigniores. hoc manifestum est, sed quod modo isti casus omnes positi in hoc libro sint casus, qui contigerint in tertia constitutione, non in alijs hoc etiam probatur per ipsummet Hip. ea quæ ab Hip. dicuntur in secunda sectione hoc declarant, ubi de Philisco, & Sileno mentionem fecit, quod ægrotauerint in ea constitutione, tamen ponuntur in tertia sectione, Videatis cum loquitur de Epaminunda et de fratribus Epigenis, sententia ita incipit: Vt duo fratres, qui habitabant prope Theatrum &c. ibi dicit Hip. multos infirmos perijsse, qui in hac tertia constitutione laborabant, & dat exemplum de Philisco, & de Sileno. ergo non est à nobis in hoc dubitandum Philiscum inquam, & alios, qui sequuntur non fuisse ægrotos in tertia constitutione omnium peßima: Antequam accedamus ad casum prius adnotandum est unum à uobis in hac constitutione, quod etiam notauit Hip. omnes illi qui liberati sunt, sunt liberati, quia habuerunt recidiuam, & qui inciderunt in

hos epidemicos morbos ſi non faciebant recidiuam,omnes moriebantur,non liberabantur ab his morbis: opus eſt ſpeculatione,cur propter recidiuam liberi euadebant. ſed quoniam ad noſtrum propoſitum accedere uolumus non immorabimur in hoc: unum eſt uniuerſale habendum in caſibus omnibus,quos exponemus, quod omiſit Gal. hoc eſt mirabile Hippoc.tamen notauit inquiens ſe neminem uidiſſe,aut nouiſſe ex his ægrotis,qui ſaluatus ſit niſi recidiuam fecerit,uideatis aperte in ſecunda ſectione huius primi libri in ea ſententia: Vt duo fratres &c. hoc eſt notatu dignum:uidebitis, et Ego hoc obſeruaui omnes, qui ſaluati ſunt in hac conſtitutione incidiſſe in recidiuam, obſeruaui ſolum unum ſaluatum ſine recidiua: Vos etiam uidebitis.ideo dixi,& dico ferè omnes eſſe ſeruatos: euaſit.n. unus propter multam copiam ſanguinis, quæ fluxit e naribus.hæc in tribus lectionibus de conſtitutionibus diximus & conſiderauimus,nunc modo in ſingulis his caſibus conſiderabimus & primo in Philiſco cauſam mortis & ſalutis,quare aliqui ſunt ſaluati,alij non, habitis his ut habeatis omnia quæ haberi debent incipiamus, Accedamus ad noſtrum Philiſcum. Dicit Hippoc. Philiſcus eſt primus æger in hac tertia conſtitutione: PHILISCVS PROPTER Mænia &c.Procedemus ita in his caſibus particularibus ut in Philiſco à primo die uſq; ad obitum eius,quoniam moriturus eſt, ut dicemus, conſiderabimus omnia ſymptomata,quæ ſingulo quoque die contigerunt. in hoc uiro à principio morbi,et in ſingulis huius,ut Hippoc.proponit;deinde referemus cauſas ſingulorum,qua-

re hoc, uel illud contigit & in hoc pulchre contemplabimur; & quoniam signa, & symptomata deducunt nos in cognitionem causarum, & naturæ morborum ex symptomatibus deducam uos ad notitiam naturæ, et causarum huius morbi: quod non fecit Hippoc. Hic etiam erit pulcherrima theorica, & mores morbi, malitiam, uel bonitatem ubi ostendemus cum talis esset ægritudo, qualem ostendunt signa posita ab Hippoc. quomodo necessariò Philiscus moriturus erat, uidebitis luce clarius auditis symptomatibus quemadmodum per uos poteritis etiam iudicare omnino moriturum et si Hipp. non dixisset aliquid aliud, erant signa lætalia, post prognosticum & iudicium adducemus curationem, quæ in hoc casu conueniret, quomodo Hippoc. processit in eius curatione, ut uos quoque sciatis in huiusmodi casibus deploratis, & sine spe recta ratione procedere, & ex hoc habebitis maximam utilitatem, quia habebitis exempla particularia ægritudinum, & scietis procedere in praxi, erit ac si duceremus uos in praxim, & ita quod à nobis fuerat propositum assequemur, habebitis in singulo casu & theoricam, & practicam, hic erit noster progressus. Quare aggrediamur id quod intendimus, incipiamus à primo & uideamus symptomata, quæ circa Philiscum acciderunt, uisis illis facile iudicabimus naturam morbi, quisnam fuerit morbus, quo torquebatur, & quantum ad prognosticam partem attinet iudicabimus de salute, uel morte futura. PHILISCVS PROPTER &c. Locum scribit, & enumerat in quo habitabat & dicit quod habitabat prope muros ciuitatis. in hoc non

non est contendendum, non multum refert an sciemus ubi habitabat, uel non: quia neq; ad cognitionem morbi, neque ad eius curationem facit. Addidit hoc non propter nos, sed quoniam non debebat cognosci Philiscus, uel quia uoluit ipsum cognosci cum multi essent Philisci in ciuitate: ut ergo intelligeretur quis esset, addidit, qui habitabat prope muros ciuitatis ad differentiam aliorum, qui sic uocabantur, & quia cognoscebatur locus, ubi manebat, ad Artem parum, uel nihil facit, habitet ubicunque hoc saltem scimus ex Hipp. quod morbo decubuit, quo etiam mortuus est: nõ declarat tamen Hipp. quis morbus fuerit, & quæ eius essentia, sic nec de ætate, qua. s. ætate ægrotauerit, nec quo tempore anni: nihil habetis distincte ex istis circunstantijs limitantibus, solum dicit breuiter Hipp. Philiscus morbo decubuit, nihil aliud, non circunscribit ætatem, cuius esset ætatis æger iste, neque quo tempore anni inceperit ægrotare. Nos in his supplebimus ubique, quando Hip. deficit. Philisus decubuit æger, qua ætate? nihil habetis, sed hoc (ut uidebimus postea) ex probabili quadam coniectura sicut medici solent procedere, patebit, quando in hoc faciemus discursum clarissime ibi scietis cuius esset ætatis, & quo tempore anni etiam ægrotauit, an uere, an alio quopiam tempore decubuit, & quis morbus uulgaris. s. & quod esset febris pestilens. Videbitis, noluit ponere in textu ea quæ facile ex his quæ dicuntur cognosci possunt: HIC MORBO decubuit: hoc est quod proponitur: Philiscus ille morbo laborans in lecto decubuit: PRIMO DIE febris fuit acuta &c. Enumerat nunc symptoma-

ta omnia, quæ acciderunt singulis horis per sex dies, quoniam in sexto defunctus est. proposito ergo casu recenset sua accidentia, & signa per quæ ueniemus in cognitionē causarum, & naturæ morbi: dicit quod primo statim die febris inuasit acuta: quæ debebat esse magnus morbus & periculosus, imò maximus. Vos scitis ut dicit Hip. in secūda particula Aph. quod in principlo, & fine omnia solēt esse leuiora: tamen dicit in hoc morbo, quod statim in primo die & in primo decubitu, quo decubuit, inuasit ipsum febris acuta: ut moriturus decubuit sic decidit in febrem acutam, ingreßus morbi & febris acutæ fuit idem, tam peßimus erat futurus morbus, ut qui in principio & primo insultu tam grauia habent accidentia. Febris acuta: Debetis scire secundum sententiam Gal. à quo nunq̃ recedimus credo quod morbus acutus & morbus uelox ualde differunt non sunt idem, ut multi existimant fortasse: illum dicimus esse morbum acutum, qui uehemens, & peßimus cùm sit, multum properat ad terminum, idest, uel ad mortem, uel ad salutem: sed magis ad interitum, q̃ ad sanitatem. Iccirco peßimus, & periculosus est: Velox est morbus in motu citò properans ad finem, & breui tempore terminatus, sicut dicitur ephemera uelox, quæ in xxiiii. horis terminatur, & tertiana uelox est, quæ in quatuordecim aut septem ad summum periodis terminatur, ut plurimum: ut dicit Hip. simul cum Gal. non est acuta, quia tuta, & non cū periculo, ut sunt acuti morbi, sed potius tertiana est tuta, & benigna, mitis non periculosa, in hoc stat differentia quod acutus habet præter citam & breuem terminationē

pe-

periculum, & malitiam, ut cito terminetur ad mortem magis, q̃ ad salutem: uelox simpliciter habet quod breui tempore terminatur, & sine periculo. ideo acuto quidem opponitur tutus morbus, sicut acutus malignus est cum sæuis symptomatibus, ita tutus benignus est & mitis cum accidentibus, benignis, & bonis. Veloci uero opponitur ὀλιγοχρόνος Græce à nostris longus diuturnus, & proprie appellant medici chronicũ, qui longo tẽpore durat & tar determinatur sine periculo. Videte quomodo ista sint distincta: Acutus morbus est malignus, & cum periculo uitæ. ideo qui patiuntur & laborant morbo acuto breui & cito liberantur, quia morbus citò terminatur, ut Hip. affirmabat: Acuti morbi in 14. diebus terminantur &c. et hoc cum morbus acutus sit malignus, & maximus affligit maxime naturam, quæ non diu potest tollerare uim morbi, ideo omnem ponit conatum, ut ipsum superet cum uirtus non toleret breui tempore uel morbum superabit, uel debilitata deijcietur: hæc est causa cur cito terminentur acuti morbi, sed hoc est potius per accidens. per se maligni sunt, contingit quod sint breues, & ueloces natura non tolerante eorum uim, atque malitiam. Quare habetis quomodo morbus acutus malus sumitur a qualitate morbi, quia lætalis et periculosus est: tutus à bonitate, quia sine periculo nõ terminatur. unde per accidẽs tarde terminatur, si natura diu potest uim illius sustinere. Velocitas uero morbi sumitur à quantitate motus & tẽporis: ille uelox est morbus, qui cito terminatur & breui tempore à principio tendit ad suum terminum non cum periculo. ὀλιγοχρόνος

uero diuturnus & chronicus longus eſt, qui tarde terminatur, multo & longo tempore pertranſit ſpatium inter principium & terminum: ſi poſtea contingit, quod uelox ſit malignus hoc per accidens eſt non quà uelox eſt, ſed quatenus eſt acutus. Videtis quãtum inter ſit inter acutum, et uelocem morbum, per acutam ergo febrem Hip. intellexit malignam cum ſæuis, peßimis, & malignis accidentibus uelocißimi motus, ardentem & malorum morum: Febris acuta inuaſit Philiſcum peßima & deteſtabilis, hoc eſt quod uoluit Hip. per acutam febrem, hoc erat timendum, & debebant illi medici tunc maximè timere, cum medici uiderint tam malam febrẽ cum ſymptomatibus maxime deſperabant, & timebant: Vos etiam quando ita uidebitis, timebitis & præſertim, quia contigit in principio, ſi hoc contigit in hoc uiro in principio, & ſtatim (ut ita dicam) initiãte morbo quid deinde fiet? quid putatis in ſequentibus ſub ſecuturũ? certe nihil niſi magnũ malum imminere iudicãdum eſt. primo igitur die inuaſit febris acuta maligna: SVDAVIT &c. malitia febris adhuc magis confirmata fuit ex his ſequentibus ſymptomatibus, quæ numerantur ab Hip. in primo die, in quo febris acuta incepit, & in principio paroxiſmi fuit ſudor ſecundum ſymptoma. Sudor iſte multipliciter erat malus, & ad ſummum tripliciter: primo quidem ratione uirtutis, quæ nondum perfecerat concoctionem, exiuit in die primo non critico ſine concoctione aliqua, in principio etiam paroximi: ſecũdo fuit malus, quia frigidus, non debebat exire frigidus, ſed calidus à corporis partibus intimis egreſſus: tertio fuit malus quoniam

niam ſubſecuta eſt deterior diſpoſitio, deterius ſe habuit poſt ſudorem, q̃ anteà, cũ melius debuiſſet habere: omnes huiuſmodi ſudores mali ſunt. De ſudoribus omnibus tam bonis, q̃ malis quam coniecturam, quæ ſigna nobis tribuãt latius habetis in ſecundo Prognoſticorum in capite xi. nõ tamen ita diſtincte de his malis, & collectim ſicut modo determinauimus, poteritis uidere locum, ut plura habeatis: neque enim profiteor hoc in loco uniuerſaliter de ſudoribus aggredi ſermonem, ſed ea quæ ad propoſitum noſtrũ faciunt de illis dicemus. tripliciter igitur fuit malus hic ſudor. Quantum ad hoc uos ſcitis ſudorem ſi bonus eſſe debet, debere habere tres conditiones, quod fiat in die critico per naturam expulſus facta concoctione: ſecundo calidus: tertio ut ſequatur diſpoſitio melior. poſt ſudorem, ubi non ſunt iſtæ conditiones mali ſunt ſudores: in hoc ſudore erant contrariæ. ergo malus ſudor: Quantum ad primam habetis tertio Aph. 36. in eo Aphoriſmo qui ſic habet, & hoc modo incipit: Sudores febricitanti ſi inceperint boni, et 3. die. 5. 7. & 9. & in conſequentibus imparibus diebus bonum indicant: ſi uero contrarium malum, in acutis quidem mortem ſignificãt, in chronicis uero longitudinem, et recidiuam, ibi habetis quare in paribus diebus mali ſudores, in imparibus boni, poteſtis uidere ea, quæ habet Hip. in ſecundo Prognoſticorum, & Gal. ibi. & in hoc Aph. habebitis rationem cur iſte ſudor malus fuerit, quia in die non critica, & in principio apparuerit. Nam in principio morbi natura nondum concoquit humores, & materiam, quæ in corpore exiſtit. ergo non poteſt ſeparare ex

crementum à bono humore, ſudor eſt excrementum eo= rum, quæ ſunt in uenis. in principio igitur morbi ſudor criticè, & naturaliter expelli non poterat: ergo ſympto= matice & non naturaliter. ſecundo multus erat ſudor & præter naturam, quia frigidus: ſudor frigidus indicat ca= ſum uirtutis, & ſummam imbecillitatem cum ſit excremē tum eorum, quæ in tertia concoctione concoquuntur. ſed hoc magis declarabo in ſequentibus, nunc hoc habeatis, ut concluſionem pro huius recta intelligentia & confir matione. Is Hippocr. in quarta par. Aphor. credo quod ſit Aph. qui ſequitur illum ſupracitatum, & eſt Aph. 37. Frigidi ſudores cum acuta quidem febre mortem, cū chro nica, & mitiori longitudinem ſignificant: uideatis cauſam huius apud Gal. in commento. Sed hic erat ſudor frigidus cum morbo, ideſt, febre acuta: ergo neceſſariò mortem ſi= gnificabat, & præcipue cum apparuerit ſtatim in prima die, in qua omnia leuiora eſſe deberent, & ſunt tria iā, quæ indicabant mortem futuram, omnium peßima ſymptomata in principio morbi, febris acuta, ſudor in die primo non critico, & frigidus indicabatur ferè extinctio caloris na turalis. Sudor frigidus ſemper eſt malus, ſed peßimus in acutis, in chronicis non ita malus: ſemper tamen malus eſt. Ideo Author ille libri Prorrhethicorū in Prorrhethico= rum ſententia ſi memini 4. quia dixerat ſudores frigidi quandoq; boni ſunt: ille Author irridetur ibi à Gal. in cō mento dicit Gal. nunq̄ ſudores frigidi bonum quidpiam indicant, ſemper mali ſunt, & malum afferunt indicium: male hic Author dixit in hoc: ſed prætermittamus nunc quæ=

quæso hoc, melius inferius de hoc dicemus, nolo ponere capitulum in capitulo satis uobis in præsentia sit quod sudor frigidus semper significat casum uirtutis, imbecillitatem, & extinctionem caloris innati. Sed in hoc dubitabat Galen. in eo quarto Apho. 37. in commento eiusdem Aphor. frigidi sudores &c. docet omnes causas frigidi sudoris: unde cum istud uideretur difficile & ferè impoßibile dubitat qnomodo fieri potest, ut in eodem corpore sit calor feruēs febrilis per totum dispersus, tamen sudor frigidus exeat? si corpus in quo fiunt sudores est calidum, qui fieri potest, ut illi sint frigidi, non potest esse hoc: soluit Gal. dicens quod sudor frigidus non alia de causa in corpore etiam febriēte exit, nisi propterea quia in febriente est copia humorum, ubi est multitudo humorum in uenis calor retrahitur, & concentratur à partibus exterioribus ad interiores, & cutis relinquitur frigida: cutis frigida. ergo & ea, quæ in cute continentur, & cutanea parte generantur: & sudor cum sit excrementum cutaneum in cute existens. ob id sudor frigidus efficitur in cute frigida. sed cum interiora calent: exteriora uerò frigent febres sunt peßimæ, & malignæ, malorum morum, & tendentes ad perniciem, ut optime adnotauit Auic. in prima quarti cap. de febribus pestilentibus, quando contingunt febres pestilentes exterius frigescūt corpora uidentur bene habere, interiora tamen maxime calent, & feruentißima sunt, propter magnam inflammationem igniuntur, exterius frigida sunt, ut si tangantur non uideantur febricitare, & tendunt ad mortem dicit

Aui. sic possunt esse corpora calida, frigidi tamen sudores qui semper malum dant nobis indicium, habetis causas & rationes, quibus Hip. dixerit sudores frigidos in febricitante malos esse. Et uidetis sudores frigidos male indicare tum per uiam causæ, tum per uiam signi: per uiam causæ uos sciuistis hactenus, & scietis melius, per uiam signi quod indicent uirtutem debilem, & calorem intra reclusum suffocari. Cum namque sudores frigidi mali sint ob tres causas, ut dictum est, mali sunt etiam, quoniam significãt multitudinem humorũ in corpore redundantium maxime frigidorum, qui cum non ita cito possint à uirtute debili concoqui, & superari consequenter morbi longitudinem in chronicis, in acutis mortem significant, uirtus imbecillis non poterit superare tantam copiam humorum non naturalium, tamq; naturæ rebellium. præterea sudores frigidi non subleuant corpus ab ægritudine, cum non subleuant magis lædunt, pro hoc uideatis Gal. in 56. Aph. & 42. in 4. part. ubi Hip. ita habet. Sudores quicunque multi, sed frigidi, uel calidi superuenientes febri indicant morbum: prolongatur enim morbus, & multam significant humiditatem si fiunt symptomaticè isti sudores, efficiuntur propter multitudinem materiæ uirtute imbecilla: quo modo ergo poßunt rectũ nobis afferre indicium? non fiunt regulariter à natura operante; sed ratione materiæ adhuc malitia eorum augetur, quando æger non subleuatur. Nam si uerum est, quod indiget euacuatione humorum, qui sunt in multa copia in corpore, facto sudore euacuatio fit. ergo habito sudo-

dore iuuari debet, multitudo humorum diminuitur, & natura imbecillis subleuata leuior reddita aggreditur materiam: At si facta euacuatione cum hoc quod euacuatur, & deberet subleuari, non iuuatur, summopere nocetur, euacuatio omnis si non iuuat, lædit: si euacuatio nihil iuuat detrahendo id, quod superfluum est debilitat uirtutē ex altera parte euacuando humores, & consequenter spiritus exhauriendo calorem naturalem imminuit, & totum corpus resoluit. igitur si post sudorem non sequitur bona dispositio, est malus, talis est frigidus sudor: & sic malus: in Philisco sudores frigidi manebant, qui mali fuerunt propter omnes has causas (habenda est consideratio febris acutæ cum qua incepit sudare) propter istas inquam tres causas mali erant sudores. primo quidem quoniam in prima die non critica apparuerunt, quod hoc sit uerum audiatis Hip. uolo uobis ostendere mirū artificium in hoc uiro, uolo ut tangatis manibus quod Hip. referat has causas, quibus sudor malus efficitur: dicit prima die, quæ non erat critica et in principio morbi febris fuit, acuta, sudauit: quod fuerint sudores mali propter secundam causam, quia frigidi, legatis textum, uideatis in calce huius Aphorismi post omnia symptomata addidit: SVDORES perpetuo frigidi: tertio mali fuerunt, quia secuta est peior dispositio, non est subleuatus, habuit malam dispositionem post sudorem, & quod hoc sit uerum dicit Hip. quod habuit noctem laboriosam. ergo malam; propter has tres causas, quas etiam in textu recensentur sudor frigidus in Philisco malus fuit, & malum de futura

mor-

morte indicium: Hæc de ſudoribus diximus ut quando etiam uos uidebitis in morbis accidere ſudores ſciatis per illas tres conditiones iudicare qui boni, qui mali, qui ſalutem indicent, & qui mortem: ita pedetentim per hæc ſigna facillime iudicabitis id, quod euēturum eſt, moriturū hunc ægrum. Dixit: uideatis tertiam conditionem. LABORIOSAM noctem habuit &c. ſi nox fuit laborioſa, erat iudicandum quod dies futurus eſſet malus neceſſario, in die ſequenti fuit exacerbatio febris, quæ debebat fieri nocte laborioſa præcedente (in hoc uiro ſi bene obſeruauitis in toto proceſſu morbi exacerbationes fiebāt in diebus paribus) pro hoc habetis ſententiam uniuerſalem notatu dignam ab Hip. in ſecundo Aph. 13. ubi habet. Quibuſcunque criſis futura eſt, his nox grauis ante acceßionem &c. quotieſcunque nox præcedens laborioſa fuerit in die ſequenti paroxiſmum expectare oportet: quod ſit uerum in re ipſa experiamini: inquit: POSTRIDIE, ideſt in die ſequenti intelligatis ita, omnia euaſerunt grauiora, febris exacerbata, ſymptomata inualuerunt, et paroxyſmus inuaſit ipſam ita incepit affligi in die pari, quæ erat ſecunda, ita affligebatur in paribus diebus uſque ad mortem, quæ fuit in die ſexta, ut audietis: exacerbari in diebus paribus malum eſt ſignum, ut habet Hip. in Aph. in illo Aph. quando dicit Acceßiones in diebus imparibus bonum, in paribus uero malum indicium eſt, & hoc eſt quoniam omnes motus in morbis acutis, qui fiunt in die pari ſunt mali indicij, & ex illis ægri non ſubleuantur, cur modo dies impares bonum afferant indicium

cium

cium pares uero malum non eſt nunc locus diſputandi. ſa tis eſt ut habeatis quod ita ſit quantum pertinet ad noſtrum inſtitutum: ſi tamen uultis de hoc aliquid habere, debetis accedere ad Gal. in ſecundo de diebus criticis; ubi oſtendit quare dies pares ſunt illi, in quibus omnes mali motus fiunt: impares uero, in quibus boni, quod ita ſit primo experientia confirmabat dicens fuiſſe ſemper hoc obſeruatum, ab antiquis etiam medicis uſque ad ſua tempora omnes motus, uel paroxiſmos, uel criſes, uel alios conſimiles motus, qui fiunt in morbo, quando fiunt in paribus diebus malos eſſe, & male indicare, non oportet hic calcitrare experientia & uſu uiderunt medici hoc. ſi quis motus in pari die aliqua ante 20. fieret ſtatim mali iudicij fore, in diebus uero imparibus motus ſunt boni, bonæ criſes, & bonum afferunt indicium, quotidie in ægris hoc uiſum fuit, & quotidie uiſitur, non eſt ſenſui reſiſtendum, hoc eſt quia eſt, quod probat experientia, non dubitatur de hoc apud Nos, qui ita uidemus eſſe: Sed propter quid ita ſit? hic opus hic labor eſt, hinc pendent leges, & prophet. Gal. in 3. de diebus criticis cum in ſecundo loco comprobaßet experientia ita eſſe, ut quidam dies ſint decretorii, quidam non: quidam boni iudicij, quidam mali, in tertio cauſam horum dierum uult aßignare, & in hoc toto tertio eſt eius intentio propria cauſas horum inquirere: Vnde ſtatim in principio ferè libri inquit ſe inueſtigaturum cauſam horum dierum diligentißime, quantum poterit, licet in hoc omnino ſibi non ſatisfaciat, dicam tamen (inquit) quod probabilius dici poteſt non arripiens

po-

poteſtatem, quin alij alias inueniant cauſas; quantum meũ ingenium aſſequi potuit dicam, non quod ita ſit neceſſario: quia mihi non ſatis facio, ſed probabilius quàm hactenus habitum ſit ab aliquo inueſtigabo, poſtea incipit tractatum, quem nunc recenſere longum eſſet, hoc tamen uolui annotare propter quoſdam argutos homines, & temerarios, qui putant ſe omnia cognoſcere, & nihil norunt, irrident Gal. qui tam ineptas cauſas adinuenerit, potius chymeras & fictitia quædam, quàm quod uerum aliquid contineant. Ideo alias cauſas conati ſunt aſsignare longe deteriores, & quæ à probabilitate maxime diſcedunt nolentes accipere, quæ ſunt probata nunc à præceptore, oporteret inuenire meliores, neque Gal. illis contrarius eſset quia non profitetur ſe neceſſariam adinueniſse cauſam. ſunt peſsimum genus hominum, neſciunt reddere cauſam, & male dicunt his, qui probabilius, & propinquius ueritati acceſſerunt. credite mihi omnes, qui hactenus poſt Galenum conati ſunt reddere cauſas nouas omnes eſſe deceptos magis, quàm Gal. nullus adhuc tam probabiles inuenit, ſicut Gal. Non debebant etiam arguere Galenum alia de cauſa non ſolum quia tales uiri neſciunt meliores, ſed ne ipſi quidem pares dare. Sed & quod ſi bene aduertiſſent non inueniſſent in eo cauſam uitij, ſeipſum excuſat honeſtiſsime, qui nõ poterat honeſtius loqui. Ego inquiram dicit Gal. quid probabilius, quàm hactenus uiſum ſit: & ſi mihi non ſatisfaciam homines uidebunt meas rationes: ſiquis ingenium acutius habuerit, ut meliores inueniat, & meæ ſibi non placeant relinquat

& inueniat alias, & ego illas admittam, ſatis habebo nunc quod magis ſatisfaciam mihi in hoc, quàm aliquis fecerit, uidete poterant manere in ſua ignorantia nõ damnantes Gal. non habebant cauſam aliquam damnandi: Sed ad pauca reſpicientes de facili enuntiant quicquid in os uenit. Proh Iupiter ſancte; omnes cauſæ quæ ſunt ab alijs redditæ non ſunt æquiparandæ cauſis, quas Gal. tradidit tantum abeſt, ut ueritatem inuenerint, ſolus Gal. potuit cauſas, quæ teneri poſſunt aſsignare, illæ poſſunt melius ſuſtineri: Multi multa & uaria dixerunt à scopo longiſsime aberrãtes inter quos eſt etiã Vir quidam noſter Veronenſis uolens plus ſapere, deterius locutus eſt: et ipſe non cognoſcens ſapientiam aliorum, & ignorantiam propriam conatus eſt reducere cauſas omnes horum dierum ad quandam chymerã, reduxitq; omnes ad humorem melancholicum, ut fundamentum omnium cum ipſe eſſet uere melancholicus putans omnia melancholica, debebat uidere quanta modeſtia locutus ſit in eo lib. Si tibi non placet, inuenias aliam cauſam, non uetat hoc Gal. imò hortatur, ut meliorem & quæ tibi ſatisfaciat inquiras: Sed noli damnare meam dicit Gal. neque enim in hoc mihi omnino ſatisfacio, probabilius tamen dixi, quàm aliquis alius. Cum ergo non poſſetis inuenire meliorẽ teneatis hanc, quam dat Gal. interim ueritatem acquirentes, & ad eam quotidie magis accedentes, hoc debebant facere iſti uiri, Et ego illam tenebo, donec meliorem aliquis mihi afferet: unum ſcio quod Gal. melius poteſt ſuſtineri, quàm alij; Qui in eo tertio libro de diebus criticis po

nens

nens duo magna luminaria cœli ad ipsa reduxit causas ho rum dierum, magis tamen motum Lunæ respiciendo, prin cipaliter ergo ad motum Lunæ referendi sunt, & quam= uis Sol maius sit luminare, & Luna quicquid agit, agat in eius uirtute, tamen quia effectus Lunæ nobis sunt no= tiores, & sensui magis patent propter maiorem propin quitatem. ideo motus Lunæ, ut causas dierum esse affirma uit Gal. Sol non nisi per annum cursum suum in Zodia= co perficit: Luna uero singulo quoque mense orbem cir cumagit, & perlustrat. ergo effectus eius in hæc inferio ra à nobis magis notari possunt, q̃ effectus Solis: & cũ in cursu Lunæ sint septem quadræ, & quatuor septima= næ, ecce quomodo cursus Lunæ ad summum perficiatur in 27. diebus, ex hoc cursu Lunæ insurgunt dies impa= res, & pares: in quibus fit iudicium morbi, in hoc spatio 27. dierum erant septimanæ quatuor, has diuidebat & faciebat quadras, dimidia septimana est una quadra. ergo ex quatuor septimanis quatuor quadræ insurgunt, quas cum Luna ingreditur in dimidio quatuor .s. diebus fiunt dies pares, in tota septimana, & inæqualiter diuisa impa res dies efficiuntur, sicut ergo in his septimanis, in quibus sunt quadræ Lunæ, mutantur motus Lunæ, & uario mo do Luna est in illis, ita uariæ fiunt mutationes in his infe rioribus. ergo in diebus imparibus cum melior fiat muta tio à motu Lunæ meliores corporum fiunt mutationes, & meliora indicia, ad causas harum quadrarum, & mo= tus, qui in ipsis sunt in Zodiaco per 12. signa Gal. redu= xit causas dierum decretoriorum, indicantium, parium,

uel

uel imparium: Et quia in hoc loco nolumus de hac materia longius pertractare uideatis Galenum in illo tertio de diebus criticis per totum librum: & in tertio Prognosticorum: De his etiam Ego multa dixi alias, & ostendi quomodo Gal. recte senserit cum ex professo hanc materiam esse aggressus, diffuse tunc, & distincte omnia, quae dici possunt enarraui his, qui me audiebant, nunc tantum per capita haec dicta sint: si uobis non occurrit melior teneatis eam, donec doctiores meliorem inueniatis, saltem habetis quòd est probabilior explanatio caeteris: Quicquid sit in proposito omnis motus in die pari malum indicium affert, & periculosus est: in acutis quidem mortem, in chronicis uerò longitudinem, quod hoc uerum sit praeter testimonium Gal. credatis experientiae, omnes medici longo tempore obseruarunt accessiones, paroxismos, crises, & denique omnes mutationes, quae fiunt in die pari malas esse. Philiscus aegrotauit febre acuta in primo die statim inuadente praeter symptomata praecedentia febris exacerbari consueuit in diebus paribus, post noctem laboriosam dies accessionis secuta est; cum ista omnia uiderent medici in primo die statim iudicare poterant ipsum moriturum: in secunda accessit febris exacerbatio. quis erat qui non cognouisset futuram mortem? etiam asinus iudicasset moriturum esse Philiscum in die pari quarta, uel sexta: in tertia etiam stulti, & dementes quid futurum dixissent, VESPERI A clysteri melius habuit &c. adiutus est in iectione clysteris, idest, postq̃ iniectus fuerat clyster in uespperi. ergo curabat ipsum: Videre q̃ pius, & q̃ mirabi

lis Hippoc. etiam si moriturum esse prognosticatus fuerat, tamen noluit relinquere sine auxilijs. prognostico ergo præmisso his, quia stabant curationem aggressus, & incepit applicare remedia: Vesperi iniecit clysterem, quo iniecto adiutus fuit: Non putetis quod melius habuit propter clysterem, ut clyster fuisset remedio, & auxilio, nõ: sed hoc quia ita debebat esse, contigit, clyster nihil fecit, ita fuisset etiam si non iniecisset clysterem: hoc dixit, non quod clyster iuuißet, sed est modus loquendi: ut quando dicimus sole existente super terram Philiscus ambulauit, contigit solem esse super terram cum Philiscus ambulauit: sic in proposito intelligit Hip. contigit enim quod iniecto clystere fuerit, cum postea Philiscus melius habuit fuit per accidens; per se uere quia debebat ita esse propter ea quæ nunc suadet Hipp. iniecerat autem ipse clysterem, ut leniret, & euacuaret intestina repleta fecibus: sed nihil iuuit, quia uehementißimus erat morbus: Videte modo quomodo debebat ita esse, quod melius se haberet: Nam dicit Hipp. quod nocte, quæ præcedebat tertiam diem quieuit. NOCTE QVIEVIT: Hoc etiam rationabiliter fuit, sicut se habet oppositum de opposito, ita quæsitũ de opposito regula Topica: Dictum est superius noctem laboriosam esse, quia nox præcedens diem paroxismi grauis est, sic in proposito nox fuit quieta, quia præceßit diẽ, in qua debebat esse quies: nox enim præcedens diem quietam leuis, & quieta est: dies secunda fuit dies paroxismi, dies tertia erat dies quieta. futura ergo nox præcedens tertiam debebat esse quieta, & est nox de qua nunc dicit.

No-

Nocte quieuit Hippocra. uir in arte exercitatißimus ele= git tempus quietum magis,in quo inijceretur clyster post crepusculum noctis in uesperi iniecit clysterem, in quo tẽ pore non ita affligebatur à morbo: quod uos quoque de= betis obseruare,ut scilicet in quietiori tempore morbi re media exhibeatis,uel applicetis;hoc uobis perpetuum sit: iniecto clystere dicit Hippocr. melius se habuit: Vespe= re &c.idest, post crepusculum secundæ diei in principio noctis,quæ præcedebat tertiam diem melius habuit,ratio= nem aßignauimus,quia in nocte debebat bene habere pro pter diem tertiam futuram quietam.ideo uespere clystere iniecto melius habuit,quia debebat melius habere: dies.n. futura erat libera,& sine paroxismo. Vultis uidere ita eße,audiatis. DIE TERTIO *mane,& ad meridiem usque febre uisus est liber esse &c. bene dixit: & si me= lius haberet habito clystere (ut dixi)non erat,quia fuisset adiutus:ideo Hippoc.non accepit aliquam spem de salute, isti bene imperiti medici non firmi in principijs artis, qui huc illuc agitantur,uolubiles fluctuant, ut nauicula quæ= dam sine timore à uentis agitata,quando uidissent ita be= ne ualere:Hem saluares est dicunt ipsi, tendit ad salutem, ita faciunt nostri isti medicastri,cum uident ægrum melius habere, dicunt sine ulla consideratione statim simpliciter, bene est,ualebit;absolute inquam sine cautione: Sed si se= quantur aliqua magna symptomata,uidentq́; quod urgẽt, & affligunt ægrum,ad oppositum uertuntur, & dicunt absolute morietur: isti miseri nesciunt stare loco: sicut ui dent symptomata uariari, ita ipsi uariantur in sententijs:*

ſi noſtri medici uidiſſent in tertio die ægrum illum melius habuiſſe ſtatim ſine ulla præ meditatione iudicaſſent de ſalute, illum inquam liberatus à morbo: Non ita fit dicit Hippocr. uiſus eſt liberaſſe à febre in tertia die, dicit uiſus eſt liber eſſe, notanter id effatur, non fuit liberatus, ſed uiſus eſt alijs medicis idiotis, imperitisq; liber eſſe, nõ mihi: non putetis tantum uirum motum fuiſſe ad uariandum iudicium tam leni de cauſa in morbo acuto. ideo uiſus eſt liberatus, hanc peculiarem habet Hippocr. in loquendo diligentiam, quando omnino & uere liberatur æger ſecundum ſuum ſanctum prognoſticum dicit abſolute liberatus eſt, ut uidebitis melius inferius, ubi erimus incurſu cuiuſdam ægroti, qui ſaluatus eſt. At quando non loquitur ſecundum ueritatem, & propriam mentem, ſed ſecundum aliorum iudicium, & apparentiam dicit uiſus eſt liber eſſe, non liberatus eſt. Notabitis hoc inferius in quibuſdam caſibus modo dicit liberatus eſt, modo iudicatus eſt, nunc uero uiſus eſt liber eſſe, Hippocrat. bene ſciebat, quod non habebat ſe melius in tam mala ægritudine cum febre acuta, & ſæuis ſymptomatibus: Notetis, iſte uir peius ualebat, & tendebat ad mortem: quod ſemper iudicauerat Hippocr. quando omnia ſunt quieta in febre maligna, & peſſima non poteſt eſſe niſi malum iudicium, & ſignum eſt quod morbus lætalis eſt, ac æger moriturus, hoc nobis perpetuum ſit in febribus malignis in tertia die prognoſticum confirmatum fuit de morte, omnes ſciuiſſent dicere moriturum Philiſcum tanta ægritudine, & tali diſpoſitione afflictum, qui bene habuit in

ter-

tertio die . ergo mors futura : causam huius si uultis habere legatis in secundo de causis pulsuum, & de prognosticatione ex pulsu, dicit Galen. quando est pestilens , & febris maligna propter summam in corde putredinem omnia uidentur esse leuiora, calor remissus ad tactum, pulsus paruus, rarus, & uidetur esse secundum naturam, sine inæqualitate omnia uidentur esse meliora, tamen febris acuta est , & omnium deterrima . Si medicus imperitus uideat omnia ita benigna tangat pulsum , percipiat esse paruum , & ita naturalem certe iudicabit procul dubio bene ualere, non ægrotare; medici dogmatici , & principia Artis optime edocti, in morborumq; cognitione exercitati magis timebant, & mortem expectabant: causam horum reddebat Galen. dicens pulsum paruum , & ferè secundum naturam esse omnia leuiora, propterea quòd natura non audet aggredi pugnam contra tam malam materiam, tanta est putredo in humoribus, qui sunt in corde, ut calor naturalis, & natura ipsa non audeat, ne paruam quidem partem eius oppugnare : cum non fit pugna non augentur symptomata, sed omnia mitescunt , morbus exacerbatur. præterea uirtus à tanta materia , & quidem peßima fuit debilitata, non habet robur , ut moueat arterias ad magnas dimensiones, calor concentratus est, & quidem debilis . ideo si tangantur ægri non percipitur fere calor à medico , imò nec æger uidetur percipere calorem febrilem , putat se esse sanum in tam magno discrimine , quod optime declarans Auicen. in prima quarti in capite de signis febrium pestilentialium dixit : Et quan-

doque est de febribus pestilentibus, in qua non percipitur neque à medico, neque ab ægro intensio caloris, pulsus paruus secundum naturam parum alteratur, urina ferè secundum naturam, & cum hoc ipsa est interficiens uelociter, & æger tendit ad mortem, & plurimum hæsitant medici in esse eius; si inspiciantur ea, quæ apparent extrinsecus non uidetur esse morbus, cum hoc medici hæsitant in esse eius, ægri uero moriuntur, uolunt surgere, & dicunt se esse sanos inquit Auicen. & continuè moriuntur. iste ergo uir in tertio quiescebat, quia natura defessa erat, & debilis non poterat pugnare cum morbo, paroximus non aderat, pulsus parui ferè secundum naturam, frigida exteriora, non percipiebatur calor febrilis, sine febre omnino esse uidebatur. Quapropter meritò ab imperitis uisus est liber esse, non est liberatus, sed uidebatur esse liber. Quòd hæc fuerit uana uisio, & quod non fuerit liberatus à febre, ac quòd Hippocr. bene iudicauerit de morte audiatis quid secutum sit: SVBCREPVSCVLVM uero febris eum acuta corripuit &c. scilicet post dimidium noctis ferè in mane quarta, circa crepusculum rediјt illa in fœlix febris: Notate, arcana sunt omnia hæc in Arte medica, inuasit febris iterum in nocte præcedente quartam, & in fine tertiæ diei, cum debuisset incipere in quarto, anticipauit hoc spatium temporis: scitis quod febris acuta inuasit in prima statim die, in secunda exacerbata est, durauit usque ad uespertinum tempus præcedens tertiam, in tertia quieuit subcrepusculum iterum inuasit pa=

paroxiſmus, & hoc erat indicium quod deberet fieri cri ſis ad mortem; ſi perſeueraſſet febris in ſecunda die per totam ſecundam non habuiſſet febrem, poſtea in crepuſculo tertiæ. Sed inuaſiſſet, (ſicut debebat, cum aggrederetur in paribus diebus) in quarta, in ſecunda cito terminata eſt: ideo & ante quartam anticipauit tantum, quantum in ſecunda defecit: in ſecunda ante noctem deſiit, in quarta ante crepuſculum inuaſit. ergo in tertia die quæ debebat eſſe tota quieta, omnia indicabant futuram mortem, & quidem cito: in prima die incepit febris, in ſecunda inuaſit, in tertia, quæ debebat eſſe quieta cum non eſſet dies acceßionis ſub crepuſculum iterum rediјt febris, & perſeuerauit in quarta, ſtatim erat futura criſis, nemo eſt qui uidere proceſſum huius febris conſideratis accidentibus omnibus non iudicaſſet in ſexto, uel circa futuram criſim, erat neceſſarium, cum eſſet febris acuta maligna, inuadens paribus diebus, & anticipaſſet in ſecundo paroxiſmo qui cæpit in tertia die, ut cito fieret criſis: eſt enim hæc perpetua regula duobus diebus conſequentibus febre exacerbante cum accidentibus malis non poſſe eſſe, quin cito fiat criſis. quod Vos admonet diuiniſsime certe, & opportune Galen. in commento huius Aphoriſ. & debetis mandare hoc dictum memoriæ, dicit: Fac memineris ubi in morbo acuto quartus perinde, ut tertius grauia habeat ſymptomata, & ſigna, in ambobusq; ſit exacerbatio febris, breui expectandam criſim eſſe, in hoc uiro fuit exacerbatio febris, & ſymptomata grauia in fine tertiæ, ideſt, ſubcrepuſculum quar

tæ, & in quarta die omnia grauissima. Igitur necessariò cito erit crisis, puta in sexta per regulam Galen. quæ perpetuo uera est. Fac memineris ubi &c. primo erat febris acuta, quæ cito terminatur: secundo in paribus diebus exacerbabat; anticipauit deinde, debebat in quarta inuadere, & incepit in fine tertiæ, fuit paroxismus in tertia & quarta: ergo de necessitate his omnibus de causis crisis erat expectanda citò: de necessitate his indicijs mori debuit in sexta, sicut mortuus est. Videte, quanto artificio ponantur ista symptomata ab Hippocr. ut iudicetis per uos, quod morietur, & in quo die morietur, anticipatio accessionum indicauit uelocem motum ad crisim. VNA CVM sudore &c. in hoc paroxismo erat ille idem sudor diaphoreticus, de quo etiam locuti sumus ante in primo die non subleuans corpus à febre, sicut debet facere sudor bonus, & naturalis: subsecutus est ille sudor non naturaliter, sed symptomaticè, ubi inuasit febris accessio, idest, in fine tertiæ sub crepusculum quartæ futuræ, & sudor quidem frigidus sicut in primo die, hoc addebat aliquid super malitiam febris, diximus superius cur quot ue de causis frigidus sudor malum indicet, & quòd malus sit sudor frigidus existente febre acuta feruentissima habetis ex principijs Artis, & hæc bene potestis cognoscere, si habetis iudicium: Dicebat etiam Poeta Plautus de quodam seruo: Non placet quando homo sudat, & friget: deridebat hominē quando simul cōtrarijs affligitur, pessimum erat indicium, quod iste homo frigeret cum sudore, supponendo quod sudor debeat esse calidus

nòn frigidus: Sitibundus erat &c. Ego admoneo uos legam quàm diu uolueritis, non ero pertinax, agitur de uestra utilitate, non sunt legenda ista, nec audienda sine auribus, sunt omnia arcana intima Artis, non faciatis strepitum, quia statim uertitis me: audiatis dum potestis, Ego doceo ueritatem non conteratis tempus, audiatis libenter, & diligenter.

SVB CREPVSCVLVM *uerò febris eum acuta corripuit, una cum sudore &c. Interfecueramus fine aliquo puncto in præcedenti explanatione naturā, & casum ipsius Philisci, propter ea oportet ut connectamus dicta dicendis, ut simus continui. Debetis primo meminisse, quod primo scitis naturam ægritudinis Philisci, ut exacerbetur in diebus paribus, cum sit febris pestilens, ut cum sit pestilens, & maligna habuit duas exacerbationes in diebus paribus, in prima die incepit febris acuta, in secunda omnia grauiora, in tertia die uisus est quiescere, & melius habere. Debetis meminisse ista omnia, & notare exacerbationes quo die fiant propter prognosticū, quod multum refert, ut recte præponatur, si scietis prædicere, & iudicium futurorum præferre eritis optimi medici. In tertia ergo die quieuit, & uisus est liber esse à febre: ideo erat bonus dies: Circa crepusculum circa mediam noctem erat quarta hora noctis, uel circa: crepusculum enim est hora illa, in qua dubitatur, num sit nox, an dies: ante crepusculum quartæ inuasit iterum febris acuta, anticipauit cum debuisset incipere in quarta: ideo fuit expreßißimū*

ſignum criſis ad mortem in ſexto. fuit igitur neceſſariũ, ut in quarta duraret paroxiſmus, & in tertia, in qua liber eſſe debebat cum non eſſet dies acceßionis, quarta erat dies paroxiſmi, ſed acceßio fuit in fine tertiæ, & in quarta: ergo in ſexta criſis neceſſario eſſe debebat per ea, quæ dicta ſunt: Nam quotieſcunque febris acuta ſimul exacerbatur in tertia, & in quarta inuadens paribus diebus expectanda eſt criſis citò, id quod admonet quoque Gal. in comm. dicens: quando tertia, & quarta dies ſimul fuerint inquietæ, ut acceßio ſit in tertia, & in quarta expectare oportet criſim breui futurã, quæ uel mala erit, uel bona; magis tamen mala, quàm bona, quia febris acuta anticipauit unum diem, in tertia inuaſit, & perdurauit per quartam, in qua debebat rationabiliter aggredi Philiſcum. hæc eſt enim regula apud Medicos perpetua, quandocunque exacerbatio febris acutæ & in tertia, et in quarta perduret neceſſario cito iamiam erit criſis ſiue bona, ſiue mala: in hoc uiro paroxiſmus perſeuerauit in quarta, cum tamen inuaſiſſet ſub crepuſculum in fine tertiæ fecit anticipationem per illud tempus. ergo criſis expectanda erat potius ad mortem, quàm ad ſalutem: quod iudiciũ magis confirmabatur, quoniam cum febre acuta ſub crepuſculum ante quartam diem ſudor quoque frigidus anticipauit. Vidiſtis quot de cauſis fuit peßimus ſudor: primo quia in principio paroxiſmi ſtatim cum febre exiuit ſudor: ſecundo quia frigidus, tum quia in die pari debebat cum febre oriri: ſed dicit ſub crepuſculum etiam ſudor una cum paroxiſmo fuit. igitur neceſſario debebat cito,

to,cito fieri crisis,ut sicut febris cum symptomatibus anti cipauit,ita crisis debuit anticipare, & esse in prima die pari. in sexta: Dicit: SITIBVNDVS erat &c. Hoc est nouum symptoma, quod accidit in principio secundi paroxismi sub crepusculum ante quartam,non contigit in primo paroxismo,neque in prima die, scitis causam? audiatis: Sitis est accidens,quod fit propter caliditatem,& siccitatem in uentriculo,& membris naturalibus existentem,& ut dicunt philosophi est appetitus frigidi,& humidi: in principio morbi,in prima die, & in primo paroxismo,qui fuit in secunda materiæ multæ crudæ adhuc sunt in uentriculo, quia nondum fuerunt consumptæ,uel euacuatæ,humectant & infrigidant uentriculum,ac membra naturalia: unde non poterat sitis adesse,quod hoc ita sit,& hac de causa sitis non sentiatur in principio,cognouerunt hoc quoque medici nostri temporis antequam dent syrupos, quos uocant ipsi digestiuos, & antequam pharmacum exhibeant,uel sanguinem mittant,prius dant quædam leuiora in principio, ut euacuẽt illam materiam crudam, ne intra uenas impellatur, uel trahatur; dicunt ipsi,euacuare oportet materias communes,quæ non faciunt morbum,sed sunt adhuc in membris primis naturalibus,causam nescientes alteris,quam tamẽ Gal.aßignauit in quarto de tuenda sanitate, ubi hoc præcipit esse faciendum in principio ante alia remedia, ne materiæ illæ crudæ communes trahantur intra uenas,& faciant obstructiones,adaugeant materiam morbi, & morbum intendant.quia igitur in principio erant istæ mate-
riæ

riæ crudæ in uentriculo humectabant, non poterant exic cari membra naturalia: ideo nec in principio sitiebat, in quarta & principio secundi paroxismi, idest in fine tertiæ diei materiæ crudæ iam fuerunt consumptæ, exiccatæ, inflammatæ à calore febrili in paroxismo præcedenti, successit secundus paroxismus, calor igneus febris inuenit uentriculum uacuum ea cruda materia exiccauit, & sitim prouocauit: ideo in hoc paroxismo sitibundus erat, non in primo: ad hoc adiuuabat unum aliud, habebat inflammatas partes interiores, erat inflammatio in hypochondrio sinistro, ex qua magis inflammatæ erant partes illæ, & sitis facta est. in secundo itaque paroxismo sitibundus erat, non in primo, nondum erat inflammatio aliqua uisceris, adhuc materia cruda erat in uentriculo, quæ postea consumpta erat in quarta die, LINGVA præterea exaruit &c. hoc est aliud accidens, Vbi admoneo uos quod tam in ægritudinibus acutis, quàm in chronicis: non solum enim dico hoc in acutis, sed etiã in chronicis: admoneo inquam uos, quod semper debeatis inspicere linguam, quando ægrum uisitis singulis uicibus, & diligenter aduertere, quæcunque circa ipsam sunt consideranda, quotidie spectetis linguam, habet maximam partem ad iudicium, & tantum uobis proderit eius indicatio, ut forsit an melius indicium habeatis ex lingua, quàm ex urina, quæ uidetur tantum præstare in indicando, uel si nõ maius, saltem par, non minus, hoc non est meum inuentum, est antiquum: uideatis Gal. quid dicat in 6. Epid. commentatione. 5. in commen. eius Aph. uel sententiæ, quæ ita

ita habet: Lingua lotium significat &c. & est Aphor. 14. per multas potest differentias indicare, primo per colorem, ut ibi dicit Gal. dominium humorum singulorum indicatur, si lingua sit rubra sanguinis dominium esse significat; si flaua, uel citrina flauæ bilis; si alba pituitæ, si atrum habuerit colorem, melancholiæ; ex dominio humorum tingitur lingua, ut qualis est color humoris dominantis, talis sit color linguæ: quod dicebat etiam Hip. ibi in textu recensem significationes omnes humorum ex lingua quo ad colorem: Hæc quo ad colorem habetis à lingua: Quantum attinet ad superficiem eius oportet uidere nunquid sit aspera, an lenis? si multum sit exasperata significat inflammationem esse in aliquo uiscerum, quia quando hepar, aut lien est inflammatus fiunt multi uapores fuliginosi adusti, qui ascendentes per œsophagum linguam exiccant, exiccata exasperatur. ergo de primo ad ultimum linguam exasperant uapores fuliginosi sicci ascendentes à loco inflammato. primo enim fiunt sicca ea, quæ exasperantur, posteà aspera efficiuntur, asperitas sequitur siccitatem tanquam causam. ideo Arist. in quarto Meteoror. dicebat asperum esse signum sicci, læuitatem uerò humiditatem indicare: & hoc est quoniam asperitas à siccitate prouenit, sicut lænitas ab humiditate: contrarij effectus & signa, contrarias causas significant: huius rationem possumus aßignare ex principijs eiusdẽ Arist. qui in secundo lib. de generatione, & corruptione dixit humidum habet ea, quæ diuisa sunt, et sæparata coniungere, ac continuare, siccitas contrà quæ continua sunt

se-

ſeparat, & diſcontinuat. ubi ergo abundat ſiccitas partes, quæ continuæ ſunt ſeparantur, ut non amplius ſint æquales, una ſuperat alteram, una altior, alia depreſſa: habent magnam inæqualitatem, & hæc proprie aſperitas dicitur: per ſiccitatem enim remouetur humiditas, quæ continuatas partes retinebat, & æquales: ex quo fiebat lenitas & planities in ſuperficie: ſed de hoc latius non dicemus: habent hoc oſtendere uobis philoſophi. ſupponatis nunc ſatis eſſe, quod omnia aſpera ſicca ſunt, & aſperitas ſignum eſt ſiccitatis: ubi ergo uidebitis aſperitatem in ſuperficie linguæ, ut eius partes ſint diuiſæ, & ſegregatæ iudicabitis magnam ſiccitatem adeſſe, quæ non prouenit, niſi ratione membrorum interiorum, quæ inflammata generant multos uapores fuliginoſos ſiccos per œſophagum aſcendentes ad linguam. ergo per conſequentiã, ubi lingua aſpera, indicium eſt inflammationis alicuius uiſceris, ut ſplenis, uel hepatis; in Philiſco erat aliqua inflammatio in his membris, quia in hoc paroxiſmo apparuit lingua arida, aſperata, ſicca, & inæqualis: inflammatio fuit in ſplene in hypochõdrio ſiniſtro: cum hæc ita ſe habeant, lingua uaria indicet ſecundum uarios colores, & uarias ſuperficiei differentias. Hip. ſolum accepit indiciũ ab aſperitate linguæ dicens, Lingua exaruit, tacuit colorem non habuit ab illo aliquam indicationem: cur ergo prætermiſit colorem, uideretur forſan diminutus. Hip. breuitatem amat, notate maximum artificium in textu, non dicit aliquod uerbum ſine pondere, cum acceperit id, quod accidit circa ſuperficiem linguæ ſubticuit colorem,

&

& meritò, ne uerba multiplicaret: hoc enim fuit studiũ proprium Hip. ut cum loquitur ea, quæ sunt essentialia, & ponderat, siqua sunt, quæ uno uerbo intelligi possint, unum uerbum solum dicit, reliqua quæ à legentibus possunt intelligi prætermittens. ideo habeatis hoc quod Hip. intendit loqui semper cum uiris doctis, qui principia Artis sint bene assecuti. Dixit, Lingua exaruit, exasperata est, colorem tacuit, non dixit, nigra fuit lingua, sed lingua exaruit, debebat esse necessario nigra; tamen non dixit: Tacuit autem hoc, quia statim intelligebatur ex asperitatelinguæ, quæ fit à siccitate, et propter id quod subdidit de urina, dixit fuiße nigram urinam. ergo necessario & lingua nigra debuit esse per ea, quæ dixit Hip. cum Gal. in eo sexto Epid. sectione quinta, in eo Apho. quem supra citauimus. Lingua lotium significat, qualis lingua, talis urina, qualis urina, talis lingua, hæc se consequuntur. ideo uir tam in signis sicut est Hip. non posuisset tot uerba, satis est quod dixit, lingua exaruit: quia si exaruit adustio magna fuit: ergo nigredo consecuta: ecce per causam. præterea urina nigra: ergo lingua nigra consequenter, hæc est ratio cur de colore linguæ nihil dixerit, potest intelligi, quòd nigra fuit ex his, quæ dicit NIGRAM urinam reddidit: Debetis scire circa speculationem urinarum, ut sciatis intelligere indicia, quæ ab his habentur, & ea quæ habet in textu Hip. breuiter quædam, quæ uobis distincte, & breui quadam methodo nunc uolo communicare. Debetis inquam scire ex sententia Gal. in primo de crisi cap. 12. quod urina uel signi=

gni=

gnificat ſanitatem, uel ægritudinem: illa quæ ſignificat ſanitatem habet colorem ſecundum naturam: color autem naturalis urinæ eſt ille color medius inter album, & ruffum, neque plane eſt albus, neque omnino ruffus, ſed pallidus eſt, unde proprie dicitur pallidus, uel palearis color ſimilitudine, quam habet cum palea, color paleæ hordei proprie eſt color naturalis urinæ, à Græcis dicitur ὠχρός, pallidus medius inter album, & ruffum, ut eſt color quando ruffum ponitur in albo, qualis eſt color citri remiſſus, Vrina talis pallida lucida eſt, & ſplendens ſubſtantia eius, Quantum ad hypoſtaſim, quæ uariat ſecundum rationem hominum uariam, dico quod prout homo exercetur eſt hypoſtaſis in urina naturalis; ſi exercet ſe aut nullam habebit hypoſtaſin, aut paucam, ſi quam habebit: ſi non exercetur urina habebit hypoſtaſin mediam non in fundo omnino reſidentem; ita enim urina uariatur in hypoſtaſi ſecundum exercitium: Variatur etiam hypoſtaſis in urina uarietate ciborum iuxta eorum quantitatem, ſubſtantiam, & qualitatem: quod cibi uariēt urinas in colore, ſubſtantia, in liquore, in hypoſtaſi, & in omnibus, hoc habetis à Gal. in quarto Aph. ubi oſtendit, quomodo poſſunt mutare urinam, & quod omnino mutatur: Hæc eſt urina, quæ ſanitatem indicat, de hac uideatis latius Hip. ſecundo prognoſticorum, hic tantū per capita dicimus hæc ad intelligentiam eorum, quæ dicuntur. Vrina quæ ægritudinem ſignificat uel ſignificat ſimplicem ægritudinem, ideſt intemperiem qualitatū tantum, uel humores præter naturam: intemperies ualida du=

duplex aut calida, aut frigida, uel igitur indicat intemperiem frigidam, uel calidam: frigidam indicat urina tenuis in ſubſtantia, alba in colore: ſi creſcat frigiditas in intemperie fiunt urinæ liuidæ plumbeæ: Si adhuc magis augeatur frigida intemperies fiunt uirides: ſi ulterius efficiatur maius frigus, urinæ tandem nigræ euadunt: hoc ſummum eſt, & peßimum ſignum, quod poteſt eſſe, quantum ad frigidam intemperiem. Si uero indicet calidam intemperiem ſimplicem ſine affluxu materiæ urina fit in colore citrina magis: ſi adhuc creſcat caliditas uertitur ad calorem croci, & fit crocea: ſi adhuc magis creſcat cum ſub nigredine fit rubor in urina, poſtea eruginea, tandem inualeſcēte calore euadit nigra. Hæc de ſimplici intemperie, quomodo indicetur ab urina. Si autem cum materia adſit frigiditas, ut humores frigidi in corpore abundent, urinæ fiũt albæ, habent reſidentia, ut farina, uidebitis in fundo urinæ eſſe, ac ſi eſſet farina craßiuſcula: quandoque habent nebulam, quando ſunt illa reſidentia, ut farina indicant, quod multi ſint frigidi humores, craßi, et pituitoſi: quando non habent reſidentia illa craßiuſcula, ſed habent quandam nebulã in ſumma parte, et ſignificant, quod humores frigidi pituitoſi flatuantur non remanent ita craßi, ſed tenuiores fiunt dum in flatus uertuntur: Si ſint calidi humores, qui abundent in corpore cum duo ſint ſanguis & bilis, uariæ erunt in utroque urinæ: ſi ſanguis dominatur, urina craſſa, & rubea eſt: ſi dominatur bilis, urina lucida quidem erit, ſed ut ſemper appareant arenulæ quædam natantes in tota ſubſtantia urinæ, ut diſsiliant, ſiquis aſpiciat

in his uideat hæc ſedimenta:ideo in hoc eſt differentia ab urina,quæ indicat intemperiem ſolum: Si ſit materia cum caliditate,materia inquam bilioſa,urina fit flaua cum arenulis reſidentibus. At ſi ſit calida ſolum intemperies urinæ flauæ ſunt ſine ſedimentis iſtis:ſi modo augeatur caliditas cum materia bilioſa fit crocea urina cum ſuis arenulis ſemper:ſi adhuc magis creſcat fit æruginoſa:ſi inualeſcat calor tandem accedunt ad peſsimum gradum, fiunt nigræ,craſſæ cum multo ſedimento, fæculentæ, & hæ ſunt in ultimo malitiæ:iſti ſunt gradus urinæ, qui uario modo indicant de ægritudine breuiter à nobis collecti. iſtis ſic ſtantibus dicit Hippoc.urinas nigras apparuiſſe: Non putetis non fuiſſe in his hypoſtaſin, habebant ſuas hypoſtaſes,quia fuit materia ſimul cum intemperie calida, uidebitis poſtea melius fuit in his urina nigra,ſuum etiam ſedimētum nigrū habebat,ut par rationi erat,neceſſariumq́;: ſed Hipp.id non dixit,quia ſub uno ambo complexus eſt, loquitur cum uiris doctis,& expertis:ſi urina erat nigra: ergo magis ſedimentum ſuum nigrum erat.pro hoc uolo, ut uideatis præter rationem ita dictantem pro meliori ſatisfactione omnium,ne uideatur imaginarium apud me, dico ut Gal.in primo de criſi cap. 10. ubi uidebitis quod ſi ſubſtantia urinæ eſt nigra,ſedimentum nigrum eſt, licet non ſit uerum contrà,poteſt eſſe ſedimentum nigrum in urina non nigra. Vnde dicit ibi Galen.quod ſi in urina apparuerit ſedimentum nigrum eſt mala urina, & quantum attinet ad prognoſticum, morietur ille infirmus: ſed non omnino aufertur ſpes de ſalute,& ut loquar ſicut ip

ſe

ſe dicit, quandoque uidi aliquos eſſe ſaluatos: Si eſt urina nigra, ideſt, ſubſtantia urinæ cum ſedimento nigro peßima eſt, & ego dicam ſicut Galen. mortem neceſſariò futuram eſſe ſignificat. Ego (inquit) nunquam uidi aliquem ſaluatum eſſe, urina tali apparente nullum euaſiſſe reperi. Sed cum urina nigra eſt, non quod ſubſtantia eius ſit nigra: ſed quia ſedimentum, quod eſt in urina nigrum eſt malum indicium eſt, ſed tamen non omnes moriuntur, quandoque ſaluantur, nigra exiſtente ſubſtantia ipſius nullus ſanatus eſt, intelligatis in febre, & morbis acutis: Nam alioquin hoc uerum non eſt, imò aliqui ſunt, qui comedunt aliquid uitiatum, quod denigrat urinam, uel quando ſe exerceant nimis, & ſunt obſtructiones in uiſceribus, ut in ſplene, hepate, urinæ nigræ fiunt, ſani ſunt, non ægrotant, non morientur, quamuis urinam meiunt nigram propter cibos, qui tingant urinam, aut propter exercitium aduruntur, aut effunditur bilis atra, & bilis flaua, quæ lucidam reddit urinam, retinetur. diſtinguendum igitur eſt quando dicitur, quod urina nigra peßima eſt, neque aliquis unquam ſaluatus eſt. notetis, intelligit nunc Gal. quod nullam ſaluatum uidit in febre acuta, uel in morbis acutis, de his quæ in ſanis apparent non intelligit. cum ſedimine igitur nigro aliqui ſaluati ſunt, cum urina nigra in febre acuta nullus ſanatus eſt, omnes moriuntur qualis erat febris in hoc uiro: iſte homo habuit utrunque & nigrum ſedimentum, & ſubſtantiam nigram. dicit Hippoc. quod mixit nigram urinam cum ſedimine nigro, quia poſtea nigram reddet utroque modo: ſudauit ſudore frigi-

do, ſitibundus erat, ſubcrepuſculo, ideſt, circa principium noctis febris iterum rediit acuta, lingua exaſperata cum ſudore iterum frigido, urina nigra circa quartam horam, uel primam horam noctis, uel circa principium noctis, ſub crepuſculum hoc fuit, poſtea totam noctem habuit inquietam. NOCTEM grauem habuit, neque dormuit, uigilauit, inquietus fuit: hoc neceſſariò debuit eſſe primo quidem per regulam illam medicorum, propter ea quod futurus erat paroxiſmus in die ſequenti. Regula eſt quod nox præcedens diem paroxiſmi inquieta, & grauis eſt. Quibuſcunque criſis fit, his nox grauis ante acceſſionem &c. dicebat Hippocrat. ſecundo Aphoriſ. & cum eo Galen. ibi, & alias ſæpe, hæc eſt prima ratio: ſecundo debuit etiam eſſe inquieta nox, ſicut fuit, quia habebat paroxiſmum febris, quo affligebatur; incepit enim in crepuſculo, uel in principio noctis ſub crepuſculum, non potuit aliter eſſe, quin inquietè maneret his duabus de cauſis. habuit ergo noctem grauem, non dormiuit. OMNINO delirauit &c. Hoc etiam fuit additum in ſecunda acceſſione, quæ fuit in nocte præcedente quartam diem: Nam & ſi antea habuerit grauem noctem, tamē dormiuit, non delirauit, non dixit ita Galen. ibi, quod poſtea additum eſt in ſecunda acceßione, & hoc meritò, quia in principio morbi nondum ſiccatum erat cerebrum, ſicut in hoc paroxiſmo. Debetis enim ſcire, quod priuatio ſomni fit à ſiccitate cerebri, humiditas eſt propria, primaria, & per ſe cauſa ſomni: ſiccitas uero uigiliarum, ſi ſecundum Galenum, quem nunc ſectantur, & ſecundum omnes medi-

cos

eos uolumus loqui;quorum ſententia fuit,ut humiditas ſit principalis cauſa ſomni,non frigiditas. Bene dixi ſecun=cundum medicos, quia ſecundum philoſophos aliter eſt: Nam in hoc uidetur eſſe diſcors Ariſtot. à Galen. qui in libro de ſomno, & uigilia uidetur totum oppoſitum ſu=ſtinere,quod frigiditas ſit principalis & per ſe cauſa ſom ni:ut frigiditas primo faciat ſomnum,per accidens ad hoc agat humiditas. Ego cum de hac quæſtione ex profeſſo ſermonem haberem annis elapſis tenui cum medicis, & conciliaui Ariſto.cum Galen.quia reuera non differunt, imò Ariſtot. hoc idem dicit, neque aliter poteſt eſſe apud philoſophos,tametſi uideatur diſſentire non diſſentit: O=ſtendi Ariſtot. dicere,quod humidum conciliat primariò ſomnum,ut Galen.contendit,dabam exemplum de rore, ut ros cadens in nocte primo humectat,deinde refrigerat: ſic uapores,qui cauſant ſomnum naturalem primo hume=ctant,tandem refrigerant, ita ut humiditas primo faciat ſomnum, ſecundo frigiditas,hoc uoluit Ariſt. ſi haberem tempus adhuc clarius oſtenderem,ſed non eſt locus pro=prius uagandi in hac materia,ſatis eſt Ariſto. hoc uelle, quod etiam cognoſcens ille Poeta dixit uolens dicere Pa=linurum incidiſſe in ſomnum,finxit ſparſum fuiſſe rore madido cadente à cœlo,quo ita quieuit poeta: optime, & artificioſe tetigit naturam ſomni, quæ à Galen.& philo ſophis realiter & manifeſte declaratur. uoluit autem Poeta idem dicere,quod primùm humectato cerebro, dein de refrigerato ſomno correptus fuit Palinurus. Bene uerum eſt quou Ariſt. ſicut & Galen. uult ſoporem fie=

rià frigiditate primo, & per ſe, humiditate ſecundariò. ſopor non eſt ſomnus naturalis, Nos loquimur de ſomno naturali. Vnde papauer cum frigidum ſit non inducit ſomnum, & ea, quæ maxime ſunt frigida, illa inquam non cauſant ſomnum naturalem, ſed inducunt ſua frigiditate intenſa ſoporem: ſomnus naturalis fit ſolum primariò ab humiditate, ſecundariò à frigiditate. Siccitas uerò per ſe primo uigiliarum cauſa eſt, caliditas ſecundario, & præter naturam. optime nouit iſta Ariſtot. non poſſum longius immorari in his. Philiſcus noſter non dormiuit primo propter magnam ſiccitatem, quæ à febre fuit inducta in cerebrum, ſecundo quia cerebrum exiccatum eſt propter uapores aſcendentes à materia putrida fuliginoſa: propter iſta duo non dormiuit, ſomnus non poterat eſſe ablata cauſa ſomni, quæ eſt humiditas naturalis.
Eadem de cauſa quare non dormiuit, delirauit etiam propter uapores aſcendentes cerebrum exiccantes. delirium ſecundum ſententiam Galen. & Auicen. & paraphrenitis fit à ſiccitate cum materia coniuncta ob uapores calidos fuliginoſos à materia acri, ſiccaq; eleuatos, qui cum ad cerebrum aſcendentes peruenerint ſiccitatem inducunt & faciunt materiam, & melancholiam ſeu deliriũ, & cæteras conſimiles paßiones: non dormiuit, & delirauit: ſi delirauit non potuit dormire: ab eadem enim cauſa proueniunt ambo, ſed differunt ſecundum intenſionem, & remißionem: oportet cerebrum magis exiccari in delirio, quàm in priuatione ſomni. ideo ſi delirauit non dormiuit, non tamen ſequebatur, non dormiuit: igitur delirauit, quia pri-

priuatio somni poterat esse siccitate simplici sine materia. at delirium cum fiat à materia sicca calida, si delirauit signum erat, quod aderat materia, propter quam etiam non dormiuit, quod affuerit præter siccitatem materia patet, quia si non fuisset materia in cerebro siccitate præsente non esset delirium, uel paraphrenitis, sed κάτοχος congelatio, quando homo congelatur, non dormit, non delirat: κάτοχος enim fit à magna siccitate cerebri sine materia: ut habetis in primo Prorrhethicorum ab illo Authore, & ab Auicen. congelatio dicitur in tertio lib. cap. de congelatione: At si cerebrum exiccatur, & adest materia mala sicca non congelantur homines, sed incurrunt delirium. ubi ergo delirium, ibi materia necessariò calida & sicca: iste non dormiuit, & delirauit: aderat igitur materia in cerebro calida & sicca: de his non dicam plura, satis est quedam tetigisse ad rem nostram necessaria. Notate quæso diligenter omnia ista, habebitis discursus hoc anno multos, perlustrabimus totam istam artem, per omnia discurremus modo longius me extendendo, modo magis restringendo, uultis aliud? Scio uobis dicere, quod totam artem addiscetis, omnibus satisfaciemus: scio multos uestrum esse, qui indigent calcare ad intelligenda ea, quæ docentur; Aliqui alij sunt, qui non modo non egent calcare, uerum etiam freno sunt reprimendi, omnia facile capiunt, & sunt quandoque nimis prompti omnes erunt contenti. QVARTO cuncta exacerbata sunt &c. merito euaserunt omnia fortiora, & grauiora: scitis cur? ista erat dies exacerbationis, in qua debebat esse paroxismus,

quia (ut dictum est) inuadebat paribus diebus. in quarta igitur debuit magis exacerbari, & si ante præuenerit, & occupauerit: quandoquidem dixit Hipp. quod sub crepusculum ante quartam inuasit accessio febris acutæ, quæ debebat esse omnino quieta. ergo exacerbatio perdurauit in tertia, & in quarta die: qua de causa per regulam supra assignatam ex Galen. necessariò futura erat crisis in sexta & ad mortem per ea, quæ euenerunt, non poterat euadere: in tertia die quæ debuit esse quieta, habuit paroxismum febris acutæ, in quarta die exacerbationis ordinariæ debuit habere accessionem, habuit, & omnia sunt facta grauiora: quomodo obsecro putatis hunc infælicem euasurū? tam magna & pessima symptomata fuerunt, quæ indicabant necessariò mortem, anticipauit accessio, nunc omnia grauiora euaserunt, quomodo? nonne audistis in primo paroxismo, & in principio secundi, qui fuit sub crepusculum inuasisse febrem acutam cum sudore frigido, urinæ nigræ erant, non dormiuit, uigilauit, exaruit lingua omnino, delirauit, quid peius poterat esse? necessariò debebat mori, tamen dicit Hipp. omnia ista mala symptomata exacerbata sunt in quarta die accessionis, quomodo euasurus est iste homo? citò morietur necessariò, quando putatis cū non possit euadere, quod moriturus sit? quia symptomata pessima, & quia febris anticipauit de necessitate non poterat pertransire sextam diem, ut non moreretur, ita sensim duxit nos, ut iudicaremus futuram mortem, quum manifestè poteramus prædicere in secunda, & clarius in tertia: nunc tam clare indicium erat à sympto-

ma-

matibus, ut unusquisque etiam rudis poßit intellige-re moriturum esse Philiscum: & qua die mori debeat, potestis uidere quàm admirandum artificium sit Hip. in disponendo symptomata, quæ singulis diebus contingerunt, ut etiam si subticuisset ægrum istum mortuum esse, per nos poßimus bene iudicare, est diuina doctrina, & semper magis admiranda, quanto magis consideratur, singula uerba sunt arcana, non nugas ponit: ita fietis me dici ab isto uiro. VRINA nigra &c. Adhuc magis admiror prudentiam Hip. Audiatis: Reddita iterum est urina nigra: cum fuerint omnia in quarta die exacerbata, quæ in aliis superioribus diebus erant leuiora, addit hoc urina nigra: superius dixit, urina fuit nigra, hic iterum addit urina nigra, uidetur uerba multiplicare, tamen Hip. nunquam nugatur, fugit quàm maxime nugas, dicit bis idem: nunquam temere loquitur, non sine magno mysterio hoc addidit, ut clarius adhuc patebit, quando tertiò repetet idem: notate mysterium, & arcanum artificiosißimum in textu, & uidebitis quod non modo non fuit dictum temere, sed consultò id fecit, Vrina nigra. Debetis scire quemadmodum supra dicebamus, quod urina potest nigrescere dupliciter, nigrescit aut quia hypostasis, quæ est in urina nigra fit substantia urina lucida remanente, uel quia substantia urinæ nigra est non amplius sedimentum. Rursus idem repetatis, substantia urinæ nigrescit dupliciter uel propter adustionẽ sanguinis, quoniam aduruntur humores, et tingunt substantiam urinæ; uel propter extinctionem caloris inna-

ti, quia corpus refrigeratur, & calor naturalis diminuitur. hos gradus nigredinis non imaginor, bene notetis, sunt Hip. reperietis in textu, Hip non in docendo solum, uerum etiam in loquendo fuit artificiosissimus, uolens ostendere, quod in hoc uiro successiue apparuit urina nigra propter has tres causas ter in hoc textu repetiuit: Vrina fuit nigra, non multiplicans uerba: primo reddita est urina nigra, quoniam hypostasis in urina erat nigra, non substantia urinæ: in secundo paroxismo minxit urinam nigram non quidem propter hypostasin, sed quia substantia urinæ nigrescebat propter primam causam, quia sanguis adustus erat: tertio & ultimo loco dixit minxit nigrã, uolens significare Hip. quod urina omnino nigra erat, & propter hypostasin nigram, & propter substantiam urinæ nigram, quæ nigra erat facta nõ propter sanguinis adustionem, sed propter extinctionem caloris naturalis: iam moriebatur, Et ita uidetis, quod uoluit Hip. significare uobis in hoc ægroto nigram fuisse urinam omnibus modis successiue, sicut ad mortem magis accedebat. ideo ter dixit, urina fuit nigra non immerito: uidete modo an sit mea imaginatio, inuenistis in Hip. hos tres gradus urinæ nigræ, quos secundum ordinem disponens in textu dicit primo quod urinam minxit nigrã, quia habebat hypostasin nigram, quod erat pessimum signum, & quia Hip. uidit grauiora omnia, ægritudinem ualidiorem, addidit secundo: Vrina nigra: tertio mors instabat, calor extinguebatur. ideo minxit nigram: habetis tres causas, quibus urina nigrescit, & quanto arti-

ficio repetat ista: oportet uidere hæc arcana in textu, non percurrere, sed ponderare quando loquitur iste homo diuinus, non tumultuate sunt audienda cũ attẽtione.

QVARTO CVNCTA exacerbata sunt urina nigra, nox molestior, urina melioris coloris &c. Oportet uos meminisse omnia, quæ superius dicta sunt, & continuare: intellexistis casum huius Philisci, & omnia symptomata circa ipsum contingentia usque ad diem quartam: Ex his symptomatibus indicabimus essentiam morborum, & causas eorum indagabimus, ad prognosticum accedentes tandem curationem proponemus, quæ in tali casu conueniat, quem processum postea tenebimus: intellexistis omnia symptomata, febrẽ inuasisse statim à principio acutam, quemadmodum exacerbationes habebat in paribus diebus, quod peßimum indiciũ afferebat, sudores frigidi, urinæ nigræ erant, Et cum febris ista paribus diebus consueuißet inuadere, in secunda habuit acceßionem, debuit postea in quarta accedere, quod est admodum notandum in hoc casu mutauit consuetudinem, & anticipauit per aliquod spatium temporis; in tertio sub crepusculum acuta febris inuasit, exacerbatio secuta est, quæ inuadere debebat in quarto, si uerum est quod exacerbabatur in diebus paribus, si hoc uerum est debuit paroxismus esse in quarto, tamen dixit quod in fine tertij cœpit acceßio febris acutæ; hoc erat malum signum in morbo acuto, anticipauit per illud tempus tertiæ diei: ex hoc iterum quod per hos duos dies paroxismus durauit, & febris fe

cit

cit anticipationem accedens in fine tertiæ indicium certiſ ſimum erat, quod neceſſario moriturus eſſet in ſexta die, in qua defunctus eſt: aſini cognouiſſent ex accidentibus tam manifeſtis, & certis; quæ & mortem, & breui fore ſignificant, quod moriturus erat in ſexta, non poterat euadere, neceſſario debebat mori. Dicebamus ſi meminiſtis hanc regulam eſſe firmam apud medicos, & eſt regula tradita à Gal. in commen. huius Aph. quæ talis eſt: quandocunque in tertia, & quarta ſimul febris exacerbatur, fac memineris quod citò, citò erit criſis illius morbi, uirtus non poterit ſuſtinere ultra ſextam, uel circa: in Philiſco ſub crepuſculnm anticipauit acceßio febris acutæ, & non ceſſauit, ſed in quarta etiam perſeuerauit. igitur iudicandum erat moriturum cito, non euaſurum ſextam: hæc fuerunt quæ prognoſticum nobis confirmabant: audiſtis iſta in genere, modo audiatis in ſpecie. Dicit Hic. Quarto cuncta exacerbata ſunt, urina nigra, nox moleſtior, urina melioris coloris: omnia, inquit in quarto fuerunt grauiora, ſymptomata inualuerunt, urinam in ea die paroxiſmi minxit nigram: repetit id quod dixerat ſuperius, ſed non ſine cauſa, maximo myſterio hoc fecit: Videatis magnum artificium Hip. quo loquitur, & breuitatem, & grauitatem coniungens. oportet ut intelligatis, & uidebitis quod ueré docet Medicinam ubique. hic dicam de Hip. & merito poſſum dicere, quod Quintilianus dicebat de M. Cicerone, qui non intelligit Ciceronem, & ipſum diligenter non aduertit, ille ignauus eſt dicebat Quintilianus, ille ſibi perſuadeat ſe

mul-

multum in eloquentia, & facultate dicendi, cui placet Cicero profecisse, alioqui nihil profecerit: Sic ego dicam hoc loco de Hip. in Medicina ille maxime in Medicina proficiet, & euadet bonus medicus, cui placet Hip. qui intelligit ipsum artificiũ, quàm mire, quæso, loquatur uideatis, scio quomodo semper habeatis ipsum in manibus. Repetiuit igitur hoc, minxit urinam nigram non immerito, consultissime id fecit, ut declarabamus etiam superius, quando intellexeritis qua ratione ita locutus fuerit, non admirabimini nisi prudentiam huius hominis: Admonui uos ex sententia Gal. in primo de crisi, cap. 12. quod si uideritis, cognoscetis ea, quæ dicuntur: admonebat uos Gal. ibi, quod urina põt nigrescere tripliciter, siue propter tres causas nigra fit, aut fit nigra non ratione substantiæ, sed ratione hypostaseos, quæ in urina continetur: aut fit nigra ratione propriæ substantiæ, quia substantia urinæ nigra est: aut propter extinctionem caloris ratione frigiditatis, quia corpus refrigeratur, ut proximum sit morti. Tres ergo gradus urinæ nigræ secundum tres causas, quæ possunt illam nigrefacere, ista non sunt mea, neque imaginaria, præter hoc quod uobis ostendi ex natura rei in re ipsa, sunt etiam Gal. in eo 12. cap. uideatis: non sunt chymeræ, neque noua, non recedo à Gal. primo quidem fit nigra hypostasis, & si urinæ substantia non sit nigra: facilius enim & minori de causa nigra fit hypostasis, quàm substantia: si substantia debet nigrescere, requiritur maior & fortior causa. fit autem nigra hypostasis urina propter melancholiam, quæ adusta ad ue-

ſicam excernitur, melancholia fit aduſta facillimè inter omnes humores. Ideo facillime hypoſtaſis nigreſcit: inde bene dixit Gal. & rationabiliter, quod urina nigra apparente, in qua hypoſtaſis nigra ſit, ſubſtantia non, malum quidem iudicium à medico fieri debet de morte: multi tamen ſaluati ſunt, & dicit Gal. plurimos uidiſſe ſaluatos, ſed quando ſubſtantia urinæ nigreſcit, peſſimum indicium affert, & morbum maligniorem ſignificat. ideo apparente urina nigra, quia ſubſtantia nigra eſt nullum uidit unquam ſaluatum fuiſſe, omnes moriuntur, nec poſſunt euadere, nigreſcit urina, non quia melancholia aduratur, ſed color iam aduſſit alios humores, ut etiam aquoſitatem & ſeroſitatem urinæ attigerit, magna ergo cauſa fuit, quæ potuit adurere aquoſitatem humidam ineptã, ut aduratur, magnus eſt ille ignis, qui in aqua non extinguitur, ut dicunt noſtri recentiores, quando loquuntur de febribus: ſic magnus debuit eſſe calor, qui non potuit extingui in ſeroſitate humorum ex qua fit urina, non modo non potuit extingui, ſed etiam aduſſit aquam, & nigram reddidit urinam: ſi aquoſitatem ita humidam potuit adurere uſque ad nigredinem, creditis uos quod magna fuerit uis ipſius caloris? certe non potuit aliter eſſe. ergo magna exiſtente cauſa morbus neceſſario magnus eſt: ſi urina appareat nigra in ſubſtantia, cauſa non poteſt eſſe niſi magna, calor adurens intenſus, & morbus magnus, & malignus eſt. igitur malum indicium affert urina nigra, quia indicat magnitudinem cauſæ, malitiã morbi, peior eſt iſta urina, quàm prima quæ nigreſcit leui, et re=

remiſſo etiam calore, quia melancholia de ſe facilè aduritur, & ex aduſtione nigreſcit. Quia in Philiſco ſemper inualeſcebat ægritudo, & cauſa intendebatur, hinc eſt quod urina in malitia indicandi peius habebat, quod aduertens Hip. ter quidem dixit urinam minxiße nigram, non eodem modo, quos omnes tres tetigit. primus gradus nigredinis erat, urina nigreſcebat, quia hypoſtaſis erat nigra, ægritudo erat mala, & calor febrilis intenſus, ſed non ita ut aduſta ſit aquoſitas urinalis, adußit partem humoris melancholici: ex quo hypoſtaſis nigra erat: deinde additur urina nigra, quia ſubſtãtia urinæ iam nigruerat, non amplius propter hypoſtaſin ſolam iam nigredo occupauerat & ſubſtantiam, & hypoſtaſin, inualuerat ægritudo, & cauſa maior facta: tertio fuit nigra urina, non ſicut prima propter humorem melancholicum aduſtum, nec propter aduſtionem aquoſitatis urinalis, & omnium humorum; ſed quia hypoſtaſis, & tota urinæ ſubſtantia nigra eſt propter extinctionem caloris innati. ideo uidetis quod in tertio loco dixit urinam minxiße nigram, & ſtatim erat moriturus, cum dixiſſet in primo paroxiſmo fuiſſe urinam nigram, quia hypoſtaſis nigra erat, & malum indicabat, nunc modo addidit in ſecundo paroxiſmo urinam nigram minxiſſe, quæ haberet ſubſtantiam urinæ omnino nigram. ideo peius indicium afferebat, et morbum ualidiorem, & cauſam potentiorem redditam eſſe, merito dixit Hip. antequam mentionem faceret de urina nigra, cuncta exacerbata ſunt in quarto, ita patet uobis maximum artificium ipſius, & myſterium in

tex=

textu. Notate, non intelligetis postea ipsum, nescietis cur toties inculcet hoc: indiget interprete, hoc ipsius fuit perpetuum studium, ut interpretem haberet. Vidistis hactenus hos gradus urinæ nigræ in ipso, non est meum figmentum hoc: Audiatis, postea dicit. NOX MOLESTIOR: Non immerito hoc adiunxit, quia certius mortem significabat: uultis hoc uidere, nox quæ debebat esse quieta, fuit molestior, cum duobus simul diebus perdurasset paroxismus: uidete malum significabat. Nox antecedens diem quietum est quieta, omnia remittunt, sicut nox præcedens diem paroxismi est inquieta & molesta, regula est, & sententia quam supra tradidimus ex Hip. in eo Aph. 2. part. Quibuscunque crisis fit, his nox grauis ante accessionem: Quæ uero subsequitur magna ex parte leuior existit: hac ratione dicebam superius noctem ante secundam diem fuisse inquietam, quia in secunda futurus erat paroxismus, & nox ante paroxismum grauis est, debuit esse nox quieta ante quintam diem, et nō fuit: nox enim molestior: peßimum indicium, non satis erat afflictus præter hoc, quod haberet etiam noctem molestam. Quod autem debuit esse nox quieta ista, patet; declaro sic: scitis quòd exacerbabat in die pari febris ista maligna, in secunda, in quarta. igitur in diebus imparibus quieta nox esse debebat, quia & dies quieti sine accessione febris, in quarta fuit paroxismus, in quinta non erat futurus paroxismus. ergo in nocte ante quintam debuit esse quietus, & liber à febre, & symptomatibus, non fuit, nox fuit molesta, debuit etiam correspondere tertiæ no-

cti ante tertiam diem, quæ fuit quieta. sed fuit molesta, sicut ad crepusculum ante quartam deterius habuerat, certe ex hoc non poterant iudicare medici, nisi quod esset moriturus: Notetis, & si fuit in tertia, quæ erat dies quieta, paroxismus, & febris exacerbatio in quarta perseuerauerit, nox adhuc molestior successit, in qua debuit parum resocillari, non potestis nisi expectare mortem citò futuram: propterea Hipp. non sine leui causa addidit hoc, nox fuit molestior: Deinde dicit: VRINA MELIORIS coloris &c. creditis uos, quòd statim iudicaret bene ualere? Vrina est melioris coloris: ergo bene ualet, creditis quod tam fatuus esset Hipp. tam mobilis ingenij? tantus uir non motus esset à suo iudicio, & si urina esset melioris coloris, sed fòrsitan alijs uisa est bona urina, quod appareret esse melioris coloris, non liber erat, uisus est alijs, non Hippoc. imo desperaret, nihil peius esse potest indicium de morituro, quàm cum apparet urina coloris melioris cum omnibus malis symptomatibus, quæ prius erãt: in Philisco non modo eadem erant symptomata mala, sed omnia etiam exacerbata, & tamen urina erat melioris coloris: hoc erat peßimum indicium, & quod sensim tenderet ad mortem: quod diximus de urina idem est de pulsu, quotiescunq; pulsus apparet secundum naturã non mutatus ad aliquam differentiam stantibus eisdem malis symptomatibus, quæ prius in morbo apparuerant, non potest peius esse indicium, statim ille morietur, proximus est morti, ut bene admonebat etiam Gale. in secundo de præsagitione ex pulsu: in malignis, & pestilentibus febribus

pulsus apparent secundum naturam, urina apparet naturalis, tamen omnia symptomata sunt lætalia, febris maligna est, putredo iam confirmata in corde, uel in eius humoribus, uel etiam tandem in substantia cordis: morietur æger citissime, urina & pulsus sunt secundum naturam: quomodo potest hoc esse quæso? & rationem dat ibi Gal. dicens in febre pestilenti est summa putredo in corde confirmata, omnia sæua symptomata, uirtus maxime aggrauatur, & tanta est uis ipsius morbi, tantaq́; potentia hostis, ut à pugna defessa deterreatur, morbo inualescente uirtus magis debilitatur, debilis existens non potest suas operationes perficere, uirtus expulsiua non expellit, con coctiua non fungitur suo officio, & tandem omnes operationes à singula uirtute fiunt deteriores, uitalis uirtus non potest aggrauata ab hoste mouere arterias: ideo pul sus fiunt parui, ferè naturales, expulsiua non expellit ma los humores: ideo urina apparet naturalis: mors instat magis, ac magis. in nostro Philisco omnia symptomata sæua apparuerant in superioribus diebus, sed quia nondum uirtus erat defessa, sed fortis humores malos corruptos concoquebat, expulsiua expellebat extra uenas per sudorem, per urinam, & alia loca humores ita putrefactos, & adustos. unde urinæ nigræ reddebantur, sudor exibat: quanquam symptomaticè, cum esset sudor ille diaphoreticus non criticus: satis est quod natura agebat in humo res rebelles, & stantibus symptomatibus urinæ nigræ fie bant, uirtus erat ualida, quæ ageret contra suum hostem: sed nunc post quartam, in qua fuit paroximus, nox gra-

uior

uior extitit moriturus est in sexta Philiscus, dicit Hippo. minxit urinam melioris coloris, non erat amplius nigra, sed colorata, lucida, iam debilitata uirtus expulsiua fuit à morbo à tanta putredine humorum, non poterat expulsiones facere, concoctiua non concoqnebat, expulsiua non expellebat illos humores adustos corruptos extra uenas: sic humores adusti non miscebantrr cum aquositate urinali, natura ita debilis excernebat solum quandam tenuem aquositatem, ex qua fit urina sine humore aliquo; non tingebatur, sed colorata & lucida ita exibat: hinc est quod urina fuit melioris coloris, idest, colorata proprio colore, non absolute fuit bona urina, neque per se. non poterat igitur indicare, quòd bene ualeret: sed fuit melior urina melioris coloris respectu uisus, uidebatur quoad colorem melior, & respectu coloris, quem habuit antè in tertia, quarta, & secunda urina fuit nigra mali coloris, nunc est colorata meliori colore, quia non est ita nigra sicut erat: malum enim in respectu maioris mali licet in se malum sit, dicitur bonum: ideo urina melioris coloris fuit, uerum est non respectu positiui sui, ita ut fuerit melior respectu sanitatis, in qua bona est, sed comparatiue dicitur respectu contrarij, quia in præcedentibus diebus fuerit mali coloris et nigra: sicut dicimus de duobus hominibus malis unum esse meliorem, non quod in se, uel respectu hominis boni sit melior, sed quod non ita malus, sicut alter: urina melioris coloris non erat urina bona, peßimam ægritudinem indicabat, & ægrum properare ad mortem. Et hoc est ad mirabile dictum ipsius Auic. in prima quarti in

tractatu de febribus pestilentibus, in capite de signis febrium pestilentium: Et quandoque est de his febribus pestilentialibus, in qua non percipit æger, nec tangens propinquus multitudinem caloris, & pulsus apparent secundum naturam, urina secundum naturam, non alterantur alteratione magna, & tamen cum hoc ipsa est interficiẽs uelociter, & hæsitant medici in esse eius, ægri tendunt ad mortem, & uidentur non ægrotare, dicunt se non ægrotare, continue moriuntur. Hinc est quod Hippocr. iure optimo notauit in textu urinam fuisse melioris coloris: Notetis ante quintam diem nox fuit molesta cum in quarta fuisset exacerbatio simul, et in quarta, sæua omnia ergo signũ erat quod natura deuinceretur à morbo ualidiori, cũ debuisset quiescere, et morbus remitti, intendebatur magis, & uirtutẽ affligebat, omnia symptomata pessima aderant, superuenit urina melioris coloris, idest, lucida, pura aquositas urinalis, non nigra, sicut ante fuit, hoc erat signum futuræ mortis citò, nihil peius contigisset: cum omnia symptomata remansissent successit urina melius colorata, natura non amplius agebat contra hostem, statim necessarium erat quod decumberet. QVINTO AD meridiem parum de naribus, idq; merum stillauit &c. Debebat in quinta quiescere, quæ erat dies quietis, & intermissionis; tamen fuit maligna, pessimè habuit, sæua symptomata acciderunt, & omnino tertiæ correspondit sub crepusculum, quoad symptomata: Notate nihil peius poterat addi ad detrimentum, ad priora enim quæ passus est accessit stillicidium sanguinis e naribus, & quidem paruum,

uum,quod id debuit esse in quinta, & in meridie indicauit tertia:in quinta uidebatur esse liber ab omni febre & accidentibus circa meridiem:natura in quinta, quæ non erat dies paroxismi fecit impetum contra morbum, & causam morbi:stillauit sanguinis parum e naribus: natura tentauit aliquid circa meridiem, sed debilis iam defessa nihil potuit perficere, uoluit tamen aliquid aggredi, stillicidium fecit per nares. Notetis hic sunt pulchra consideranda, altius rem repetamus:stillicidium hoc e naribus malum fuit indicium, & peßimum symptoma in quinta die, omne stillicidium malum, & præter naturam existit. Est autẽ præter naturam tribus de causis hoc stillicidium, quod fuit in Philisco: primo quidem ratione sui, quando stillicidium, id est, guttæ quæ exeunt e naribus in ægritudine malæ sunt, & præter naturam malum etiam indicium per uiam causæ, signum est quod materiæ multæ, & humores petunt caput, natura non bene ipsos regulat, sed secundum proprium impetum mouentur: unde cum ascenderint caput dißiliunt & uasa disrumpunt, unde sanguis stillat, & effluit, hoc malum est ut materiæ ita ad caput ascendant. id, eo si fuerit uel acuta, uel longa semper malum: si in acuta id contiget morietur æger: si uero in chronica longa fiet ægritudo, ita per uiam causæ malum fuit indicium: per uiam autem signi malum, quia præter hoc quod erat stillicidium sanguinis fuit parum non multum, signum est q̃d natura tentauit pugnam contra hostem, sed non potuit pficere id, quod inceperat:succubuit: si multum stillasset de sanguine bonum fuisset, non ita malum, sed per uim stilli=

cidium fuit: quod hoc sit sicut dictum est uidebitis adhuc melius in alijs casibus, non oportet omnia in uno casu proponere, satis est quod malum fuit stillicidium, sanguinis parum, si fuisset multum non ita malum extitißet. Vnde Gal. quem uideatis, quoniam dixerat Autor ille prorrhethicorum in tertio Prorrheth. Aphor. uel sententia. 49. dicit. Quæ ex naribus cum surditate, & ignauitate parua est stillatio, difficile quippiam habet, inquit Gal. in commento eius Aphor. quod Autor iste Prorrheth. nescio quomodo inconsiderate dixit, difficile aliquid portendit, non debebat dicere aliquid difficile portendit; sed lætale, uel aliquid consimile: quoniam omnis ægritudo cum stultitia, uel cum surditate, uel furore acuta est, si superueniat stillicidium sanguinis e naribus malum est, & mortem significat non modo difficultatem: in longis uerò ægritudinibus longitudinem ostendit. Erat malum stillicidium in hoc Philisco secundo propter aliam causam quam tetigit Hippocr. cum inquit. IDQVE merum stillauit &c. merum fuit id stillicidiũ, quod facilius ipse dicit Græcè, & fœlicius ἄκρατον ergo malum: Nam ut uidebimus melius etiam in casu sequenti Sileni, quandocunque aliquis humor exit à corpore merus ἄκρατος signum est, quod sua aquositas, & suus ichor fuit resolutus, & consumptus. ideo humor purus, & merus excernitur, ut si bilis syncera excernitur sine proprio ichore, sola & uera substantia bilis: signum est, quod ichor ipsius absumptus est, alias declarauimus quid sit ἰχὼρ, est subtilior, & tenuior pars aquosa in quocunque succo, uel humore, quæ à no-

stris

ftris aquoſitas dicitur, & oſtendimus omnes humores habere proprios ichores: ſanguis habet ſuum ichorem, bilis ſuum, melancholia ſuum: probauimus ratione ſecundum Platonem, & Galenum, à quo non diſſentimus, ut ſenſu etiam oſtenderimus illos eſſe in quocunque humore deprehenſos, ut pote qui & ſubtiliorem, & fluidiorem humorem reddant, quàm ſit in propria natura, & ſubſtantia. Et qui negant eos, neſciunt principia medicinæ, Gal. non intelligunt, quem profitentur, bonos & ueteres tũ philoſophos, tum medicos non aſſequuntur, & tandem ſenſui repugnant. hoc nunc ſupponatur, quod aliàs firmiſsime & diſtinctiſsime probatum eſt à nobis: Dico ꝙ ſi ichor humoris abſumptus ſit à calore, ſi exeat ſanguis, uel melancholia, uel pituita, uel quicunque humor craſsior, & ſiccior exiſtit, neceſſariò quem cum ichore admiſtum habet. ideo ſanguis excernitur craſſus, & niger, quando ichorem non habet commiſtum. ſi ſeparatur ab ichore, ut ſubſtantia illa ſeroſa tenuis, a qua tenuis clarus, & ſubtilis efficitur, ſeiungatur à parte craſsiori, quæ eſt uera ſanguinis ſubſtantia: ichore ſeiuncto ſtatim ſanguis redditur obſcurus, craſſus, niger, remota cauſa ſubtilitatis in ſanguine craſſus efficitur, & terreſtris, & peſsimus: atq; hæc eſt cauſa ſecunda propter quam malum exiſtit ſtillicidium ſanguinis. Hic notetis Hippocr. non fruſtra addidiſſe, quod merus fuit ſanguis, qui ſtillauit, & per hoc, quod dixit ſanguinem, qui excretus fuit e naribus, merum fuiſſe, habere poteſtis conſequenter, quod craſſus erat obſcurus, quòdq; eſſet niger: quia merus non cum ichore,

ſubſtantia erat ſola, craſſa, terreſtris, ichoroſa nunquàm pars ipſius fuit à calore abſumpta, & reſoluta: tacuit hoc Hippoc. quia ex hoc poteeat unuſquiſque intelligere reliqua, ſeruat ſemper ſuam breuitatem, & grauitatem. quod autem fuerit niger præter rationem quæ nobis ita dictat, hoc notat quoque Galen. in commento, dicit niger erat ſanguis, qui exiuit, eò quòd merum fuiſſe dicit, probabile & maxime uidetur ueriſimile, quòd fuerit niger, & quod per hoc Hippoc. ſimul intellexerit nigrum extitiſſe præter aliud ſignum prope imò neceſſarium. Dicit Gal. neceſſariò fuit niger non ruber ſicut naturaliter cõmiſſus cum ichore exiſtit: Nam ſi fuiſſet ruber, non fuiſſet febris acuta. At dixit Hippocr. febrem fuiſſe acutam, imò ſtatim in principio inuaſit acuta. ergo ſanguis non erat ruber, ſed niger: in quacunque ægritudine animaduertatis quotidie hoc, ægritudine dico acuta ſtillat ſanguis e naribus ille merus, ideſt, niger ſemper emanat, nunquàm ego uidi in febre acuta ſanguinem rubrum, nunquàm. Dicit propterea etiam Gale. Ego nunquàm uidi in febre acuta exitiali, & pernicioſa ſanguinem rubrum emanaſſe, nunquàm uiſum eſt hoc, ſed ſemper ſi fluit, fluit ater in febribus lætalibus, & pernicioſis, & hoc eſt quoniam in febribus acutis calor feruentiſsimus, & intenſiſsimus eſt ad urens humores, qui ſunt in corpore ex aduſtione nigreſcũt: qua de cauſa etiam dixerat Philiſcum minxiſſe nigrã urinam, non minxiſſet urinam nigram, niſi feruentiſsimus fuiſſet calor, qui ſanguinem aduſsiſſet. ex aduſtione humorum audiſtis ſuperius urinam reddi nigram, & hoc in acutis

cutis febribus: ita dicendum de ſanguine, cum ſit aduſtus per nares exiuerit neceſſariò niger eſt, exaſſatione acqui ſiuit nigredinem, & bene hoc notauit inter ſymptomata Hippoc. ſtillauit ſanguis merus ſine ichore terreſtris, qui fuit à calore feruentiſsimo abſumptus, remanſit pars craſſa, aſſata: ergo & nigra: huius bene reddebat cauſam Gal. in primo Prorrheth. ubi Author Prorrhethicorum in ſententia. 54. dicit ſtillicidium ex naribus malum, ſi nigrum et atrũ lætale eſt: ſi ſtillet ſanguis merus niger non modo indicat materiã aſcendere ad caput, & uapores multos eleuari ad ſuperiora, ſed etiã indicat materiã illam aduſtam, & aſſatam à calore acutiſsimo, qui conſumpſit totam humiditatem, abſumpta humiditate ſeroſa, quam ichorem appellamus remanet pars terreſtris, craſſa, quæ conſequenter nigra fit. ergo ſtillicidium ſanguinis nigri peſsimum indicium affert in ægritudine acuta, & mortem omnino ſignificat, ſtillicidium ex naribus malum &c. primo prorreth. ſententia. 54. ideo & uiciſsim eſſe debet, ſi ſit febris acuta in qua calor feruentiſsimus adurit, aſſatq; humores, ſi ſanguis fluxerit ater erit, non ruber. Debemus itaque interpretari Hip. ut bene inquit Gal. hoc noluiſſe per ſanguinem merum, ideſt nigrum terreſtrem ſine ſeroſitate tenui, & ſubtili: fuit hactenus ſtillicidium malum ſignũ duabus de cauſis tum quia ſtillicidium, tum quia meri ſanguinis, tertio malum erat ſtillicidium ſanguinis e naribus; quoniam erat cum ſudore frigido, & cum refrigeratione extremorum, erat febris acuta cum calore intenſiſſimo, exiuit ſanguis merus, & ſudores frigidi erant, ex-

trema frigefacta, hoc addebat ad maleficium, quod signifi cabat merum stillicidium, erat peßimum, quod poterat esse ex sententia eiusdem Authoris diuini certe in hoc in Aph. uel sententia. 34. primi Prorrhet. Ex naribus si stillicidium sanguinis fuerit cum sudore frigido, & refrigeratione extremorum malum & lætale est. sic itaque habetis stillicidium sanguinis in Philisco malum fuisse propter tres causas, quarum singula potest ipsum reddere præter naturam, & malum indicium: primo quidem malum est, quia fuit actu stillicidium, & omne stillicidium in acuta febre maxime cum parum est, exitiale, & lætale signum existit, si sanguis enaribus semper malum indicat: materia ascendit ad caput, quod est arx ipsius cerebri: secundo malum, quoniam præter hoc quod fuit stillicidium sanguinis, id etiam fuit merum, nigrum, & crassum: ergo adustum; tertio cum sudore frigido, & frigiditate extremorum: Non potuit autem esse cum sudore frigido, frigidis etiam existentibus extremis propter aliam rationem, nisi propter eam quam tradit uobis Gal. ut supra adnotauimus, in commen. Apho. 37. in quarta particula Aphor. ubi dicebat Hip. in textu Frigidi sudores cum acuta quidem febre mortem &c. prima facie alicui posset & iure esse suspectum hoc dictum: propterea Galen. in commen. dubitat, & remouet dubium: dubium est quomodo poßibile sit, quod cum febris sit acuta, calor uehementißimus, & feruentißimus adurens etiam humores, & interiora omnia inflammans, sudor tamen qui e corpore febriente, & partibus interioribus excernitur frigidus

sit,

ſit, ſi uerum eſt quod ſudor ſit humorum excrementum ultimum, quando iam ſunt in membris quomodo poßibile eſt humoribus aduſtis, & inſlammatis partibus, in quibus generatur, quòd ſudor frigidus ſit ? hoc uidetur mirabile. Soluit Gal. dubitationem diſtinguendo; eſſet impoßibile; ſi ſudor exiret à partibus interioribus inflammatis, argumentum concludit, ſed non exit ab intrinſecis, eſt excrementum cutaneum, quod excernitur à cute, & partibus exterioribus, quæ frigidæ ſunt in febre acuta, in qua ſudor frigidus excernitur, ideſt in peſtilenti maligna, in qua exteriora frigida ſunt: interiora uero inflammata & calidißima: ſudor ſimul cum ſtillicidio emanauit à corpore ſymptomatice non critice, erat ſudor ille diaphoreticus, propter debilitatem caloris maximam ſymptomatice exibat, & ſi natura paulum expulſionem adiuuaret, & cum dies quinta non eſſet dies exacerbationis ſi ſtillicidium fuit, peius indicat, quia omnino ſymptomatice fuit, natura modice agebat, maxime cum præceßiſſet dies paroxiſmi, uirtus defeſſa quieſcebat non poterat tam malignam materiam critice expellere, tamen non deſiſtens ab actione, ut omnino e corpore duceret illam, aliquid tentauit, quod perfecte aſſequi non potuit, excreuit ſanguinem aduſtum nigrum per nares, & id quidem parum, non poterant illi medici colligere, niſi aliquod malum. AD MERIDIEM ſtillauit in meridie ſanguis merus, & bene, quia in meridie ſolebat inuadere paroxiſmus, et natura magis inualebat contra humores, qui propter exacerbationem ſolitam ea hora maiorem impetum faciebãt

ad

ad partes exteriores, ideſt in quinto quia ſymptomatice non in die acceßionis: parum, quia natura modice agebat ad excretionem, circa meridiem, quoniam inuadebat paroxiſmus in meridie: hoc neceſſario ſecutum eſt, ſperandũ erat non poſſe contingere, niſi aliquid mali. VRINAE VARIAE in quibus erant nubes quædam geniture ſimiles, rotundæ &c. De ſtillicidio dixit, quod apparuit ſtillicidium in quinto die, idq; merum, & paucum: Nunc modo dicit de urinis, quæ urinæ fuerint in quinto, & inquit in quinto urinæ uariæ erant, per uarietatem in urina intelligit de uarietate in ſubſtantia, non de hypoſtaſi, ut ita dicat, urinæ in ſubſtantia apparebant: Varietas autem ad ſubſtantiam refertur, quoniam modo craſſa erat, modo tenuis, nunc clara, modo obſcura, modo nigra, modo colorata, modo aliqua alia: hoc erat indicium ultimi conatus, quem poterat facere natura; & ſignum extremæ contentionis, ac pugnæ naturæ cum morbo, nunc facit totum quod poteſt. ideo omnia uaria apparent, nihil firmi & certi, ſine ullo ordine, non eſt aliquis ordo in apparentibus, ut urina ſecundum ordinem uideatur nunc craſſa, nunc craßior, & ſignificet ordinem in actione uirtutis: ſed in extrema pugna uaria apparent nunc craſſa, nunc tenuis: iterum craſſa, & ſic in alijs, quæ fiunt in ſubſtantia urinæ: hoc eſt ſignum, quod natura non agit regulariter, quia ſemper procedit ordinatè non impedita: Vt uideatis quid indicarent uariæ urinæ, & quod uirtus ſymptomatice coacta nunc quicquid agebat, produxit, debetis animaduertere naturam rei: Et ſi uerũ eſt quod di=

dixit Hip. in secundo prognosticorum. Si urinæ modo bone, modo malæ, modo cum hypostasi, & sedimento, modo sine hypostasi ægritudo longior, & periculosior significatur, quanto maius periculum indicabit in casu nostro proposito, iste moriturus est, ut ex symptomatibus præcedentibus firmissime potuit deprehendi: sudor frigidus, febris acuta, & cætera, quæ hactenus connumerauimus mortem monstrabant. postea urinæ fuerunt uariæ in substantia, modo bonæ apparebant, modo malæ in colore: ergo maximum, et extremum periculum mortis instabat, & si sciremus moriturum, hoc magis confirmauit iudicium: Si esset ægritudo non acuta, chronica, in qua appareant urinæ ita uariæ nunc malæ, nunc bonæ timere debemus, & periculum inesse putandum est, quia si non morietur, saltem ægritudo longior erit, ita ut semper aliquid mali futurum esse timendum sit, quid debebat posteà esse in hac sæua, & acuta ægritudine? Putate quæso, & recte considerate quanto magis erat in hac timendum: si in longis, & non periculosis timendum est? omnia symptomata significabant mortem necessario futuram, ut unum, singulumq; sufficienter hoc indicet, & postea secutæ sunt urinæ uariæ in substantia: quid peius poterat esse? natura maxime turbata erat, ponebat ultimum conatum, ut cum morbo contenderet: sed parum agere potuit, ad summum fecit stillicidium sanguinis, & id quidem parum, licet impetus humoris principalius fuerit eius causa, agebat tamen adhuc aliquid natura: illud parum ferè nihil erat. & ideo quæ acciderunt symptomatice nō

or-

ordinate, ut natura facit contigerunt, erupit ſanguis purus, merus: ſudor diaphereticus: urinæ melioris coloris, deſeſſa tandem omnino proſtrata eſt, nihil agebat amplius, exibant omnia tanquam à uaſe non expellente natura, ſed ut impetus humorum ducebat, non retinebatur aliquid: ſed quicquid exibat, erumpebat natura non regulante. ideo uideatis quid additum ſit. IN QVIBVS erant nubes quædam rotundæ, genituræ ſimiles, diſperſæ, non reſidebant. Dicit Hip. in his urinis uarijs erant quædam nubeculæ, & hypoſtaſes ſimiles geniture rotundæ per urinam totam diſperſæ. notetis quod cum dixerit, quæ urinæ eſſent in ſubſtantia, quia uariæ erant, modo craſſæ, modo tenues: nunc modo dicit de hypoſtaſi, qualis eſſet hypoſtaſis, quæ in illis continebatur, & quoad figuram, & quoad colorem, & quoad ſitum. Quod ut rectius intelligatur à uobis, notandum eſt, & diſcurrendum per ea, quæ notauit Gal. in primo prognoſtic. & eſt in ultimo cap. illius primi libri, in ſecundo de criſibus, in ſecundo de facul. natural. in lib. de ſemine, quod etiam repetebat in quinto de uſu partium, in primo quidem prognoſt. clariſſime cap. ultimo, ubi loquitur de pure ita diſcurrit. Natura ad omnes partes corporis ſolidas diſtribuit ſanguinem per uenas, & arterias, cum concoctus in hepate fuerit, & ſanguinis formam acceperit: diſtributo ſanguine ad membra fit tertia concoctio, quam Arabes uolunt eſſe quartam: ſed hoc prætermittamus, & dicamus nunc, quod fit tertia concoctio, quando ſanguis elaboratus tranſmiſſus ad membra ſolida, in illis con

co=

coquitur à calore naturali, & tunc uertitur ad albedinem, qualis est substantia ipsorum membrorum, et fit omnino similis geniturae albus & in consistentia non dissimilis, imò dicebat ibi Gal. quod ille humor ita albus, & confectus, ut nutriantur membra solida non differt subiecto à seminis genitalis substantia, idem utriusque est subiectum, eademq; materia. supposito fundamento quod in singulis mẽbris est uirtus alteratiua, quae sibi assimilet id, quod distribuitur pro eorum nutritione in uentriculo, ut generet ex cibo chilum, in hepate, ut inducat formam sanguinis; in singulis membris, ut sibi assimilent in substantia sanguinem, qui cum transmissus fuerit ad testiculos, immutatur ab eis, ut inducant illi similitudinem, & sibi similem faciant in substantia, ubi recipit formatiuam uirtutem, qua inclusa dicitur semen & genitura, quia cum illam receperit potentiam habet proximam, ut ex illo animal generetur; hoc est semen: illa uero substantia similis geniturae, hoc differunt, materia tamen eadem est, ut uidetis: per ulteriorem, & perfectiorem concoctionem sanguis fit alimentum proximum membrorum, adhuc si concoquatur semen conficitur: uultis uidere quod ita sit ostendo luce clarius per sensum: uolo ut uideatis, & hoc adducit Gal. illi qui multum coeunt cum emiserint totum sperma, eijciunt postea quandam substantiam imperfectũ semen, & deformem materiam, tandem eijciunt etiã sanguinem, & ego id saepius obseruaui in salacibus hominibus, & qui multum conantur in coitu, indicium clarũ, quod semen nihil aliud sit, quàm sanguis optimè concoctus

ctus, & perfectus per concoctionem in testiculis: sanguis uero est semen imperfectum, per ulteriorem concoctionem euadit in semen. ideo sæpe in testibus incisis reperietis semen imperfectum non elaboratum, idest sanguinem paratum purum ad recipiendam formam seminis; sicut est etiam pus secundum naturam, & bonæ substantiæ, quod, ut dicebat Hip. æquale, leue, et album, minimeq; fœtidum est; pus est idem subiecto cum sanguine, ut Gal. in eo capite ultimo discurrebat, & si hoc alibi quoque repetat: membra enim in quibus est pus conantur sibi aßimilare materiam, ex qua fit: quæ cum sit rebellis multum naturæ non possunt in totum similem reddere in substantia. ideo saltem in colore, & aliquantulum in consistentia aßimilarunt: sed hæc prætermittantur nunc, unum est quod semen non differt subiecto à sanguine, quod ex eius parte magis concocta, & elaborata à corpore decisa in testiculos generatur: sanguis uero per tertiam concoctionem in solidis membris dealbescit, & fit similis fere ipsi semini, cum hoc sit ultimum alimentum quod proxime membris agglutinatus nutrit actu, si sæparetur, et excernatur e corpore, natura certe iam mortua erit. in nostro Philisco uirtus ad tantam deuenerat imbecillitatem, ut nihil amplius ageret, omnia dimittebat exire sine impedimento, nihil retinebat: ideo dimisit excerni non modo sanguinem, non solum sudores, & urinas aquosas, sed proprium etiam alimentum membrorum: non nutriebatur corpus statim accessura erat mors, ideo in urina hypostasis, & nubecula erat genituræ similis, alba, quæ est hu=

humor pro alimento membrorum: hæc est sententia Gal. non mea. quod dixi non est mea imaginatio, est dictũ Gal. à quo nunquàm discedo, uideatis locum, repeto latius & clarius quæ habet Gal. Excernebatur igitur in ægro isto humor perfectus, & nutrimentum proximum actu nutriens membra, qui etiam inuenitur in uenis, & illas nutrit cum sint membra solida: uirtus decubuit, non agebat aliquid, omnia dimittebat secundum impetum e corpore fluere, nihil regulabat. ideo etiam alimentum proprium cum urina effluens excernebat: ex quo urina habebat, ut inquit Hipp. hypostasin, uel nubem genituræ similem, erat indicium firmißimum proximæ mortis. Erant ergo nubes genituræ similes hac de causa. ROTVNDAE: Addidit quod præter hoc quod hypostasis erat alba genituræ similis quoad substantiam, & colorem, fuit rotunda quoad figuram, Nubes erant rotūdæ propter æqualitalitatem substantiæ: Æqualitas enim in substantia, & partibus substantiæ facit rotunditatem in figura. unde simplicia sunt rotunda omnia, & quanto simpliciora sunt corpora æqualia, tanto magis rotundiora sunt in figura, ut cœlum cum omnium corporum sit simplicißimum, habeatq; summam in partibus æqualitatem, maxime rotundum existit: sic cætera elementa inferiora quanto simpliciora, & magis æqualia; tanto rotundiora sunt, & circularem figuram habent, licet nullum eorum præter cœlum sit perfectè rotundum; quia nullum simplex reperitur elementum: Terra tamen inter cætera elementa minime rotunditatem habet propter inæqualitatem, & dißimilitudinem

partium: ſi uerum eſt, quod propter ſimilitudinem in partibus fit rotunditas, ut in cœlo eſt. ergo quæ diſsimilia fuerint non erunt rotunda, ſicut terra, quæ propter inæqualitatem aſpera eſt modo plana, modo caua, modo montuoſa. At in his quæ minus ſimplicia ſunt, ut in urinis non credatis, quod quando ſimplices fuerint nubeculæ rotundam habeant figuram, habent pyrannidalem. quanto ſimpliciores fuerint, & magis elaboratæ. ideo & in inflammatione, quæ fit ab affluxu humorum, quando pus maturatur, & concoquitur ſuperatur à calore naturali, humores ſeparantur, id fit figura rotunda in tumore non omnino rotundo, ſed tendens in pyramidem ſicut in urina apparet hypoſtaſis pyramidalis: at ſi pus non concoquatur, nec ad ſuppurationem ducatur rotundus prorſus tumor exiſtit: hinc eſt quod inflammatio pyramidalem habens figuram meliorem, quàm inflammatio cum tumore rotundo, quemadmodum habetis ab Hippoc. in ſecundo Prognoſticorũ, & à Gal. ibi in ultimo commento, ubi humores uel in uenis, uel in cauitatibus, uel quocunque concoquuntur, & ſuppurantur à calore, ut in inflammatione cum ſint proportionati in omnibus, quatuor elementis primis, ſimplicibus quatuor corporibus permiſti faciunt rotundam figuram ante concoctionem, ſed concocti ſeparantur: quoniam calor, qui facit concoctionem ſeiungit partes diſsimiles à ſeipſis, ſeparati mouentur motu elementorum ſimplicium: pars quidem bilioſa, ſicut & ignis ad altum inflãmationis aſcendit, & facit acutiem & pyramidem ipſius cum ſit magis ignea, & igni inæqualitatibus proportiona=

nata,facit talem elationem in altum: ſanguis aeri ſimilis aſcendit poſt ipſam,& parum plus dilatatur in conſiſtentia ſua: deinde pituita,& melancholia cum ſint craßiores humores magis reſident in fundo,& grauiores in latum profunduntur.quo circa conſtituunt baſim ipſius tumoris, ita fit ut primum in acutiem tendat, poſtea ad baſim in latum, & conſtituitur figura pyramidalis: eodem modo in urina contingit,quando humores fuerint concocti apparet eadem ratione hypoſtaſis in urina in forma pyramidali, quemadmodum ignis aſcendens conſtituit pyramidem,& acutiem elementorum: terra & aqua baſim. Hæc ſi uera ſint ſicut ſunt uera, bene nubes erant rotundæ, non pyramides, quia natura erat omnino proſtrata ut audiſtis,nihil agebat,non concoquebat humores: ſed ita commiſti inæquales non ſeparati exibant in urina, & faciebant hypoſtaſin figuræ rotundæ propter inæqualitatē partium,quæ commiſtæ ita in maſſam rotundam fiebant: hac ratione nubes rotundæ in urinis uarijs malæ: ſignificabant enim concoctionem non fieri, uirtutem deiectam, ut non poßit amplius humores concoquere,& ſeparare.
DISPERSAE. Secundo erant nubeculæ diſperſæ non collectæ in unum, diffuſæ per totam urinæ ſubſtantiam. Videte quæſo, quomodo erant urinæ prorſus præter naturam,hypoſtaſis naturalis debet habere hæc tria quod ſit in figura pyramidalis, ſecundo quod æqualis ſimul collecta:tertiò quod in fundo ita collecta reſideat. totum oppoſitum erat in iſtis urinis: primo hypoſtaſis erat rotunda,hoc uiſum eſt: erat etiam diſperſa per totam urinam

inæqualis, non collecta. Erat diffusa propter flatus multos, qui separabant illam, non permittebant simul, dißiliebant, & diffundebant in minimas partes. quod autem fuerint multi flatus uidebitis in progreßu, quoniam inferius Hippocr. notabit quod habuit retrimenta, uel excrementa alui flatuosa, ut statim audietis. ergo si flatus aderant, necessariò hypostasis debuit esse diffusa, NON RESIDEBANT: Neque residebant in fundo urinæ. scitis quod hypostasis bona debet esse in fundo collecta: ergo si non residet in fundo præter naturam existit: hypostasis, quæ in urinis erat inæqualis, rotunda propter commistionem & cruditatem humorum: secundo dispersa propter flatus dißilientes, & hypostasim disrumpentes, eadem de causa non residebat in fundo: Vnde non erat amplius digna, ut appellaretur hypostasis, nullam habebat conditionem, quæ ad hypostasin naturalem requiritur, oppositum erat, uocatur potius quoddam contentũ à Græcis ἐνεόρημα quasi sublinamentum, non residebat, sed in medio erat, & per urinam diuulsa uagabatur propter flatus, ut dixi, quòd ut uideatis ita fuisse audiatis. SVBDITA BALANO pauca retrimenta flatuosa &c. Supposita balano, idest, nuce, uel glande exierunt excrementa alui flutuosa; ecce modo uidetis, quod habebat multos flatus iste æger, qui diffundebant hypostasin urina: per Balanum autem intelligit suppositorium: Balanos apud Græcos idem est, quod apud nos glans. Notetis dicit, quòd supposuit balanum, ut egereret feces, quæ erant in intestinis, sicut in superioribus in secunda die uesperi

im-

immisit clysterem, quia non poterat egerere, ita nunc supposuit balanum ad proportionem, & egessit excrementa flatuosa: pauca tamen. Hic consideranda sunt à nobis omnia: Nam dicit quod parum egeßit, & id quidem flatuosum, uidendum cur tam rarò egerebat, & parum, idq; flatuosum: Vbi prius uolumus animaduertere artificium, & maximam in operando secundum methodum, & rationem prudentiam, qua usus est in hoc ægro: certe non miror, si quandoque admirer hunc hominem, fuit diuinus in arte, nescio quid poßit accedere, & quoad doctrinam, sapientiamq;, & quoad operationem, diligentißimamq; prudentiam. Aliquis ignarus non intelligens methodum nesciret causam huius diuersitatis, cur in secunda die in principio ægritudinis submisit clysterem, nunc uero balanũ supposuerit, artificiosißime ita fecit; in principio uirtus adhuc erat fortis, non multum agitata sicut nunc est. ideo ut multum euacuaret ex his, quæ continebantur in intestinis clysterẽ immisit, quod est fortißimum, & acerrimum medicamentum. At in quinto die non immisisset, quia omnia, ut uidistis, in quarta erant exacerbata, uirtus omnino prostrata, & debilitata: clyster autem est remedium, uel medicamẽtum, quod maxime agitat corpus, & uirtutem debilitat, occidisset ægrum si nunc immisisset. Quid fecit prudentißimus Hippocr. oportebat euacuare feces in intestinis non poterat inijcere clysterem fortißimum medicamentum, supposuit balanum, quæ leuior est, non ita agitat corpus, neque uirtutem resoluit, tamẽ euacuat feces, quæ sunt in intestinis: hac arte motus

iußit balanum ſubdi in quinta: non autem clyſterē, quod tunc iniecerat, quando uirtus erat fortior, nec corpus ita reſolutum. Balanus autem, uel Glans eſt inſtrumentum, uel medicamentum, quod imponitur per aluum ex aliqua materia conſiſtente confectum ad euacuanda excrementa, quæ ſunt in inteſtinis leuiori quodam modo, quàm clyſtere euacuentur: hoc dixi, ut iuniores etiam intelligant ea, quæ à nobis dicuntur; hanc uocant noſtri uulgo ſuppoſitorium: Mouet aluum non ſemper uno modo, ſed diuerſo ſecundum diuerſitatem materiæ, & medicamenti ex quo conficitur: duplici enim modo componitur, aut ea, quæ ingrediuntur ſunt lenientia, & mollientia, aut acria, uel mordicantia: Si lenientia ſint componentia fit balanus lenitiua, & mollificatiua: mollificat autem muſculos ani & tunicas, mollificati muſculi relaxantur, relaxati & lenes facti permittunt fluere feces, emolliunt etiam feces induratas, quæ non facile poſſunt educi, niſi molliantur, & hæc balanus conficitur ex uitellis ouorum, radicibus, & mucilagine altheæ, Maluæ, & conſimilium mollificantium, quibus muſculi leniuntur, & relaxantur, ut facilius per anum exeant excrementa: Quandoque in balano ingrediuntur mordicantia non mollificantia, quibus balanus mordicat muſculos ani, & inteſtinum rectum cui imponitur, mordicatum inteſtinum inſurgit ad expellendum medicamentum, quod nocet, mordicat, & ita egerit feces retentas, & induratas. conficitur porrò balanus mordicans ex melle, ut uulgo conficiunt aromatarij, ex ſale ſimplici, uel ſale gem

mæ ſapone, & conſimilibus mordicantibus, quæ cum imponuntur mordicant inteſtinum rectum, & incitant ad egerendas fęces, quia acria ſunt, hoc modo euacuant mordicando, ſicut contingit in Tenaſmo, qui eſt morbus inteſtinorum ab acribus humoribus mordicantibus proueniens, & hoc qui laborant ſemper uellent egerere, acres humores infixi in tunicis inteſtini recti ſemper mordicant ipſum, quod uolens expellere nocumentum ſemper egerere conatur. Suppoſuit igitur balanum, quia erat aluus aſtricta, non egerebat, non dicit qualis fuerit balanus num acris, num mollis, ſed fuit balanus, quæcunque fuerit: Erat aluus aſtricta primo propter inflammationem uiſcerum, quotieſcunque in hepate eſt aliqua inflammatio, in liene, uel in uentriculo, uel alio quopiam uiſcere incaleſcunt partes circumuicinæ, & per ſucceſsionem caliditas ad inteſtina peruenit, fęces in his exiſtentes exiccat, & exiccando indurat, induratis fęcibus aſtringitur aluus. audiſtis & melius audietis in Philiſco præter caliditatem febris acutæ inflammationem etiam fuiſſe in hypochondrio ſiniſtro, ideſt, in liene: ergo neceſſariò aluus aſtricta: ſecundo erat aſtricta propter flatus multos suſpendentes fęces non dimittentes illas deſcendere: ob has duas cauſas non egerebat tum propter inflammationem uiſceris exiccantem, ex quo aluus aſtringitur; hinc eſt quod omnes qui ſunt calidioris hepatis, habent aluum aſtrictam, raro egerunt, & indurantur in inteſtinis fęces propter caliditatem, quæ abſumit humiditatem in fęcibus exiſtentem: tum etiam non egerebat propter flatus ſuſpē-

dentes feces. ideo qui generant multos flatus habent aluum non lubricam.. Est & tertia causa posita à Galeno, ob quam aluus astringitur, ut paulum egerat, & est obstructio, & reseratio pori fellei, meatus qui est in uesica fellis, quotiescunque obstruitur meatus ille paruus chystis fellis aluus astringitur, quia non transmittitur ad intestina flaua bilis, acris: scitis enim naturam prouidam ad hunc finem destinasse illum porum, ut per ipsum bilis excerneretur ad intestina, ut irritarentur ad egerendum: quando reseratur egestio & rara, & tarda fit, licet hæc causa sit sufficiens causa, tamen in hoc Philisco fuerunt duæ præcipuæ causæ primæ, tum propter inflammationem, quæ erat in uisceribus, tum propter flatus multos contentos tum in uentriculo, tum in superioribus intestinis, qui suspensas tenebant feces non dimittentes illas descendere. ideo uidens Hippoc. aluum astrictam supposuit balanum, uel glandem quæcunque fuerit, subdita glande egeßit excrementa Flatuosa, in quibus erant multi flatus contenti; pauca, quia flatus retinebant, ita habuit, quod intendebat: primo per clysterem, & uirtutem non fortiter agitauit. Flatus autem fit propter duo, ut bene declarat Galenus in secundo Prognosticoruus aut propter motum, quotiescunque materiæ uiscidæ agitantur, fit flatus, idest, quando includitur in illis materijs aliquis flatus, & uentus, qui postea agitando efficit maiorem flatum; aut fit flatus a diminuto calore exhalante, non resoluente materias hnmidas.

Audiuiſtis in præcedenti explanatione, quemadmodum in quinto die Philiſcus ipſe affligebatur ſæuis ſymptomatibus, tanquam ille qui neceſſario moriturus erat in ſexta: Audiuiſtis etiam quomodo irregulariter, & præter rationem iſta ſymptomata fuerunt in quinta die, quoniam erat dies quietis non exacerbationis: ſi uerum eſt, quod ſecundum conſuetudinem affligebatur in paribus diebus, quinta erat impar, tamen grauis fuit: in tertia febre omnino liber eſſe uiſus eſt, quia non erat par dies, in qua exacerbaretur febris, quieta fuit, & liber eſſe uidebatur: tamen in quinta, quæ correſpondebat tertiæ erat grauior, omnia erant ſæuiora. ideo indicium erat certiſsimum, quod in ſexta neceſſario deberet mori, non poterat euadere, quin moreretur in ſexta. Nam præter ea, quæ ſuperius numerata ſunt, quorum ſingula per ſe mortem ſignificabant, quinta quæ debuit eſſe quieta fuit grauis, & inquieta: quis non erat, qui non ſciret mortem magis, ac magis accedere, quilibet medicus etiam rudis, & parum in Arte exercitatus iudicaſſet, & potuiſſet pronunciare iſtum moriturum in ſexta die ſequenti: ex quo in quinta non debebat eſſe exacerbatio, tamen omnia fuerunt exacerbata, quæ contigerunt. Audiuiſtis inquam quæ in ſuperioribus diebus acciderunt circa Philiſcum, ſtatim ab initio inuaſit febris acuta, in ſecunda grauiora omnia, in tertia uiſus eſt liber à febre, ſub crepuſculum iterum incidit in febrem acutam præter expectationem medicorum, in quarta mala accidentia, urinæ nigræ, modo melioris coloris, lingua exaruit, & reliqua

quæ uidimus fuiſſe in hoc uiro in ſuperioribus diebus: audiatis modo, quæ adhuc ſucceſſerunt in quinta, uidimus circa meridiem ſanguinem e naribus ſtillaſſe, & illum quidem merum, diximus quot cauſis ſtillicidium ſanguinis in Philiſco malum erat, & quare fuerit factum de urina etiam quomodo uaria apparebat in ſubſtantia, nunc craſſa, nunc tenuis, & quoad hypoſtaſin, quæ rotunda erat, diſperſa per urinam tota, non reſidebat, & omnino erat ſimilis genituræ, ſatis de urina declarauimus, et quomodo per impoſitionem balani excrementa flatuoſa egeſſerit pauca, reddidimus cauſas, cur aſtrictā haberet aluū, & quemadmodum in nocte præcedente ſextam non dormiuit, grauis fuit, ſomni pauci, & tandem delirauit, multa loquebatur, & ea erant deliramenta. DELIRAMENTA loquebatur: Hic, ut ego arbitror, dimiſi quæ ſunt ita connexa, ut oporteat ſcire, quæ præceſſerunt ſi recta intelligenda ſint ea, quæ ſequuntur, ut tanquam cathena deuinciantur. ideo neceſſarium fuit multa repetere: oportet ut iſta per capita nunc teneatis, licet late declarata ſint ſuperius, ut aditum facilem habeamus ad exponenda, quæ nunc dicet Hip. ſunt ſicut res mathematicæ, quorum ultimum ſe conſequuntur, & neceſſario annexa ſunt. Cum ergo hæc ita ſint nunc audiatis, quæ fuerint alia ſymptomata uſque ad mortem; multa loquebatur, eaq; erant deliramenta, delirabat iam iſte infœlix. Textus græcus ita habet, & ſunt uerba propria Hip. πόλλα λόγοι. iſte interpres non aſſecutus eſt id, quod uoluit Hip. cum dixit: deliramenta loquebatur, aliquid

aliud

aliud addit: Dicit enim Hip. multa loquebatur, & ea e-rant deliria: interpres unum uerbum tantum protulit, & dixit deliramenta loquebatur, ut quod Hip. distinxit, ipse simul posuit in textu; sed de hoc non plura dicamus, non curemus ista quicquid sit, ita habeatis textum, ut integra sit Hip. sententia non diminuta, neque corrupta: Multa loquebatur, & delirabat. Hoc autem rationabiliter secutum est, accidebat propter uapores acres, et mordaces, calidos, & subtiles, qui ad cerebrum ascendebant, & delirium causabant: Nam si fuit febris acuta, maligna, pendens à putredine bilis cum intensissimo calore, multi fumi exhalabant à materia biliosa, putrefacta, & ascendebant ad caput, mordicantes deinde membranas, uel substantiam cerebri faciebant delirium, et multa loquebatur, quæ erant deliramenta. Diximus etiam antea uapores acres ascendisse, sed non in tanta quantitate causam dicebamus præter materiam totius febris fuisse in uisceribus inflammationem à flaua bile putrefacta, adusta, a qua ebulliente calore uapores multi eleuati petebant superiora, et faciebant asperitatem linguæ. audiuistis quod lingua exaruit, & sitibundus erat, exiccabant œsophagum, & sitim efficiebant, ista uidimus fuisse in Philisco, ex quibus nullus est tam fatuus medicus, qui non cognouisset materiam habere raptum ad caput. cum deinde magis humores à calore febrili adusti fuerint, plurima materia ad cerebrum tendit, quæ cum acris sit, & mordax uellicans substantiã cerebri, uel membranas, in quibus continetur, facit paraphrenitidem, sicut & completam phrenitidem prouocat.

au-

aucta ergo materia, & acrior facta facillime potuit causare paraphrenitidem in Philisco: unde multa loquebatur delirans, & ea fatua, & delira erant. paraphrenesis, siue delirium fit quotiescunque materia calida acris, sicut est biliosa, mordicat cerebrum: qua de causa necessarium etiam fuit quod Philiscus deliraret, & esset paraphreniticus: hoc erat pessimum signum mortis instantis, præter sæuissima alia accidentia, materia etiam tendebat ad principium nobilissimum, certe omnino erat desperandum de uita ægri. EXTREMITATES undequaque frigebant &c. Accessit detestandum symptoma, extrema iam frigescebant: extremæ partes frigebant, non totum corpus, quia nondum erat mortuus, sed paulatim magis ad mortem accedebat. ideo extremæ, quæ longius distant à fonte, & principio caloris inceperunt frigescere, hoc erat signum mortis præsentis, calor reuocabatur ad suum principium relinquens exteriora, & longinquiora, quod hoc sit signum mortis, patet per se, & nunc declaro; cũ urina nigra apparuerit, & extrema passa sint frigus, signum erat manifestum, quod calor, qui à corde diffunditur, reliquerat extremas partes, & urinam non poterat amplius excernere secundum naturam, extinctus fere nõ poterat agere in urinam, & in humores, à quibus separatur. ob frigiditatem igitur, & interitum caloris urinæ nigræ, si calor interibat, qui dat toti corpori uitam: ergo & uita deficiebat. Frigebant extrema propter reuocationem caloris naturalis ab interiora ad suum principium, & relinquebantur partes extremæ frigidæ actu.

Et

Et ut intelligatis debetis animaduertere ad hoc unnm, quomodo calor reuocatur ad partes intimas, & qua de causa retrahatur, & ita scietis, quare partes frigeant reuocato calore ad suum principium. Sciendum igitur est, quod cum ex anima & corpore constemus, ut ea cætera animalia, tam diu uiuimus, quàm diu anima nõ separatur à corpore, disterminatio animæ à corpore interitus est ipsius animalis; anima dum est in corpore suas operationes non exercet, nisi mediante calore naturali, qui cum oriatur in corde, ut fonte, & foco caloris in actu est, ut semper animæ subministret ad operandum, tanquam proprium, & proximum eius instrumentum: ortum cum habeat in corde, à corde perpetuo fluit, & spargitur per arterias propria caloris receptacula per totum corpus, ad omnia membra, ut & ipsis animæ uim communicet, et calorem complexionalem, ut uocant Medici, qui est in potentia, reducat ad actum, tandem ut membris quibuscunque det actum uitæ, ut inquit Auerroes per hunc calorẽ, qui dicitur natiuus, innatusq; cordi totum corpus per participationem eius uiuit: cor autem in quo oritur primum uiuit, quia ipsum continet. Calorem autem complexionalem illum appellamus, qui ex mistione quatuor elementorum resultans remanet in cõplexione cuiuscunque membri non in actu, sed in potentia consistens: ideo calor dicitur complexionalis. Calor autem qui est in complexione singulorum membrorum in potentia, non potest dare actum uitæ, neque inseruire animæ in suis operationibus: calor à corde diffusus fluens ad omnia membra re-

du-

ducit hunc calorem complexionis de potentia ad actum, cum ipse sit in actu, & ita dat actum uitæ & membra actu calescunt, ut si tangantur sentiatur actualis caliditas, quod si tāgantur antequam complexionalis calor habeat actum à calore natiuo, & si membra calida sint, quia in complexione habent hunc calorem, tamen actu frigida sunt: quā diu calor actualis fluit à corde, & spargitur ad singula membra, tamdiu calida sentiuntur, & uitam habent, & hoc est in corpore animalis quando bene & secundū naturam habuerit. Vnde si propter aliquod impedimentum quandoque calor natiuus à corde non fluat ad aliqua membra cōplexio non est calida actu, non reducitur calor complexionis ad actum, & si tangantur mēbra actu frigida sunt, partes cum careant calore innato actuante complexionem earum putrescunt, & corrumpuntur: quandoque si statim reuocatur ad cor ille calor actualis frigescunt extremæ partes ob defectum eius actus, quem recipiebat complexio ab illo calore; hoc manifestum est in morituro, in quo paulatim calor retrahitur ad principium suum, et relinquens cætera membra mortem producit, quia membra priuata eo calore moriuntur. Contingit ista reuocatio caloris ad interiora propter plurimas causas, quotiescunque in corde fit aliquod nocumentum, quoniam cor non patitur aliquā corruptionem, calor diffusus per totum recurrit ad ipsum, ut sit iuuamento, & expellat nocumentum à corde, et ita membra extrema per consequens refrigerantur, sicut est in timore, qui est affectus cordis, quando timet aliquis:
cor

cor patitur: ſtatim calor totius recurrit, & retrahitur ad cor, ut illi ſuccurrat, & expellat nocumentum: propterea illi, qui timent exterius frigeſcunt, & quandoque ſi magnus fuerit timor fiunt liuidi; eodem modo ſi in parte aliqua interiore contingat nocumentum, ut inflammatio, uel apoſtema aliquod ſtatim calor, & ſpiritus concentratur, & retrahitur ad illud membrum, ut ſit iuuamento quemadmodum docebat Gal. ideo & in dolore alicuius partis ſpiritus inculcantur ad eam partem, ut ſubueniant & dolorem auferant: omnia enim membra totius corporis, ut dicit Hip. habent quandam inter ſe harmoniam, & mirabilem conſpirationem, ut mutuo ſe adiuuent, & unum alteri ſuccurrat in nocumentis, & ſimul omnia ad ſuum principium, à quo uitam habent, & calorem actualem: ſi mutuo conſpirant, ut ſe iuuent quandocunque offenduntur, quanto magis habent conſpirationem ad ſuum principium, ut cum ab aliquo nocetur, offenſam non patiatur. hinc eſt quod calor reuocatur ad cor à toto corpore, ut ipſi ſubueniat. Hac de cauſa retrahitur calor ad cor in paroxiſmo febrium, & tunc fit frigus partiũ extremarum, & aliarum omnium propter humores, qui ad muſculos mittuntur. Scitis cum fiat paroxiſmus humores à uenis extra uenas emittuntur, & pertranſeunt per muſculos, & cum calor retrahatur ad cor ſequitur frigus eorum membrorum. Retrahitur autem calor, ut cordi ſubueniat, qđ maxime affligitur à uaporibus putridis, ratione quorum in ipſo fuit febris putrida accenſa: Nam cum humores in corpore putreſcant, ex putridis hu-

humoribus eleuātur multi uapores fuliginosi, qui per suc-
ceßionem aſcēdunt ad cor per partem post partem. quo-
circa ponunt humores cordis in calefacto eſſe, & calor
ipſius mutatur ad igneum, & febris ſubſequiiur, retra-
cto & reuocato calore ad ſuum principium humores
putridi extra uenas in muſculis existentes, dum mouen-
tur per muſculos, efficiunt frigiditatem, & quandoque ri
gorem: quod hoc ita ſit, ut frigus istud in paroxiſmo fe-
bris efficiatur propter reuocationem caloris innati ad
cor læſum, ſignum illud manifestum existit, quoniam hoc
non contingit in alijs febribus, niſi in putridis, in quibus
læditur cor propter uapores fuliginoſos eleuatos à pu-
tridis humoribus, hoc eſt ſignum nobis apertißimū, quod
hæc concentratio caloris fit ad adiuuandum cor: præ-
terea fit quādoq; reuocatio caloris ad interiora, et ad ſuū
principium propter ſummam putredinem, quando in cor
de eſt maxima putredo, quæ ſit in ſummo gradu reuoca-
tur calor, ut illi reſistat, & expellat à corde, quemadmo
dum contingit in febribus peſtilentibus, & malignis, quæ
ut aliàs diſtinctißime oſtendimus, oriuntur à ſumma pu-
tredine infeſtante humores cordis, non ſolum ponuntur
in calefacto eſſe, ſicut in putridis febribus, uerum etiā pu
treſiunt, & tanta quandoque fit confirmatio caloris pu-
tredinalis, & ſumma putredo, ut non modo humores pu
treſcant, ſed etiam figatur in ſubſtantia ipſius ſolida: hæc
est uera differentia febrium peſtilentium, & manifeſta
propter quam calor ad interiora retrahitur, & exterio-
ra frigeſcunt. Alio etiam modo reuocatur calor ab exte-

rio-

rioribus ad partes interiores, non quia putredo sit in cor de, sed quia aliqua uiscera interius inflammata sunt, ut bene notauit Galen. in Aphoris. quotiescunque inflammatio est in aliquo uiscere interiore, ut quando inflammatur lien, aut hepar, uel uentriculus, & alia huiusmodi membra nobiliora retrahitur calor ad partes interiores, & exteriora frigescunt, ut etiam repetebat idem Gal. in Aphor. calor, & spiritus ad uiscus inflammatum recurrit, ut materiam inflammationis expellat, & liberet membrum ab ægritudine, sicut in hoc ægro, in quo erat inflammatio lienis. Quandoque etiam reuocatur calor propter paucitatem caloris, ut in corporibus debilibus, infirmis, ut in corporib. senum, nõ propter aliquam affectionem, sed quia in se paucus est ad nobiliora membra, & ad suum principium remeat, ut augeatur, & fortificetur, uel etiam concẽtratus, & unitus concoctionem perficiat: quandoque est uentriculus ita debilis, & tam infirmum habet calorem, ut non poßit concoquere cibum, & statim aſſumpto cibo retrahitur calor naturalis ad uẽtriculum, ut simul totus collectus fortior reddatur, & concoctionem adiuuet, & consequenter exteriora priuata calore frigescunt propter paucitatem caloris naturalis. Alio modo reuocatur calor quando extinguitur in magnis ægritudinibus, ita calor ad interiora redit. Cum igitur tot modis poßit calor reuocari ad suum principium, & ad uiscera interiora, uel quia cor affligitur, ut illi succurrat: uel quia paucus est: uel quia extinctus: uel ut succurrat alijs uisceribus. cum dicit Hippocrat. quod in Philisco calor reuocabatur ad interiora:

quæro modo nunquid fieret reuocatio caloris, ut cordi succurreret? an quia paucus esset in substantia? Dico utrunque fuisse in hoc uiro, & propter extinctionem, ac paucitatem caloris reuocatum esse, ideo bene addidit Hippocr. extrema undequaque frigebant, nec iam ad calorem illæ reuocari amplius poterant, hoc erat, quia paucus; reuocatus quoque fuit propter aliud, ut succurreret suo principio: quod amplius non redibat, non est, ut cordi succurreret, sed quia paucus, & ferè omnino extinctus, iam iam erat moriturus. quod autem recurreret, ut suo principio cordi auxiliaretur, & succurreret manifestum est ex hoc, quia erat febris pestilens maligna, & ut ex signis sæuißimis potuistis comprehendere, & melius inferius ostendemus. Si febris pestilens, ergo summa in corde putredo, idest, in humoribus cordis: cor à summa putredine humorum laborat in extremis, ut illi succurrat calor ad ipsum recurrit, à quo prius fluxerat. Si in ægritudine alicuius membri interioris non principalis ad interiora redit, quanto magis creditis, quod redibit, quando affectũ fuerit omnium principium? & si in affectu minimo cordis refugit, quanto magis in maximo. Videtis neceßitatem, qua calor ad interiora reuocatus est: præterea erat inflammatio in liene, quæ adiuuabat ad reuocationem ipsius. Audiuistis calorem recurrere ad uiscus inflammatum, ut nocumentum auferat: ergo omnes causæ erant, quibus debebat reuocari; Sed quia etiam diminutus, & debilis admodum erat ex paroxismis, & sæuis symptomatibus, ab acutißima ægritudine extinctus extrema frigescebant,

bant, & ille paucus calor ad suum principium remeabat. ideo dixit Hippocr. Extremitates undequaque frigebant, omnes extremitates iam relictæ erant à calore undequaque, bene dixit calor extinguebatur. NEC IAM AD calorem illæ reuocari amplius poterant &c. Et hoc merito, non absque ratione, non expansus est omnibus: Hoc est signum clarißimum, quando extrema frigebant, & calor ad interiora recurrebat, non modo propter causas dictas, sed etiam propter extinctionem, & paucitatem: nam, quandocunque calor naturalis relinquit exteriora, & petit interiora, deinde iterum ab interioribus reuocatur ad exteriora, & expanditur per totum corpus, signum est, quod retractus fuerat, ut succurreret cordi affecto, uel alteri uisceri inflammato, postquàm expulerit nocumentum ad membra, iterum diffunditur, & sic incalescunt post frigiditatem. At si reuocetur, & non poßit amplius reuocari ad extrinsecas partes, hoc non est, nisi propter extinctionem caloris, ut qui propter paucitatem non ualeat expandi per totum corpus. Quapropter redeundo ad rem, dico cum Hippocr. quod extrema frigebant, & est signum mortis proximæ: frigebant autem quia calor redierat ad cor, ut subueniret, & expelleret à corde summam illam putredinem, & a liene inflammationem: præterea quia calor extinctus erat iam, non poterat amplius reuocari ad extrinseca, moriturus statim erat: hoc est quod dicit in textu. MINXIT nigra &c. Ter modo dixit urinam fuisse nigram magno quidem mysterio: Dixit tripliciter minxit nigram urinam: putatis sine ratione? imo

uolo uobis dicere, quod maxima arte id factum fuit, & dicam unum, quod non minus est admirandum artificium Hippoc. in doctrina, & re ipsa, quàm in modo loquendi, & ornamento, proprietateq; uocabulorum: in disponendisq; affectibus artificiosissime non nisi necessaria interserendo, propterea non frustra, non abs re audiuit per longum tempus Gorgian rhetorem, habuit omnia, quæ debet habere optimus, & perfectissimus medicus, sapientiam in docendo artem, diligentiam, & artificium in eloquendo, quid non habuit Hippoc. Non existimetis itaque sine ratione idem inculcasse; nunc uidebitis arcanum maximum. Dixit ter minxit nigram urinam, Non eodem modo: primo dixit, minxit nigram. Audiuistis superius quemadmodum urina fiat nigra tripliciter, uel quia hypostasis contenta in urina nigra est, uel quia tota aquæ substantia nigra, uel propter extinctionem caloris naturalis secundum quod sunt tres gradus artificiose omnes ponit Hippoc. in ægro fuisse, & quotidie magis inualebat ægritudo. primo dixit οὐρῆσαι μελαν, secundo οὖρα μέλανα, tertio dixit οὐρῆσαι μέλανα, uariauit semper locutionem, nõ eodem modo dixit uolens uaria etiam significare, cum urina tripliciter fiat nigra dixit ter etiam urinam fuisse nigram uolens significare hos tres gradus. Ego repeto sæpe ea, quæ sunt utilia uellem omnino, ut intelligeretis artificium Hippoc. primo minxit urinam nigram, quæ facta fuerat nigra propter sedimentum nigrum, quod in urina continebatur, erat quidem malum signum, quando nondũ ægritudo pertransierat principium, oportet multoties u-

rina

rina nigra hoc modo, & tamen saluantur ægroti, est malũ quidem indicium, sed non necessario mortem significat, multi sunt saluati cum hac urina. iccirco dixit primo Hippoc. οὔρησαι μέλαν in singulari, dans nobis intelligere, quod urina apparuerat nigra propter hypostasin nigrã, minxit urinam nigram, idest, in qua erat hypostasis nigra. Secundo loco dixit οὖρα μέλαινα: Vrinæ nigræ in plurali, quasi dicat, urina erat tota in substantia propria nigra, non erat amplius nigra, quia sedimentum nigrum: sed tota substantia erat nigra, ægritudo peior fuerat. ergo signum mortis futuræ necessarium, nulli saluantur cũ hac urina nigra peßima est, & cum apparet, libere pronuntiare potestis, quod certe morietur: quod non est faciendum si solum sedimentum fuerit nigrum: tertio loco dixit: οὔρησαι μέλαινα minxisse nigra: Nam urina non solum habebat nigrum sedimentum, non modo substantia urinæ, sed utraque nigra erant ex adustione humorum, et serositatis simul cum extinctione caloris naturalis, moriebatur, non erat amplius urina, neque merebatur nomen urinæ, quod obseruans diligentißimus Hippoc. dixit οὔρησαι μέλαινα, non erant urinæ nigræ, sed minxit quædam nigra in plurali, quia omnia deteriora erant, non nominauit urinam, sed absolute dixit minxit nigra, quia non erat urina, sed erat quædam aquositas serosa urinalis commista cum quibusdam nigris propter maximam frigiditatem corporis, & extinctionem caloris naturalis, non erat urina, hæc non sunt mea, sed Gal. in primo de crisibus cap. 12. Si legeritis illud caput Gal. uidebitis, quod Hip-

poc.non frustra uariauit modum loquendi, sicut & res uariæ sunt, ut notaret quod non semper dicit idem licet dicere uideatur. Sunt tres differentiæ in urina nigra, ut audiuistis; prima est mala, sed non prorsus lætalis, multi saluantur, & hanc primo posuit in textu: secunda est peior & necessariò mortem significat, hanc notauit secundo loco fuisse, uidete mysterium in textu, ista uolui uos aduertere, ut sciatis Hippoc. non sine maxima causa locutum esse: tertia urina nigra posita est in textu tertio loco, pessima omnium, & necessariò mortem indicans proximam esse, neque erat urina, sed quædam nigra. dixit, minxit nigra, moriebatur. Cum dixisset prius mala præcessisse, ut quod frigida erant extrema, & quod delirauit, non dormiuit, nocte se grauiter habuit, subdidit, minxit nigra propter extinctionem caloris naturalis, qui nihil agebat amplius omnia prostrata erant, exibat diaphoreticè aquositas nigra; nigra quidem, quia derelicta à calore, non amplius, quòd substantia, uel sedimentum nigresceret, omnia erant nigra, et sine regula caloris, ista satis declarauimus: ALIQVANTVM dormiuit &c. Dormiuit parum, idest circa medium noctis ferè usque ad finem noctis: Quē creditis quæso somnum fuisse, non erat somnus reuera, sed potius quædam impotentia uigilandi non poterat uigilare, sed non dormiebat, non erat uerus somnus, quem somnum uelletis fuisse in Philisco, qui moriturus erat in sexto die non pertransiturus septimum. certe non potuit esse uerus somnus, impotentiam uigilandi aliquantum habuit: SVB DIEM obmutuit &c. Circa diluculum

diei

diei obmutuit, nihil loquebatur: quomodo cito mutatus est: parum supra delirauit, multa loquebatur, & ea deliramẽ ta erant, nunc obmutuit, nihil locutus est, omnia erãt pro strata, uirtutes omnes defessæ, & aggrauatæ, color extin ctus, languebat totum corpus: quomodo non uultis, quod ista non acciderint, aliquantum dormiuit; non dormiuit, habebat impotentiam uigilandi, erat defessus ab ægritudi-ne, obmutuit, non poterat uirtus motiua mouere musculos facientes ad formandam uocem: præterea uirtutes anima-les nihil operabantur, non imaginabatur aliquid, nihil di-scurrebat, erant tanquàm mortuæ facultates animæ intel ligentes. non poterat igitur uocem exprimere, quia ut be-ne dicit Aristot. si meministis, in libro primo Periherme-nias in principio. Voces sũt significatiuæ notionũ animæ, & eorum, quæ sunt interius in anima: si ablata sint ea, quo rum significatiua uox est, aufertur quoque ipsa uox: ablato signato tollitur signum. meritò ergo cum nihil in-telligeret non loquebatur, uirtutes animales decumbebãt, uitales quoque defessæ erant, & naturales omnes: imagi-natiua & cæteræ animales, motiua, & omnes in uniuer-sum extinguebantur, non poterat loqui, idcirco illi, qui sunt morituri statim obmutescunt propter omnia ista, quæ dicta sunt de Philisco. FRIGIDA SVDAVIT: Ecce ordinem mirabilem, hoc etiam significat mortem in-stantem, sicut ter dixit Hippoc. Minxit nigram urinam, & tertio loco quando mors proxima fuit dixerat, minxit nigra, non erat urina, sed quædam nigra, ita ter dixit su-dasse: primo sudauit, secundo fuerunt sudores diaphoreti-

ci ſemper, non critici à natura facti, tertio loco dixit, ſudauit frigida, hoc correſpondet illi: Minxit nigra: Nam ſicut fuerunt tertio quædam nigra non uere urina, ita nunc dixit, quod ſudauit frigida, ſudores frigidi exibant ſymptomaticè nihil natura agebat, neque erant ſudores, ſed quidam liquor exibat à corpore frigidus ob extinctionem caloris natiui. ideo quando dixit, ſudauit, improprie accepit illud, ſudauit, non erat ſudor: ergo nec proprie ſudauit, ſed poſſumus abuti hoc nomine etiam in animatis, poſſumus dicere etiam parietes ſudare, ligna, & lapides: ita in ægro apparuerunt ſudores frigidi, non ſudores, quædam aqua, & liquor quidam exiuit frigidus, non habebat formam ſudoris, neque merebatur nomen ſudoris. ideo bene dixit ſudauit frigida uolens nobis hoc innuere, qđ exierunt quædam frigida, ſicut aqua, erat hic mors EXTREMAE partes liueſcebant &c. Dixerat ante. Extrema frigebant, nunc dicit. Extremitates liueſcebant: Non abſque ratione. Notetis. Eſt ſententia ipſius Galen. quod partes extreme in corpore humano cum frigeſcunt, primo liueſcunt, deinde nigreſcunt aucta frigiditate. cauſa uero huius quæ cauſet liuorem, & nigredinem in corpore intelligatis nunc, quam reddidit etiam Ariſt. in octaua particula problematum Problemate primo in quo quærit Ariſt. & proponit hoc dubium, cur eſt quod partes frigeſcentes in corpore uiuo liueſcunt, & tandem nigreſcunt? Soluens problema inquit, quod quando ſanguis refrigeratur à magna frigiditate congelatur partes, in quibus exiſtit liuidas facit, & poſtea nigras. refrigerato ergo ſanguine

guine partes extremæ liuescunt: causa hæc Arist. in se uera est, sed indiget consideratione, oportet recte intelligere, & contemplari cum Arist. alioquin primo aspectu suspecta uideretur: Nam frigiditas non uidetur esse propria causa nigredinis, oportet per principia discurrere, & ueritatem inueniemus, quod frigiditas non sit causa nigredinis, uidemus in Germania regione frigidißima cœlo et flatibus Aquilonaribus niuibus, et regionis situ homines fieri albos, Germani sunt albißimi: contra in regionibus calidißimis, quanto calidiores, tanto magis nigri fiunt homines, ut in Æthiopia, India, et aliis calidis regionibus, homines sunt nigerrimi, in frigidioribus albißimi fiunt. si uadas in Germaniam, longe albiores sunt homines, quàm in Hispania, quæ calida est: in Gallia etiam est frigiditas satis intensa, et tamen Galli sunt albicantes, et molliũ carnium, suntq; albißimi, hoc uidetur præcipuũ esse in Gallis. Vnde in VI. Æneidos: lactea Gallorum colla appellat Virgilius, quia sunt albißimi. Qui uero habitant in Hispania et calidioribus regionibus nigricant, et liuidi fiunt, hoc uidemus quotidie sensu ipso: Et ita cum dicit Arist. in eo Problemate, quod frigiditas sit causa nigredinis, et humiditatis, ut quia refrigerãtur extrema ob id liuescant, et quod albedo pertinet ad ignem oportet considerare, et uidere nunquid hoc uerum sit quod dicit, albedinem ad ignem pertinere, et quo pacto uerum sit hoc, quod ibi dicit Arist. Videndum nunquid per hoc intelligat quod ignis sit lucidus, splendidus, et hoc modo albus, et faciat albedinem, claritatem, et splendorem, qui est op-

positum tenebrarum, et contrarium nigredinis: hoc non est in proposito, non est reddere causam problematis, quod quærit cur partes frigidæ liuescant, et quod caliditas faciat ad albedinem, sicut ad nigredinem caliditas, non est reddere causam nigredinis, uel albedinis: albedo et splendor, uel lumen attinet ad ignem: Nam quando dicit ignem limpidum, et splendidum inde esse album non est uerum: non enim sunt sub eodem genere, sed in diuerso, quia licet ambo lumen, et albedo conueniant in generalissimo, et sint ambæ qualitates accidentales, tamen sunt sub proprio genere diuerso. ideo potest bene ignis esse lucidus, tamen non est albus. Quid ergo illud dicere, quòd albus quia lucidus, est improprie dictum, non redditur pro ptereà causa dubij, quod si intelligat, quòd albedo attinet ad ignem, uel ad Solem, idest quod proprijs radijs descendens faciat albedinem, hoc longe magis abest, longe petitum, hæc non est causa, quòd albedo causetur à caliditate, nigredo à frigiditate, longius abest à re, et medulla rei. ideo uidendum est à nobis per discursum, ut assequamur, nunquid albedo pertineat ad caliditatem, idest causetur à caliditate, uel à frigiditate, et nigredo utrius sit effectus caliditatis, an frigiditatis, quod ut uideamus primo dico unum supponendo tanquam fundamentum. Certum est quod colores sunt qualitates secundæ, quæ sunt in superficie corporis naturalis, quorum causa est lumen receptum in superficie, ratio nanque formalis, à qua constituuntur, et per quam distinguuntur inter se est lumen receptum in superficie corporis secundum magis, et minus.

ua-

uariantur colores ſecundum quod uario modo recipitur lumen in ea ſuperficie: Hoc eſt ſuppoſitum et fundamentum primo ſupponendum, quod non eſt meum; eſt dictũ Ariſt. et omnium philoſophorum: Nam ſi plurimum de lumine recipiatur in ſuperficie cauſatur albedo, albũ multum luminis continet, quod ſi nihil, uel minimum luminis recipiatur fit opacum, et nigrum corpus, quod minimum habet luminis, ita fiunt duo extremi colores, et lumen eſt omnino ratio, et ut forma, qua conſtituuntur iſti colores extremi, ſi plurimum ſit lumen fit album ſi nihil, uel minimum, uel nihil: Si medio modo ſe habeat in ſuperficie, fiunt medij colores ſecundum magis et minus: ut quanto magis de lumine fuerit, tanto magis accedant ad albedinem, et contra: quanto minus fuerit lumen, tanto minus ad albedinem uergent, et magis accedent ad nigredinem. Hoc habito fundamento ulterius progrediamur, cum lumen ſit ratio formalis, qua colores conſtituuntur in eſſe proprio ſcitis ex philoſophia quod humidum maxime recipit lumen, humida ſunt lucida, quia recipiunt plurimum de lumine. ideo humidiora ſunt albiora, Hoc obſeruetis quod perpetuo uerum eſt, humidum magis recipit lumen, quàm ſiccũ, ſicut eſt aer, aqua, quæ quàm facile recipiant lumen uos ſcitis, ut citiſſime lucida euadant, ſiccum cõtrà non facile recipit lumen in ſuperficie, et ſi recipiat parũ, uel nihil recipit: Hinc eſt quòd omnia ſicca quatenus ſicca ſunt nigra, et opaca, et poteſtis habere cauſam cur terra ſit opaca inter cætera elementa ſimplicia, quia nihil recipit de lumine, humida elementa ſunt lucida, et ſplendida

cla-

clara, hoc dico de ſicco, ut ſiccum eſt: Bene uerum eſt, quòd aliqua ſunt, quæ cum ſicca ſint, deberent eſſe nigra, ſed propter multitudinem pororum, et raritatem ſubſtantiæ recipiunt multum lumen in ſuperficie quemadmodum ſunt oſſa, et pumex, et ita fiunt alba, iſta ſunt alba, deberent eſſe nigra, quia ſicca, hoc eſt propter plurimos meatus, et poros, in quibus lumē recipitur, et quod deficiebat ex ſiccitate reſtauratur à raritate ſuperficiei, et multitudine foraminum, non ſunt alba propter ſuperficiem, quòd facile recipiant lumen, quia ſicca ſunt, ſed ſiccitas à multitudine meatuum ſuperatur: Quando dicimus humidum facilius recipere lumen, quàm ſiccum; et idcirco eſſe magis album intelligimus ſub ratione hac, qua dicitur humidū, et qua ſiccum, ſi ſit oppoſitum hoc per accidens contingit propter raritatem ſuperficiei. Conſtituto hoc ſi ſint uera fundamēta, et ſuppoſita Ariſt. et philoſophorum, primo quòd receptio luminis in ſuperficie corporis naturalis ſit immediata cauſa, et ratio formalis conſtituendi colorem, ut ſecundum magis, et minus uarientur quoque colores: ſecundo quòd humidum magis ſit receptiuum luminis, ſiccum contrà minimum lumen recipiat, ſequitur hoc neceſſario, quòd ea, quæ exiccantur indurantur: et quanto magis indurantur, et exiccantur minus de lumine poſſunt recipere, et nigriora efficiuntur, hoc ſemper uerum eſt per ſe conſiderando, nunc ut ſolum conſequitur ad fundamenta: inde uidemus, quod corpora, in quibus eſt multum humidum, quando exiccantur ſi fuerint alba; nigra efficiuntur: quoniam per exiccationem extrahitur

tur humidum subtile, spumosum, remanetq; crassum, quod simul continuat partes totius corporis, remanent et crassiora. Ex quo fit, ut craßius, & siccius corpus existens non potest recipere lumen, & fit color niger. primo ergo fit color niger, quando humidum extrahitur subtile, sed si calor non cesset, adhuc ulterius agat, ita exiccat, ut iterum redeat color albus: fiunt enim crassa corpora iterum alba, quia exiccantur, & tantum exiccantur, quod partes inuicem disiunguntur, & rarefiunt, lumen subintrat, & color albus sequitur. Cùm uerò prius humidum tantum illud spumosum tenue consumptum, & extractũ fuerit à calore exiccante, erant partes crassæ induratæ bene compactæ, & continuatæ ab humido craßiori continuante. quocirca lumen non recipiebant in superficie, & opaca nigra ex albedine fiebant, nunc per ulteriorem exiccationem, & adustionem humidum crassum extrahitur, quod cõtinuabat partes illas corporum, extracto humido continuante partes separantur, & aperiuntur, rarefiunt, fiunt multi pori in superficie, rarefacta superficie lumen facillime penetrat, & recipitur ad interiora superficiei, & ita fiunt alba, si uerum est quod plurimum lumen dum recipitur in superficie efficit albedinem, hoc non est propter siccitatem, ut uidetis, sed est propter raritatem superficiei: habetis exemplum manifestũ in chartis combustis, quando comburuntur chartæ in igne primo nigrescunt, quia exiccantur, & indurantur, extrahitur humidum subtile, quod facilius extrahitur, remanet crassum, non potest lumen recipi in earum superficie, ut se-

ſequatur albedo: ſi adhuc magis comburantur extrahitur etiam humidum craſſum, quod continuabat partes ſimul, continuante humido abſumpto diſſoluuntur, & fiũt raræ, lumen intrat meatus, & poros ſuperficiei. ideo fiunt iterum albæ chartæ, & quia carent humido continuante abeunt tunc in fauillas uolantes, ut ad minima etiã diuidantur, uidetis uolare per aerem illas paruas fauillas, quæ tandem & ipſæ diſſoluuntur. Hinc eſt etiã quod cineres quanto ficciores, & terreſtriores, tanto albiores ſunt: præterea oſſa dum ſunt in cimeteriis mortuorũ habent plurimum humidum craſſum, & corpulentum, qui in partibus bene continuantur, & indurantur, ut nõ poſſint recipere lumen: ideo ſunt liuida et nigra cum poſtea exiccantur magis, fiunt albiora & leuiora: Nam quanto candidiora fuerint, tanto leuiora efficiuntur. Scitis rationem? quia per ulteriorem exiccationem extrahitur humidum illud corpulentum, craſſum quod obturabat meatus, & poros oßium, non poterat ingredi lumen & ita nigra uel liuida erant. grauia, quia humidum multũ ponderabat. At ſi exiccata fuerint, & humidum corpulentum continuans oſſa, & oßium partes eductum fuerit, et reſolutum à Sole, uel ab igne rareſiunt, rarefacta lumen citißime penetrat. & ideo redduntur albiora, et lucidiora eo modo, & leuiora, qua ratione albiora redduntur, ea quoque leuiora fiunt. Si etiam comburantur oſſa, idem contingit quod contigit, quando erant in cimeterijs: deinde extracta ſunt, & à Sole exiccata: primo fiunt liuida cum comburuntur, & nigricantia propter

exic-

exiccationem, & resolutionẽ humidi spirituosi, tenuisq;, quod si ulterius comburantur resoluitur humidum corpulentum continuans inuicem partes, quodq; prius obturabat poros, ut lumen non posset ingredi eorum superficiẽ, & fiunt ossa albiora, plurimum de lumine recipitur in superficie oßium, quod est uera causa, & forma coloris, ut audiuistis, postea fiunt adhuc nigra propter maiorem combustionem, qua humidum crassum à partibus interioribus ad extrinsecas trahitur, & iterum occluduntur meatus: quo resoluto si magis comburantur tandem albißima fiunt, & tunc dissoluuntur, non habent humidum quod poßit continuare, albiora, & si sicciora propter raritatem superficiei, & multitudinem meatuum, leuiora, imò leuißima sunt. ergo concludendum, quod semper uerum est hoc per se humidum facilius recipere lumen, q̃ siccum quatenus humidum, & de ratione humidi, uel sicci semper quoque uerum est, quod siccum cum humido mistum recipit plurimum de lumine, & fit albius, quando extrahitur illud humidum, non qua siccum, sed quatenus priuatum humido acquirit raritatem superficiei, in idem quoque uenimus, ut dicamus perpetuum uerum esse humidum mistum cum sicco albius esse, quando recipiat multũ luminis: quando uero est humidum solum simplex sine sicco à quo non poßit resolui, per receptionem luminis nõ fit album, sed magis lucidum: atque ideo uidemus quod aqua simplex humida tantum, quanto magis pura, tanto lucidior est sicut & aer, & aqua ubi lumen subingreditur, est magis parata ad recipiendum lumen: alba uero

non

non fit quia lumen non solum intrat superficiem, sed ad profundiora penetrat, & causat luciditatem: Quando modo congelatur, albior redditur aqua: Vnde glacies alba fit, & si aqua non esset alba, ut habetis in quarto Meteororum, ubi aßignans rationem philosophus inquit, cũ per suppositum color fiat à lumine in superficie corporis naturalis recepto. idcirco dum aqua simplex, & pura humida est lumen non tantum recipitur in superficie aquæ, uerum ad profundum etiam subingreditur. ideo nõ alba, sed lucida uidetur, glacies uerò alba est, quoniam lumen non penetrat ad profundum, remanet exterius in superficie, & facit album colorem, hæc est ratio, & causa quare glacies sit alba, & aqua non: in proposito, modo habemus quomodo fiunt colores et liuescunt partes extremæ. Si sanguis & ichores subtiles tenues congelantur cum refrigerentur exhalatur humidum subtile spirituosum, remanetq; crassum ita congelatum in partibus extremis: ex quo fit ut liuescant, exhauritur humidum à frigiditate congelante: Nam, ut dixi, in superioribus ex quarto Meteororum, & notaui in præcedentibus explanationibus ita frigiditas exiccat, sicut & caliditas, non magis ab una fit, quàm ab altera, sed non eodem modo: frigiditas quidem exiccat, & dissoluit humidum, exprimit et per expreßionem educit: caliditas exiccat humidum resoluendo, ita ut facit caliditas post resolutionem, facit frigiditas post expreßionem humiditatis. Hinc est quod corpora frigescentia in magnis frigoribus prius liuescunt, deinde nigrescunt, quia humidum exprimitur, non potest lu-

lumen penetrare, & recipi in superficie, apparet hoc manifeste in unguibus; tempore hyemis frigidissimo liuescũt ungues propter expressionem humidi, ex qua fit sanguinis congelatio, & crassefactio. Habetis igitur hactenus causam, & rationem cur extremitates liuescant, & nigrescant: liuescunt à magna frigiditate, quæ exprimendo humiditatem à sanguine exiccat, & congelat, & ichores, sanguisq; totus crassescit, quo crassefacto, & exiccato non potest recipi lumen: ergo nec albedo esse potest, sed liuiditas, quod si magis increscat frigiditas per consequentiam succedit nigredo, & ita partes primo liuescunt à frigiditate, secundo nigrescunt. in Philisco propter mortem accedentem calor extinguebatur, frigiditas in corpore sequebatur, ex qua sanguis incrassatus, & spiritus crassiores, deinde ablati fuerunt: unde primo frigescebant, ut dixit ipse, extrema; secundo liuescebant, aderat iam mors, & actualis frigiditas à priuatione caloris naturalis.

DIE SEXTO *ad meridiem est defunctus &c.* Omnia consonabant, quòd moriturus esset, & quidem in sexta die, & circa meridiem, quod ut planè & collectim nũc uideatis breuiter memoria repetatis ea, quæ dicta sunt accidisse à principio morbi. inuasit Philiscũ febris acuta cũ sæuissimis accidentibus, in paribus diebus cæpit exacerbari, in tertio die & si liber à febre omnino uisus sit, & quod melius habuerit cum esset dies quietis, tamen subcrepusculum diei inuasit inflammatio totius, & febris acuta præter omnium spem, & expectationem medicorum, à crepusculo usque ad finem quartæ perseuerauit febris cũ

augmento omnium ſymptomatum, Hoc erat indicium certiſsimum mortis in ſexto, uel ſeptimo futuræ: Habetis regulam medicorum quotieſcunque tertia, & quarta ſimul grauiter ſe habuerint, ut in ambabus ſit exacerbatio morbis criſim cito futuram expectare oportet: in tertia & quarta exacerbatio durauit in hoc ægro. ergo expectanda eſt cito criſis futura, præter hoc quod tertia & quarta fuerunt tam graues, & mortem indicabant, in quinto etiam omnia grauiora facta ſunt, quæ erat dies quietis: ſi uerum eſt, quod conſueuit inuadere diebus paribus, quod & ipſum erat ſignum malum, quandocunque ægritudo habet acceſsiones in die pari ſignificat eſſe malorum morum. cum itaque in quinta ſæuiſsima fuerint accidentia, et febris aucta, neceſsarium erat, ut moreretur in ſexta. Et quoniam ſcitis quod moriuntur ægri in hora maioris afflictionis, propterea Philiſcus debuit mori in hora priori diei ſextæ: hora autem peior eſt hora exacerbationis, in qua conſueuit exacerbari: ergo non ſolum moriturus erat, ſed cito moriturus, & in ſexta, & hora paroxiſmi, in qua maxime affici conſueuit. Audiuiſtis quod in ſecunda & alijs diebus accedebat febris in meridie, merito debuit mori circa meridiem, in quo maxime affictabatur, iſta cõſiderando uos clare uidetis neceſſariò moriturum Philiſcum, ſicut mortuus eſt. Et ideo medicus prudens potuit ex omnibus his ſignis bene colligere, & prædicere tutiſsime non modo moriturum ægrum, ſed etiam diem, quod debuit neceſſariò mori in ſexta, uel ſeptima, & non tantum diem mortis, uerum etiam horam, qua mori debebat,

bat, in hora inquam afflictionis circa meridiem, ut solitus erat affici; quod & uos poteritis assequi si diligenter signa omnia perquisiueritis: sed bene uellem quod notetis unum medicum esse rationalem, non uatem; ideo quando prædicit futuram mortem in tali, uel tali hora, in tali die, uel tali non prædicit, ut uates, uel propheta, non uaticinatur, sed ut philosophus, & medicus rationalis, qui non sine ratione mouetur. primo respicit accidentia omnia ex quibus discurrendo per eorum causas colligit mortem, uel salutem: si mortem, alia deinde considerat ex quibus & diem, & horam mortis prognosticatur. Medici ergo eo tempore potuerunt etiam in principio moriturum esse Philiscum, nunc uerè cito moriturum in sexta, uel septima magis in sexta, quia dies exacerbationis, circa horam meridiei, quæ erat hora exacerbationis, & maioris affectionis. ex his consideratis poterant inquam tuto illi medici prædicere rationabiliter non suffecturum Philiscum ad septimam, sed potius defecturum in sexta circa meridiem, quod dixit Hipp. Die sexto ad meridiem est defunctus, perfecit suam uitam pauper Philiscus. Notate, quæso perfecimus ista circa textũ breuiter. Nã cras iterum proponemus casum, ex symptomatib. essentiã huius morbi cognoscetis, qua cognita causas inuestigauimus, deinde prognosticũ afferemus cũ ratione: quo præmisso indicationes curatiuas à proprijs fontibus eliciemus, & curationem totam perficiemus in particulari, Vos uidebitis; hic erit doctrina. SPIRITVS HVIC erat perpetuo, quasi reuocanti, rarus, & magnus &c. Notetis, ut sciatis, quomo

do ista sint addita, cum Hippoc. proposuisset omnia symptomata ad essentiam morbi cognoscendam necessaria, quæ singulis diebus incipiendo optimo ortu ægritudinis usque ad finem, & ipsius exitum, nullum prætermisit dicens, hoc eo die contigit, illud illo usque ad mortem, quæ fuit in sexta: Nunc modo subiungit separatim quædam symptomata, quæ non singulo quoque die mutabantur, sed semper perseuerarant statim à principio morbi usque ad finem, fuerunt perpetua, quæ non poterunt nobis commonstrare processum morbi. primo dicit perpetuò fuisse spiritum, idest, anhelitum, respirationem magnam, & raram, statim à principio mutata fuit ad differentias præter naturam, ut esset rara quasi quod oblitus esset respirare: ideo reuocanti quasi rarus erat anhelitus, erat oblitus respirare, postea red bat. Et hic notetis quod hoc non bene uertitur, interpres male transtulit ex græco in latinũ, quasi reuocanti, idest, reuocanti similis non assecutus est mentem omnino Hippoc. sicut nomen græcum recte stat, ita nobis bene Galen. interpretatur in com. quasi reuocanti, idest, quasi oblitus, ac si reuocaretur in memoriam illi, ut respiraret, idest, ac si recordaretur respirationis, hoc bene uult Hippoc. Nam si staret textus eo modo, quo uertitur, quasi reuocanti, deciperentur multi, putarent Hippoc. dicere, quòd reuocaret anhelitum tantum, & magnũ, idest, bis successiue respiraret, ut respirationem repeteret, hoc non dicit, iste interpres debebat saltem respicere expositionem Gal. non potuit exprimere conceptum Hipp. non uult ipse, quod repeteret anhelitum, & respirationẽ:

Voluit significare anhelitum talem fuisse, ac siquis oblitus sit alicuius operationis, & iterum redit ad illam, sic Philiscus oblitus erat quasi respirare, & iterum redibat ad anhelandum, quasi recordatus respirationis, hoc modo similis erat reuocanti, idest, quasi uideretur in memoriam reuerti, ut respiraret, sicut contingit in maximis anxietatibus, & cogitationibus, qui multas, & quidem magnas habent curas obliuiscuntur respirationis, & omnium suarum operationum, postea cum calor in corde indigeat euentatione, trahunt multum aeris, & faciunt magnū anhelitum, ac si sibi in mentem ueniret, ut respirarent, trahunt magnam respirationem, & hoc dicitur à nostris suspirium, & homines isti dicuntur respirantes uehementissime suspirare, ut etiam contingit in magnis ægritudinibus, quibus cor affligitur, & animus patitur. in hoc uiro ita fuit, respirabat similis recordanti. Galen. cum Hippocr. in secundo Prognosticorum, et in primo libro notauit quod quandocunque in ægris fuerit anhelitus magnus, interposito multo interuallo, rarus ita, ut fiat suspirium delirium significat: si uero in sanis fiat suspirium non delirium, sed affectum aliquem animi indicat, ut in his, qui sunt amore alicuius capti, aut magno dolore, & mærore laborant. in hoc uiro bene, & merito notauit hoc perpetuum symptoma, quod delirium significabat. audistis Philiscum delirasse, & maxime cor affectum erat, fuit perpetuò spiritus, idest, respiratio à primo die statim ægritudinis, & durauit usque ad finem rara & magna: rara quasi esset oblitus respirare, & proprias operationes nesciēs quan

do incipiat, uel quando cohibeat, postea recordatus respirat: magna, ut quod ab raritatem fieri non poterat magnitudo subueniret. Bene & diuine meminit huius signi, ex quo etiam uos hanc regulam & documentum accipiatis, ut quando acceditis ad ægrum uestrum primo aduertatis anhelitum, & recte perspicere eius differentias etiã magis, quàm pulsum: quoniam anhelitus fortasse firmior, & certior est, quàm pulsus, scitis causam? quia pulsus leui quacunque mutatione caloris, & affectione ipsius cordis immutatur, anhelitus non tam facile uariatur, nisi sit magna causa: potius anhelitui confidere debetis hoc est unum, dabit uobis iudicium certius. Vnde mirabiliter diligentißimus Hippocr. nunquam curauit differentias pulsus, anhelitum semper obseruauit: Et dico uobis hoc, quod nunquam hac ratione inuenietis Hippoc. mentionem fecisse de pulsu: in quocunque tamen ægro semper diligenter conspiciebam anhelitum, quod & hoc loco non prætermisit dicens anhelitum fuisse rarum, & magnum in Philisco, quod significabat delirium, ut uidistis factum esse. De spiritu & anhelatione multa essent notatu digna dicenda, quæ in sequenti ægro dicemus, non omnia sunt hic referenda latius ibi disseremus cum occasionem maiorem habebimus, & in quocunque casu aliquid dicemus, illud tamen semper habebitis, ut quod de anhelitu dixit Hippocr. de pulsu idem intelligatis. LIEN IN TVMOREM rotundum elatus erat &c. Aliud perpetuum & commune symptoma in toto morbo fuit tumor uisceris, erat lien humidus, & quidem tumor rotundus erat.

erat. Notetis, Aut poterat esse durus iste tumor lienis, qui appellatur scirrhus, aut inflammatio: Non fuit durities, quoniam durities fit ex humore frigido incuneato in membro, in quo est: hic autem non abundabat humor frigidus, sed calidus, ut patet qui correptus fuit febri acutißima. ergo fuit inflammatio ab eodem quidem humore, à quo dependebat febris, ista inflammatio erat peßima: primo in uiscere nobili intrinseco, secundo quia rotunda in figura, quæ indicabat materiam malam commistam non separatam, dicebamus superius, quòd quando inflammatio tendit ad salutem, & salubris existit habet figuram pyramidalem rotundam, sed in acutum tendentem, quoties figura apostematis pyramidalis est semper peßimum indicium affert, quod concocti sint humores, & ad exitum bonum deducetur. At si fuerit figura rotūda in apostemate, significat materiam crudam, non esse factam concoctionem humorum, sed massam esse quandam humorum commistam simul non separatam à natura, ideo bene et rationabiliter notauit hoc signum malum Hippoc. in Philisco fuisse perpetuò, ut haberet lienis apostema rotundæ figuræ: erat enim inflammatio à materia nō concocta, cruda, commista, non quatenus erat inflammatio, sed ut rotundam habebat figuram. SVDORES perpetuo frigidi &c. Bene etiam notauit hoc commune symptoma, quod & si inualeret in diebus exacerbationis, tamen perpetuo durauit. De sudoribus noua non dicemus nunc, ostendimus ex Galen. quomodo poßint esse sudores frigidi in febre acuta superius à principio: & audiuistis

quod non est impoßibile, licet interiora sint feruentißima, ut tamen partes extrinsecæ frigeant à quibus exeunt sudores frigidi: hoc autem ita malum signum esse dictum est à nobis, ut si fuerit in acuta ægritudine poßitis tuto pronuntiare moriturum ægrum: si in non acuta, longitudinem morbi futuram, ut semper sint mali sudores frigidi. ACCESSIONES diebus paribus. febris acuta exacerbabatur in die pari, ista omnia sunt symptomata, quæ à principio ægritudinis usque ad finem, & mortem Philisci perseuerarunt. Vidimus quod statim in principio, in prima die inuasit febris acuta cum sæuißimis accidentibus, posteà consueuit in paribus diebus exacerbari: acceßit enim paroximus in secunda & ita deinceps succeßit, hoc erat signum lætale, quia semper acceßiones in paribus diebus malæ sunt, & mali iudicij exitum significant: si in acutis mortem dicebat Hippocr. si in non acutis longitudinem, omnia ista communia, & perpetua signa habuit mortem significantia futuram neceßariò, non poterat euadere. Ex hoc habetis quod exemplo Philisci, in quocunque ægro debetis diligenter inspicere symptomata propria, idest, quæ uariantur & mutantur singulis diebus, & communia omnibus temporibus ægritudinis, ex quibus scietis prædicere mortem, uel salutem, curationem uestram optime dirigere, & optimi euadetis medici. Et ita textus totus sit expositus, Nunc ita procedemus. Proponemus Philiscum, & ad exemplũ eius alterum, symptomata inuestigabimus; ut per ea poßimus cognoscere, quis morbus esset, de quo Hip. non facit

cit mentionem, tum essentiam ipsius declarabimus, et causas afferemus prædicendo mortem, uel salutem: præmisso prognostico tandem curationem aggrediemur, Eritq; utilissimus discursus.

Hactenus simul cum ipso Hippocrate tanquam inuisimus illum Philiscum, qui in sexta die obijt. Obseruauimus secundo simul cum Hip. omnia symptomata contingentia circa ipsum, tam communia non uariata à primo die decubitus usque ad finem, & mortem, quàm ea, quæ singulis diebus acciderunt: Habuimus ducem tantum uirum Hip. nihilominus quoniam tantummodo symptomata habuimus: per signa autem non declarauit essentiam morbi, quis esset morbus, quo laboraret Philiscus, causas morbi, nec curationem Hip. nihil dixit in hoc, neque in illo. Ideo ut habeatis doctrinam perfectam, nec aliquid uobis deficiat existimaui suppositis nunc symptomatibus, et declarato textu contemplari essentiam morbi huius: & prognostico præmisso, ut solent medici prudentissimi curationem uobis afferre, qua procedendum esset in hoc, et consimili casu, ut particularia quoque habeatis. Adeundũ igitur est rursus ad Philiscum nostrum, & primo perquirendum quisnam esset morbus, & causas morbi perquiremus dabimusq; methodum curandi omnes huiusmodi casus: Vt recte possimus hoc facere, oportet quædam præsupponere. præmittenda igitur quatuor, quibus parati magis ad hanc tractationem accedetis, ad meliorẽ eorum, quæ habuit Hip. in textu expositionem. Audiatis:

Videndum primo est quomodo debeat esse dispositus medicus, idest quem habitum debeatis habere uos futuri medici, antequam accedatis ad Philiscum, et ad uestrum quemlibet ægrum: exemplo enim Philisci omnes consimiles intelligemus: Secundo quid speculandum circa ægrum afflictum, cum iam estis ducti ad ipsum, ut cognoscatis morbum, & morbi naturam: Tertio quid prædicendum, & prognosticandum sit antequam aggrediamini curam, ut seruetis præceptum illud Gal. Galenus præcipuus ille medicorum omnium præter Hip. in Prognosticis cum Hip. dicit nos debere præuidere futura. oportet enim medicum, inquit Hip. uti præuisione, ut melius sciat procedere in curatione morborum: Quarto & ultimo docebimus quid agendum sit, uisa ægritudine, causis illius consideratis, præmissa prognosticatione, & præparatione ad operandum quid debeatis agere & moliri, ut auferatur ægritudo, Hæc omnia docebunt nos, & erunt uestra fundamēta, quibus procedere scietis in auferenda ægritudine Philisci, & non modo aditum habebitis in Philisco, uerum etiam in omnibus ægrotis Hip. & in tota Arte, ut nullus sit casus, quem rationabiliter nesciatis dirigere: in his principijs Paulum immorandum est, non miremini, habebitis totam Artem: qui enim habet principia ille bene in augmento scit procedere usque ad declinationem, tota uis est in principijs, & qui habet principia habet omnia. principium est totum in potentia, ut bene dicebat Arist. in his ergo non dedignemini immorari paululum. Quantum uerò ad primum attinet, idest ad habitum, quem

de=

debetis habere antequam ad ægrum accedatis, Debetis primo in uniuersali habere, ut ea intentione, eo animo accedatis ad patientem uocati, ut morbum remoueatis, negligentes adultera, Hic est principalis uester Scopus, ut curetis morbum, & ægrum à morbo liberetis, remoueatis omnes alterationes, omnes adulterationes in Arte hac diuina, quæ poßunt facile contingere, ut nihil agatis pecunia, uel ambitione; ista sunt quæ Medicinam adulterant, à quibus omnino caueatis, uitam ægri et sanitatem habeatis primum præ oculis, pecunia non deficiet & honorem acquiretis conantes quantum fieri poterit sanare ægrotantem. Primum quærite regnum Dei, et hæc uobis adijcientur, infallibile uerbum. Bonus semper sit uester animus, nihil deerit, hoc unum supplebit totum, non accedatis, ut lucremini, quæso supponatis uobis, ut sanetis ægrotum, & quæratis quæcunque poßint & tutius, & citius id præstare: Si habebitis animum uestrum ad hoc accidat quicquid uelit, non eritis damnandi, uestrum conatum in hoc ponitis, ut sanetis hominem, pecuniam non curetis. Debetis ergo solum hoc inspicere, ut sanetis iste est proprius Scopus medici non adulteratus, pecunia per se adijcietur, hoc est curandum, ut principale & solitariũ proprium medici, ut bene dicebat Hip. neglecta pecunia, & omni alteratione extrinsecus aduenientе eatis ad patientem: Cum habueritis hunc habitum in mente uestra, & ita supposueritis uos esse facturos, ut oculum tantum habeatis ad sanitatem acquirendam, uestrum proprium scopum acceditis ad ægrum, ingredimini, statim bono animo

inſpicitis hominem, ut illum adiuuetis, quid modo uobis ſpe culandum? hoc eſt ſecundum, quid contemplandum? Vultis eo animo ſanare, & ægritudinem remouere: Nunquam inducetis ſanitatem, niſi prius cognoueritis naturã morbi præſentis, à qua ſumitur uera indicatio curandi; indicatio eſt illa, quæ dirigit medicum in curatione, ut recta ratione, & recta methodo remoueat ægritudinem. ergo natura ægritudinis prænoſcenda eſt à medico, ut ſciat ab ea ſumere indicationem, hæc eſt ueritas. Recentiores poſteà noſtri intricant ſe, faciunt multas quæſtiones, argumenta ducunt, & ſe complicant, ut non poßint aliquid decernere: uideatis illos, uos eritis teſtes, nihil niſi nugas quærunt, à quo ſumi debeat indicatio curatiua, an à morbo, an à cauſa morbi, arguunt hinc, illincq; tandem neſciunt quid dicant: Ego quandoque ſi uideo, miſereor, admirans tantam dementiam, ita confuſi ſunt, ut nihil penitus de hac re intelligant, ſunt digni potius miſericordia, quàm obiurgatione. Si itaque uultis remouere ægritudinem, oportet ut cognoſcatis naturam eius, cognita natura ægritudinis ſtatim patebit indicatio, quæ diriget uos ad curationem: contemplamini prius, quæ ſit natura iſtius morbi? Quomodo cognoſcetis in ægro ueſtro naturam ægritudinis? non cognoſcetis niſi per cognitionem ſuæ eſſentiæ, ut uideatis eſſentiam morbi, ſecundo motum, tertio tempus, quarto & ultimo mores: hæc quatuor deducent uos ad cognoſcendam naturam morbi: Et hoc merito, quia natura morbi conſiſtit in his omnibus eſſentia, motu, tempore, & moribus: Vbi debetis adnotare, quod na-

natura, ut bene dicit etiam Gal. non semper eodem modo intelligitur, ut cum dicimus naturam, statim intelligamus eo modo, quo ipsam diffiniuit Arist. ut principium motus, & quietis corporum naturalium, quo modo materia & forma naturæ dicuntur, sed largiori quoque modo accipitur, & significato pro accidentibus alicui inhærentibus, quo modo quandoque refertur ad mores, ad bonitatem, uel malitiam, ut quando dicitur homo malæ naturæ est, idest malorum morum: bonæ naturæ, bonorũ morũ, ita refertur quandoque ad proprietatem, & qualitatem propriã alicuius rei, quod in accidente consistit, quemadmodũ dicimus magnetem trahere ferrum, quia talis est naturæ, ut ferrum trahat, quod nihil aliud est, quàm dicere, quod magnes habet hanc proprietatem, ut ferrum ad se trahat: quandoque attenditur natura penes motũ, tempus, & mores. quando igitur loquimur de natura morbi non eo proprio modo intelligimus, quia morbus non componitur ex materia, & forma, sed consideramus naturã .i. accidentia ista, in quibus stat natura morbi, & ipsa coniuncta sunt natura morbi, motus, tempus, & mores, supposita prius eius essentia. Oportet igitur uos ista præscire, & præsupponere, si uultis discere Artem, & curare per uiam rationalem, & methodum breuißimam omnes ægritudines: Neque in his expectetis completam tractationem, ero breuis, tantum per compendium, et per quædam capita docebimus attingentes præcipua: Nam si debuissem hoc perfecte tractare nimis longum esset, produceremus nostrum sermonẽ non modo per duas, uel tres

præ-

prælectiones, uerum per annum totum: omnia ſupponantur, quæ hic non poſſumus percurrere, aliàs à duobus abhinc annis diſtinctiſsime, & perfectiſsime omnia percurri, & uos quotidie docui per totũ annum: ſupponatis ea, quæ ibi didiciſtis; Hic capita eorum recenſebo, & ut his, qui me tunc audierunt in memoriam reuocem eſſentiam rei, tum ut Iuniores, qui non intellexerunt ea poſſint, quæ dicentur, percipere, per totam ſecundam primi Een iſta docuimus, nunc notate eorum capita. Dictũ eſt cum acceſſeritis ad ægrum ſpeculandã eſſe ſtatim à uobis eſſentiam morbi, ut cognoſcatis quoque naturam, quæ in eſſentia & aliјs accidentibus cõſiſtit. Eſſentia igitur morbi à uobis præſcienda, & quoniam unaquæque res ſcita, & cognita cognoſcitur per ſuas omnes cauſas, eſſentia cognoſci debet per ſuas cauſas: ergo cauſæ inueſtigandæ: Cauſæ ſunt in duplici differentia, aliæ ſunt intrinſecæ rei, aliæ extrinſecæ: ad cognitionẽ eſſentiæ morbi cognoſci debent omnes cauſæ intrinſecæ, & extrinſecæ, ſi omnes habuerit: Tunc enim putamus nos ſcire rem unamquanque, quando eius cauſas cognouerimus primas, & prima principia uſque ad elementa, ut dicebat primo phyſicorum in principio ſtatim: per elementa intelligens cauſas intrinſecas illius rei, ut materiã, & formam, quæ ſunt in eius eſſentia: per cauſas & principia, extrinſecas: per cauſas quidem finalem cauſam: per principia efficientem, ut omnes conſentiunt, et interpretantur omnes interpretes Peripatetici ſimul, nullus diſcordat. itaque ſi cognoſcenda res eſt, prius ſunt habendæ cauſæ ipſius tũ in-

intrinsecæ,tũ extrinsecæ. Sed ulterius in his non laboremus,dimittamus ista philosophis, hoc didicistis in alijs scholis: Causæ quæ constituunt essentiam morbi sunt cognoscendæ? ergo primo intrinsecæ,quæ sunt materia, et forma: ratio formalis per quam est essentia à uobis præscienda,& à quocunque medico curaturo consideranda, non solum intelligo considerandam esse in genere & in uniuersali,sed etiam in particulari magis, & specie specialißima,& induidua, ultra quam non licet progredi, ut quando consideramus aliquam febrem primo formam contemplamus in genere uniuersali,& uidemus quod ista febris est quædam qualitas,Febris est calor naturalis mutatus ad igneum accensus in corde, hoc est scire formalẽ rationem in uniuersali, & in genere, quia omnis febris est calor accensus in corde: istud non sufficit, oportet modo ulterius deuenire ad specialißimam speciem, et differentiam formalem huius febris,cuius essentiam inuestigamus,ista postea docentur in particularibus, quando illa forma uniuersalis in praxi applicatur in particularibus formæ particulari,& speciei specialißimæ; ita consideranda est forma morbi: Cognita forma materiam secundo quærimus cognoscere.materia duplex est in morbo,alia est materia à qua dependet morbus, & hæc dicitur causa materialis: Morbi,qui à materia dependent appellati morbi materiales hi non eandem habent materiã, & causam materialem,nec eodem modo dependent à materia,sed diuerso modo: quidam habent materiam morbo coniunctã,propinquamq; cui proxime morbus inhæret,

ret, & immediate ab ea dependet, hæc propria est materia illius morbi, quæ coniuncta appellatur, uel materialis; quomodocunque non curo de nominibus dum rē intelligatis: noui in hoc bene senserunt, quando dixerunt causam coniunctā in morbis materialibus dari, neque sunt in hoc damnādi, nā est ita coniuncta morbo, ut inter ipsam, & morbum nihil intermediet, sicut est humor, qui actu facit morbum, & ut Iuniores me intelligant, dico illū humorem esse coniunctam, à quo morbus nullo mediante dependet, quo posito ponitur actu morbus, quo remoto remouetur. hoc bene uiderunt boni medici, neque inficias eunt causam coniunctam dari, quia reuera datur, & omnes boni Doctores illam concesserunt, hoc debet esse uobis, ut principium, Et qui tollunt, uel tollere conantur hanc causam coniunctam, & arguunt contra nouos nostros, neque rationem habent, nihil concludentes, tollunt partem Medicinæ, & Gal. contradicunt, quem imitari uolunt dicentes se esse Galenicos, non uident Gal. eam concessisse, & secundum eius fundamenta nouos quoque concessisse, qui putant omnia scire, & nihil sciunt: Gal. eam concessit, ipsi non uident. Causa itaque proxima, & coniuncta morbi materialis, actu faciens morbum idem est diuersis nominibus expressum, appelletis uel materialē, uel coniunctam, uel proximam, uel asinum non curæ sit uobis, dum intelligatis eam materiā, quæ immediate morbum contangit, illa inquam est causa coniuncta, ut exemplo rem illustremus; in suffusione oculorum, uel in cataracta, ut uulgo dicunt, cum sit morbus à materia dependens

dens, causa coniuncta proxima morbo & aqua decidens in id spatium, quod est inter pupillam, & corneam: aqua illa & humor aquosus est causa & materia coniuncta: Videatis suffusio est morbus materialis, habet materiam, & differentiam formalem, quantum ad rationem formalem dico quod suffusio est oppilatio illius spatij, & intermedij, & oppilatio morbus est. Causa uero materialis proxima coniuncta qua posita ponitur suffusio, remota remouetur aqua decidens inter corneam, & pupillam: posita aqua in eo intermedio ponitur suffusio & oppilatio, impeditur uisus, remoto humore statim oppilatio deficit, & statim ille homo uidet: deposita aqua cum acu à medico ilico uidet, hæc est causa coniuncta, & proxima, morbi immediata, ut nihil mediet inter morbum, & causam. Considerata ergo forma morbi & in uniuersali genere, & in speciali, debetis considerare materiam proximam, idest, coniunctam, ut appellant medici, quæ est causa materialis propinqua, & immediata morbi: Est alia materia, quæ si recte aduertatis, non proprie materia dicitur est tamen materia si largiori modo & significato accipiatur, prout subiectum materia est accidentium, non quod constituat essentiam ipsorum, sed cui accidentia inhærent, ut sint, & quemadmodum dicimus in philosophia naturali unamquamque formam naturalem habere propriam materiã, et indigere materia non ut cõstituatur, sed in qua subijciatur, & cui inhæreat: sic ad hunc sensum dicimus ipsum morbum habere materiam aliam à coniuncta, & materiali causa, quæ est subiectum, cui inhæret tanquàm for-

ma, & accidens in subiecto suo receptum, ut subsistat, non posset esse morbus, nisi esset subiectum, in quo subsisteret, & hoc est corpus humanum, in quo sunt diuersa subiecta, & hoc modo hectica febris est in cordis substantia, & in membris solidis tanquàm in subiecto, & materia propria, ei inhæret, ista febris est sine materia primo modo dicta, non habet aliquam causam materialem, uel coniunctam, sed est simplex intemperies calida, & sicca in membris solidis confirmata nihil patitur à materia proprie, & hæc materia prout de subiecto prædicatur, à uobis etiam cognoscenda est, si recte uultis curare morbum, & febrem quam habet noster ægrotus, ita nunquàm poteritis remouere hecticam febrem nisi prius cognoscatis substantiam ipsorum membrorum, in qua, ut proprio inest subiecto, considerata materia, idest, substantia istorum membrorum habetis alterare, & cum alterantibus remouere intemperiem simplicem, non est intentio aliqua ad humorem, cum non pendeat ab humore, & affluxu materiæ. & si ergo morbus careat materia & humore, à quo dependeat, tamen habet subiectum, in quo subsistit, quod etiam anteq̃ aggrediamini curationem considerandum est, hoc considerabitis in febre, uel quacunque ægritudine, qua laborauerit æger uester considerata prius causa coniuncta, corpus humanum uniuersaliter illud est, in quo est morbus, uidetis num in corde, an alijs membris, num in toto? considerate subiectum morbi, si uultis morbum remouere, & hæc est materia impropriè, targo modo accipiendo nomen materiæ pro eo, cui inhæret, & ita contemplabimini naturam cor=

corporis humani, quod morbo ſubijcitur. Hoc modo conſiderabitis eſſentiam ægritudinis penes cauſas intrinſecas, materiam inquam, & formam: materiam autem dupliciter aut cõiunctam, aut impropriè materiam, ideſt, ſubiectum, & materiam, in qua conſiſtit. Cauſæ extrinſecæ poſtea conſiderandæ ſunt ad cognitionem eſſentiæ ipſius morbi, quæ ſunt agens, & finalis cauſa. Finalis autem in morbis non conſideratur, quia in morbis non eſt aliquis finis, quod aliàs late probauimus, & in hoc diſcurrimus, in rebus præter naturam non reperitur finis: naturalia ſunt illa, in quibus finis exiſtit, morbi ſunt res præternaturales, & errores quidam naturæ non habent finem: in defectibus enim naturæ non eſt inquirendus finis, ut dicit Ariſt. ex cuius ſententia id oſtendebamus, morbi ſunt errores, & defectus ipſius naturæ. ergo in his non eſt ſpectanda cauſa finalis: probatur per Ariſto. in rebus, quæ præter uſum naturæ contingunt omnino finis nullus reperitur, quia natura agit quæcunque agit ordinate non impedita propter aliquem finem, quæ ſi deficiat ab eo, quod intendit, & dico deficiat præter intentionem. nunquàm fieri poterit, ut in illis defectibus finem inueniatis. ſunt præter finem naturæ, quomodo habebunt finem? in morbis ergo quos natura non intendit, finis conſideratio nulla erit. Omiſſa finali cauſa quam medici nihili faciunt, uertetis uos ad contemplandas efficientes, quæ præcipue ſunt in tractationibus Medicorum. Cauſæ efficientes ſunt duplices adhuc, quædam extrinſecæ, & alterantes omnino corpus, ut aer, cibus, & potus, has uocant Græ-

ci προκαταρκτικας, recentiores & medici uulgares primitiuas appellant, siue hoc, siue illud non est nunc in lite mihi ponendum uocetis quomodocunque, & libenter. Ego appellabo ipsas primitiuas, ut omnes intelligant: utamur nomine communi à recto rei conceptu non discedentes, loquendum etenim est ut multi, sapiendum ut pauci, hoc signum est uiri docti, & sapientis: isti nostri recentiores interpretes præincipientes transferunt, quomodocunque appelletis de nominibus, ut docet Gal. nobis non sit cura, bonum est intelligere terminos, ne in re confusio fiat. distinguatis igitur rem, & nomina relinquatis: causæ procatarcticæ extrinsecæ sunt omnino, & extra corpus humanum, ut aer ambiens exterius totum corpus, & per anhelitũ ad cor exceptus, cibus & potus pro nutritione, animi accidentia, siue perturbationes, quæ quotidie in rebus agilibus contingunt uariæ, & diuersis modis, omnes, & cæteræ omnes sex causæ, quæ dicuntur à medicis res non naturales, istæ exterius existentes occurrunt necessariò corpori humano, & alterant; alterando immutant, & uarios inducunt morbos, sunt quædam aliæ causæ efficientes extrinsecæ & ipsæ, sed intra corpus humanum, quæ efficiunt morbos alterando, à Medicis appellantur antecedentes corporeæ, Et istæ sunt humores in corpore existentes, qui non actu faciunt morbum, quoniam essent causa coniuncta, de qua superius dictum fuit, sed apti sunt, ut ipsum efficiant, & leui quacunque de causa & occasione moueantur, & faciant morbum: aliquando accidit ut colligantur humores intra corpus, qui aliquid etiam le

ue

ue paßi causant ægritudines, & actu iam morbum faciūt: sunt causæ efficientes non quod actu morbum efficiant, sed possunt efficere, & istæ sunt extrinsecæ causæ efficientes: sunt tamen intra corpus humores ipsi. Hic ergo statim diceret aliquis si sunt extrinsecæ quomodo sunt in corpore, uel si sunt intra corpus sicut de facto sunt quomodo extrinsecæ efficientes? non potest simul hoc esse uerum, ut istæ causæ sint extrinsecæ & intra corpus: intelligatis quod causæ efficientes sunt extrinsecæ uniuersaliter omnes, quia agēs omne est extra rem, quam agit, sed animaduertendum quod sunt extrinsecæ, idest, extra essentiam morbi, quam efficiunt, nec sunt in morbo: primo & per se morbum efficiunt, non tamen intra ipsius essentiā sunt, quemadmodum erat materia & causa coniuncta cum formali ratione, omnes sunt extrinsecæ, non constituunt essentiam morbi, sed sunt modo istarum duæ differentiæ, aliæ sunt extrinsecæ, aliæ intrinsecæ supponendo semper quod sint extrinsecæ & hæ, & illæ, neque hoc est inconueniens respectu diuersorum. Notetis, Dico quod omnes causæ efficientes sunt extrinsecæ per relationē ad morbū non sunt in eßentia morbi, sed quædam sunt extra corpus ægrotans, & hæ sunt omnino extrinsecæ, quoniam non sunt in corpore, & hæ sunt sex illæ res non naturales, neque essentiam morbi constituunt, neque intra corpus cōtinentur: Aliæ sunt extrinsecæ quidem propter morbum, in cuius essentia non reperiuntur, sed corpore humano continentur ut humores, hæ causæ sunt antecedentes. Vnde bene dictum est, quod causarum efficientium quæ incō

muni ſunt extrinſecæ, quædam intrinſecæ in corpore, quædam extrinſecæ extra corpus alterantes, & procatarcticæ, & morbo, & corpori extrinſecæ: illæ morbo non corpori. Ab his cauſis efficientibus ſumitur uera indicatio præſeruandi, non curatiua, neque remouemus cauſam efficientem, ut curemus, quia nondum effecit morbum, ſed remouemus, ne efficiat morbum, & ut prohibeamus ipſius effectum: Et ita oportet facere diſcurſum, ut morbi eſſentiam habeatis, uidendo formam & materiam, quæ ſunt cauſæ intrinſecæ, & elementa, materiam diſtinguendo, aut coniunctam & materialem, aut ſubiectum ipſius morbi, in quo conſiſtit, poſtea uerſari oportet circa cauſas efficientes extrinſecas neglecta finali, quæ duplices ſunt aut extrinſecæ corpori, aut intrinſecæ. ille qui omnes has cauſas ſciuerit proculdubio eſſentiam morbi cognoſcet: Quid propterea? cognoſcit eſſentiam morbi, adhuc eſt in uniuerſali non poſſet aggredi curationem, non ſufficit habere eſſentiam, nunquàm remoueremus ægritudinem, niſi alia conſideremus, ſi ſtemus in hoc uniuerſali erit adhuc confuſa indicatio, quæ propria à natura morbi ſumitur, quale indicans, talis indicatio, confuſa eſt cognitio naturæ morbi, quæ eſt indicans: ergo & indicatio confuſa erit: confuſa indicatio? ergo confuſa curatio. non poſſetis aggredi rectam curationem, ergo ulterius oportet adhuc progredi, opus eſt ut conſideretis tempora morbi, quod erat ſecundum caput: obſeruanda ſūt tempora, quia in diuerſis temporibus morborum aliter & aliter procedimus in curatione, aliud agimus quādo morbus eſt in principio,

cipio, aliud quando in augmento, aliud in ſtatu, & aliud in declinatione. Tempora morbi attenduntur & diſtinguuntur penes coctionem, & cruditatem, ut apparent ſigna coctionis, quæ indicat pugnam naturæ cum morbo, ut bene demonſtrabat Gal. in principio de criſibus. itaque ſi uultis conſiderare tempora morborum, & habere eorum diſtinctionem debetis uidere cruditatem, & coctionem inſpicere. Cruditas uero duplex eſt, alia eſt per exceſſum, alia per defectum caloris: per exceſſum quidem, quando humores aduruntur à calore intenſo; per defectum cruditas fit quando humores non concoquuntur, ita debilis & imbecillis eſt calor faciens concoctionem, ut non poßit p̃fectam formam concoctionis inducere in humoribus, & coinquinat potius, q̃ concoquat. Scitis quod concoctio omnis fit à calore naturali debite proportionato humido digerendo, ut habetis ab Ariſt. quarto Meteororum; quotieſcunque igitur calor debilis fuerit non proportionatus humido concoquendo fit cruditas, & μολύνσις ab Ariſt. dicta ſpecies inconcoctionis, à noſtris proprie inquinatio, incipit calor concoquere, ſed non poteſt poſtea ad terminum concoctionis peruenire, dimittit imperfectã, hæc eſt inquinatio. Conſideramus ergo tempora morbi penes coctionem, & cruditatem, ut cognoſcamus morbi naturam, tertio conſideramus naturam morbi penes motum ipſius, non eodem modo omnes mouentur ad declinationem, & ad terminum ſuum: quidam ſunt uelociſsimi motus, ut cum primum inceperint, ſtatim uideantur deficere, & terminari: quidam tarde mouentur. Dicebamus ſupe-

rius quod illi qui cito, & uelociter mouentur sunt ij, qui à Græcis dicuntur ὀλιγόχρονοι, quasi dicas pauci temporis, & citi motus: Qui uero tarde χρόνικοι ab eisdem, à nostris quoq; chronici appellantur, quasi multi temporis, et longi motus, tarde terminantur: cõsiderabitis ergo motum morbi, ut sciatis; quando terminaturus sit, cito, an tarde, nunquid sit ὀλιγόχρονος, an uero chronicus, quoniã secundum tarditatem, & breuitatem morbi habemus occasionem ad dirigendam uictus rationem, & ad exhibendas medicinas, occasio præceps est, ut ait Hipp. ergo speculari oportet occasionem, ne transeat inconsideratè, ut nihil postea agere poßitis, aliam rationẽ uictus instituitis in his, qui cito terminantur, & alio tempore exhibetis pharmaca, sanguinem mittitis in acutis, qui uelocißime terminantur, & aliter proceditis in longis, in acutis in principio statim datur uobis occasio ad operandum, quæ occasio si præterierit forsan non dabitur amplius intentio, ita contemplemini quo ad motum tarditatem, uel breuitatem ipsius morbi: quarto & ultimo oportet quod uideatis mores ipsius morbi, & tunc perfecte habebitis morbi naturam: mores intelligo penes accidentia, num accidentia sint mitia, & benigna; an uero sæua, & timenda? quandoquidẽ si benigna, & mitia fuerint accidentia, morbus etiam indicatur esse benignus non mortalis, ad salutem terminabitur non ad mortem, & hi dicuntur morbi bonorum morum, & bonæ naturæ, ut homo bonæ naturæ, uel malæ, habens bonitatem, uel malitiam dicebat Aristot. Contrà sunt aliqui morbi cum accidentibus sæuis, malignis, et detesta-

testabilibus,qui proprie à Græcis dicuntur κακοηθεῖς ma læ naturæ,& malorum morum, quoniam habent malitiam,& sunt cum periculo uitæ,ne ad mortem terminentur,& morbi acuti maligni, qui cito terminantur, & ad mortem sæpe terminantur,hi sunt malorum morum, & accidentium,cum sæuißimis symptomatibus: considerabitis autem mores tanto diligentius, quanto magis faciunt & ad curationem, & ad prognosticum, sed præcipue ad prognosticum,si fuerint maligni cum sæuis accidentibus,periculosi,iudicabitis fore mortem,ut in acutis quando ægritudines cito mouentur, & habent deterrima symptomata prædicetis futuram mortem: si uero benigni sint morbi, et uacēt omni periculo uitæ cum benignis accidēti bus dicetis iste saluabitur,& ita maxime, & principaliter mores morbi uos conducent ad prognosticum recte proferendum: Secundo etiam ad curationem,cum sciueritis ægritudinem salubrem, uel insalubrem scietis quomodo uobis sit procedendum, & nunquid operandum, necne? ista sunt habenda à uobis,ut curationem dirigere poßitis. Quando itaque consideraueritis ingreßi ad ægrotum ista quatuor essentiam inquam morbi penes causas,& intrinsecas materiam & formam,& extrinsecas efficientes: tempora morbi, in quo tempore sit quando estis uocati,num in principio,uel augmento, &c. motū, an citi motus, acuti,uel tardi chronici: & mores, utrum ægritudo mores benignos habeat, an malignos? tunc uere habebitis,& cognoscetis naturam morbi, in qua consistit tota ratio curationis,natura ægritudinis est illa,quæ

per indicationes proprias diriget uos in curationẽ, uidete quàm breuiter poteſtis diſcere curationẽ: idcirco ars non eſt longa, ut male, & falſo nonnulli opinati ſunt, artem intelligo habitum artis, ſi modo per methodum, & ueram rationem addiſcatur: longa eſt his, qui non diſcũt eam cum artificio, & methodo: ſed ſi per methodum pro ceſſeritis, breuißime acquiritur, Vos uidetis, per hæc qua tuor ut methodo docui poteſtis ad curationem deſcendere, Quid enim aliud eſt methodus, obſecro uos, quàm habitus, & uia breuis cum ratione totam ſcientiam, uel Artem adipiſcendi, ut aliàs diſtincte ex profeſſo docuimus: Nugæ ſunt longæ, pura & mera ueritas cum ratione bre uißima, Ego doceo uos ueritatem, et methodum inſtituo. igitur ſi recte animaduerteritis multum hoc anno proficietis, & euadetis perfectißimi medici: Ad rem: hæc qua tuor circa ægrum primo ſpeculemini, deinde indicationes curatiuas eliciatis: ſed quia non ſemper manifeſta ſunt & nota, ut ſenſui obijciantur, latent, & ſunt occulta oportet à poſteriori per effectus deuenire in cognitionem ipſorum: ergo indicia ſunt à uobis inquirenda, indicia haberi non poſſunt, niſi locos conſtituatis, à quibus eliciatis omnia, quæ poſſunt indicare uobis naturam morbi, & quatuor in quibus conſiſtit natura morbi, locos appello ea, à quibus uniuerſaliter ut fundamentis ſigna eliciuntur, quemadmodum dicunt Dialectici, qui ſibi conſtituunt locos argumentorum, quos conſtituerint facile poſſunt in quacunque materia erigere argumenta, & formas argu mentorum, ut fecit Ariſt. in libris Topicorum, qui adeo

la-

laborauit, & tanta usus est diligentia, ut consumpserit octo integros libros Topicos in statuendis locis argumentorum, & ea quærens, quæ attinent ad rationem recte loquendi, & argumentandi: quanto magis uos debetis hoc facere? quomodo non debemus quærere, & omni studio, ac diligentia statuere locos, e quibus indicia sumamus ad cognoscendam naturam morbi, ut curemus, & demus uitam homini? Oportet igitur habere locos & fontes omnium signorum indicantium morbum: Hi fontes sunt in duplici differentia: primo alij sunt intrinseci, alii uero extrinseci, à quibus non sumuntnr uera signa morbum statim indicantia: intrinseci sunt actiones læsæ, quæ immediate prouentu primo à morbo dependent, hæc non sunt mea, non sunt chymeræ meæ, horum fuit autor omnium bonorum Gal. in Arte medica, à quo nunquam discedo, et cui idem sum, pater meus Gal. & ego unum sumus: Qui docet hoc in secundo de locis affectis, licet non ita distincte, nec ita exacte, sicut nos docemus, non tamen aliquid meũ est, sed Gal. omnia: Nam et si ibi omnia non doceat, alibi aliquid aliud tradidit, quod additum isti totum complet tractatum, habet hoc proprium Gal. ut omnia distincte doceat in omnibus suis libris, diminute non perfecte, non distincte, imò tantum libro in unoquoque seorsum diminutus, & confusus, in omnibus simul, & perfectus, & distinctißimus, & huius causam reddidit Gal. ipse, quoniam nunquam scripsit librum, ut in lucem ederet tanquã completum, & ut scriberet posteris; sed quæcunque scripsit, scripsit ad preces amicorum, qui petebant à Gal. pro

priam

priam aliquam materiam, rogatus ſcribebat ea, quæ petiſſent, hac de cauſa non poterit in uno libro inſiſtere, ut doceret ſingula problemata & theoremata complete, unus uolebat procul proficiſci requirebat à Gal. librum puta de ſectione partiũ humani corporis, ſcribebat quod ad petitionem attinere uidebatur, ſi quid poſtea obiter incideret diſputatum non diſputabat præter expectationẽ illius amici; Alius de interioribus, & ſic de alijs, nõ ſcripſit librum, in quo omnia exacte doceret, uideatis in tertio libro Epid. commentatione ſecunda ſtatim in principio: Nos uero qui omnes Gal. libros, qui ad manus noſtras peruenerunt legimus, hinc inde collegimus, & unum completum confecimus, ex quo doctrina noſtra eſt multa diſtinctior, & exactior, quàm quæ à Gal. habetur, hoc plus addimus. Redeundo itaque ad propoſitum dicimus quod fontes intrinſeci ſignorum omnium morbum ſignificantium ex ſententia Gal. in illo ſecundo de locis affectis ſunt quinque numero: primus eſt actio læſa, quæ cum primo, & per ſe à morbo dependeat, immediate quoque & per ſe morbum ſignificat: Quamuis oſtendat etiam locum affectum ſecundario, ut poſtea uidebitis in particularibus, quando uerſabimur in praxi, & practicabimus hunc ægrum: Secundus fons ſunt exeuntia extra humanum corpus præter naturam, & immutata, ut ſunt urinæ præter naturam, feces alui, ſudores & conſimilia corporis excrementa: Quæ excernuntur à corpore uel ſunt naturalia, uel præter naturam, non naturalia à quibus ſumuntur indicia morbi, quia præter naturam
ſunt

ſunt dicuntur exeuntia mutata: Tertius fons eſt dolor, qui apparet in aliqua parte corporis, ubi eſt indicat morbum, ubi dolor ibi ægritudo, dicunt noſtri medici, et non modo dolor indicat locum affectum, uerum etiam morbi magnitudinem, ſi magnus dolor, magnus eſt morbus, ſi paruus, paruus, ex differentijs doloris cognoſcetis etiam uarias materias morborum, hoc clare uidebimus, quando tractabitur caſus particulares: Quartus cum fuerint tumores in aliqua parte corporis, indicant eſſe ægritudinē in ea parte, ubi eſt tumor, ibi eſt ægritudo: Quintus & ultimus ſunt quædam accidentia propria, quæ conſequuntur morbum, ſicut umbra ſequitur corpus; Tußis conſequitur ægritudinem exiſtentem in membris ſpiritualibus, ubi materia in thorace fuerit collecta ſtimulat uirtutem, & inſequitur tußis: Tußis enim nihil eſt aliud, quàm motus uehementißimus partium ſpiritualium inſtitutus & factus à natura, ut expellat nocumentum in illis exiſtens. ubi igitur tußis eſt, ibi ægritudo eſt in thorace, & partibus ſpiritualibus: iſte eſt ultimus fons ſignorum accidentia propria conſequentia morbum non exeuntia, nō actiones læſæ, iſta accidentia uel ſunt perpetuò conſequentia & ſubſequentia, uel ſunt præcedentia, de quibus alias diſtinctam tradidi methodum, hic non eſt locus, nunc modo oportet accedere ad magis neceſſaria, & ad rem noſtram uergentia. Oportet omnia iſta contemplari, ut bonum habitum habeatis, quo poſtea ad particularia curanda poßitis accedere. Et certe uolo libere loqui; ſæpius, ac ſæpius miratus ſum, quod uos uiderim tam cito ire

in praxin, ut uulgo dicunt ſine habitu iſto, ut adhuc nihil ſitis ſpeculati, Neſcio qui medici futuri ſitis, ſi ſtatim uolueritis ſequi medicos ad particularia, non habentes bonũ habitum ſpeculatiuum, quo omnia, quæ dicimus conſideretis, uellem ut prius habitum ſcientiæ addiceretis, deinde exiretis ad operationem, quia ſi male in principio didiceritis operari, non poteritis aliter operari, & cũ in principio ignari Artis ad praxin accedatis, diſcitis ſine ratione curare, cum eritis prouecti etiam ſi uelletis non poteritis poſtea rationaliter medicari: Nam oportet habere bona principia: Cytharœdus bene cytharizando cytharã fit bonus citharœdus, male cytharizando fit malus cytharœdus, ita ſi habebitis mala principia ad operandum, mali & irrationabiles euadetis medici: Si uero primo acquiretis bonum habitum, ut doceo uos, ex habitu acceſſeritis ad opus, non deſpero quin aliquando maximi medici euadatis. non accedatis igitur tam cito ad ea particularia: diſcite ſcientiam, & modũ operandi prius, poteritis poſteà deuenire ad operandum. Abſurdum eſt etenim, ut dicit Ariſt. ſimul quærere ſcientiam, & modum ſciendi, ita abſurdum eſt ſimul quærere operationem, & modum operandi. Hæc ſunt conſideranda antequam ad curandũ Philiſcum accedatis, ut habitum in mente uniuerſalem habeatis, & ſciatis penes quæ attenditur natura morbi, et fontes, à quibus indicia ſumuntur, cum hoc habitu poſteà acceditis ad ueſtrum ægrum; & ſpeculamini circa corpus contingentia, & inquiritis, ut per ſigna omnia collecta deueniatis in cognitionem morbi, quem uultis remouere:

Se-

Secundum ergo quod facitis contemplamini signa: signa haberi possunt partim ex præsentibus accidentibus, quæ apparent, & ex relatione astantium amicorum, partim ex his, quæ quotidie, & singulis diebus emergunt, quando uisitatis ægrum: neque enim primo die statim cognoscitis morbi naturam, ut in prima uisitatione sciatis quid agendum, nec in secundo etiam die potestis distinctè scire quisnam sit iste morbus: in tertio nisi cognoueritis ipsum non eritis medici: Sed ignari, & uulgares asini, ut inquit Gal. qui in tertio, uel primo Therap. dicit, in prima uisitatione ægritudinem cognoscere est hominis prudentissimi, maxime in his, quos ante non noueramus, quia plerunque ad curandos peregrinantes necamur cũ quibus non fuimus uersati: in secunda est medici docti, qui obseruans præsentia, & ea, quæ antecesserunt cognoscit talem esse ægritudinem: si quis expectet tertiam, et permittat transire tertiam non cognoscens morbi naturam is non amplius medicus est, sed asinus, qui per tot dies ex signis apparentibus non potuit comprehendere quo morbo laboret, is est asinus, inquit Gal. Quare uolo inferre quod præter accidentia, quæ in prima apparent potestis usque ad tertiam expectare, & considerare symptomata uisitando ægrotum quotidie, & ex his considerare naturam morbi: Cognita natura morbi per contemplationem omnium signorum apparentium accedatis ad tertiũ propositum, & pronunciatis uestrum prognosticum. Hic cognoscuntur & distinguuntur medici docti ab indoctis, & imperitis, hoc est totum in quo cognoscitur uera do-

ctrina, & artificium medici, non in remedijs applicandis: periti & imperiti utuntur eodem oximelle, eisdem syrupis, eædem sunt utrorumque medicinæ, ita periti curant, sicut imperiti, & ita his fœliciter succedunt auxilia, sicut & illis, imò uidetur hoc his esse institutum, ut à fortuna magis adiuuentur, quàm docti uiri. Fortuna potius fauet temerarijs, & ignaris, quàm sapientibus, propterea in curatione dirigenda non distinguetur medicus doctus ab imperito quomodocunque fiat, uel rationabiliter, uel casu, & Fortuna: quandoque melius curat ignarus, nõ est fidendum in hoc: in prognostico uere cognoscitur doctus ab indocto, & ignaro, non in euentu rei, non est aliquis ignarus, qui calleat artem prognosticandi. ergo omnis, qui recte scit prognosticari, & præuidere futura hic uere doctus, & diuinus medicus est existimandus. ideo si uultis esse inter maximos, & peritos medicos oportet, ut sitis exercitati in Arte prognosticandi, etiam si recte curaueritis morbum fœlicissime sanaueritis ægrum, non propterea eritis docti medici, quoniam & imperiti habent remedia, accedunt ad libros, & inueniunt auxilia, sicut uos secundum rationem procedentes, prognosticum accedens distinguit & hoc quidem doctos existimari facit, illos uero indoctos, propter quam causam Hip. in primo prognosticorum dixit oportere medicum esse exercitatum in prognosticis, & se de his diligenter conscribere: Dicit enim Hip. duabus de causis potissimum studendum esse huic libro prognosticorum, tum ut medicus uideatur hominibus doctus, & peritus; ipsum futura prædi-

dicentem, ut diuinum habebunt, amabunt, & uenerabuntur: si ita euentus respondebit uerbis medici, quid magis, de ipso bene persuadentur, & famam cum pecunia, & lucro acquirunt: sin minus culpa uacabunt, prognostico praemisso quicquid contingat semper culpa uacabunt: Nam si per casum praedixerint aegrum moriturum, & moriatur, non damnantur, amici ascribunt, & ita putant euentum aut morbo, qui malignus erat, aut aegro, aut astantibus, aut fortunae: si curatur, quanto magis existimabitur medicus? utpote qui moriturum à morte eripuerit, & liberauerit, idem spem infirmo, & alijs pollicetur, ut quotiescunque aegrotauerint, uocent ipsum, ita semper prognostico, & à culpa liberatur, & doctus hominibus existimatur: Praemisso prognostico quo seruat honorem proprium medicus, deinde ad curationem morbi se accingit, indicationes erigit, & remedia putat, quibus applicitis incipit operari. primo ergo debetis & uos habere habitum illum in mente, antequàm accedatis ad patientem: secundo cum hoc habitu speculari, quae sunt circa ipsum speculanda: tertio prognosticari: quarto & ultimo aggredi curationem: si in his quatuor exercitati fueritis, eritis proculdubio optimi medici. His fundamentis praesuppositis, & praemissis accedamus nunc ad nostrum Philiscum, ut particularia ita se habere cognoscatis ordine, & methodo ista proposita uersemur circa hunc aegrum. Dico ergo quod Philiscus, quem inuisit Hipp. & nos simul cum Hippoc. ita supponatis, per sex dies sequitur, per ea, quae uisa sunt accidisse; quod laborauerit febre pestilenti acuta, maligna, & con-

tinua;quod esset continua non est dubitandum, licet exacerbationes habuerit in paribus diebus, necessariò debuit esse continua, quia cum esset febris pestilens, maligna, acuta non poterat aliter esse, quàm continua, non fuisset acuta, nisi & continua, non maligna, neque pestilens: quare dicendum quod esset continua, hoc declarauimus aliàs, quo modo necessariò ad ea prædicata febris sequitur, & istud quod sit continua, si acuta, ut fuit. Dixit Hippoc. in primo die inuasit Philiscum febris acuta: acuta inquam, & continua pestilens. ergo maligna: uidistis habuisse peßimos mores, & sæuissima accidentia: pestilens quòd putrescebant humores in corde contenti, alioqui febris pestilens non fuißet, de ratione formali pestilentis est ut summa putredo corripiat humores, qui sunt in corde, licet quidam homines falsò existimant fieri febres pestilētes sine putredine humorū, imaginanturq; esse qualitatem quandam uenenosam, quæ imprimitur cordi, hoc falsum est, & alias probauimus rationibus euidentißimis non posse dari febrem pestilentem, nisi humores in corde putreant, imò hæc est illarum formalis, & essentialis differentia, quod uobis ostendebat Gal. quem ut in alijs, in hoc quoque imitamur in primo de febrium differentijs, inquit formaliter loquens de febribus pestilentibus: summa febrium pestilentium est putrefactio: quandoquidem febres pestilentes sunt germina putredinis: putredo autem est in humoribus in massa omnium humorum in corde, hoc alias declarauimus. ideo erat febris maligna statuta tanta putredine in fonte, & principio uitæ, hoc non habent febres putridæ, in quibus

non

non putreſcit tota ſimul maſſa ſanguinis, ſed aliquis humor particularis in uenis, uel extra uenas: maſſa uerò ſanguinis à natura ſeruatur, ut corpus nutriatur, & uita nõ deperdatur: Sed cum aliquid præter naturam accedit ad maſſam ſanguinis, putrefacit totum ſanguinem, & omnes ſimul humores, ita fit febris peſtilens: hinc eſt quod putreſcente alimento omnes uirtutes decumbunt in peſtilentibus, & ſunt febres omnium peßimæ: hæc nunc ita ſupponantur, quæ alibi docuimus per principia diſtinctißime, ut digito, & manu fecerim hoc tangi. Erat febris peſtilens: ergo humores putreſcebant, qualis humor erit, qui in Philiſco putreſcebat? Audiuiſtis, quod erat humor craſſus bilioſus; putreſcebat intra uenas cholera craſſa, uitellina propriè dicta tam apud Græcos, q̃ apud Arabas; eodẽ nomine ſemper dicitur uitellina à ſimilitudine, quam habet cum uitellis ouorum, & in colore, & in ſubſtantia. Quamuis in re ipſa differant, cum Græci unam tantum ſpeciem bilis uitellinæ eſſe dicant, quam uolunt fieri per aduſtionem bilis flauæ naturalis: Arabes uero præter hãc ſpeciem aliam addant, & dicant bilem uitellinam duobus modis generari, uno modo per aduſtionem humoris tenuis, & craßi, pituitæ, & bilis naturalis, ex quorum commiſtione oritur quidam medius humor, & dicitur bilis uitellina: alio modo fit non per admiſtionem, ſed per aduſtionem bilis naturalis, reſolutis partibus tenuioribus à calore adurente remanent craſſæ, & ita bilis craſſa efficitur: & ſicut diuerſo modo fiunt, ita uoluerunt nominibus eas terminare, appellaruntq; illam, quæ ex admiſtione hu

moris pituitosi cum bilioso ortum habet, bilem uel choleram, ut ipsi dicunt maioris famæ, reliquam uerò speciem Græcorum, quæ uerè fit per adustionem à calore potentiori, Auicenna, & omnes cum eo Arabes uocarunt choleram uitellinam minoris famæ, ut per hoc, quod dico maioris famæ, & minoris famæ distinguerent duas species choleræ uitellinæ, & eam, quæ per admistionem, & illam, quæ per adustionem. Dico ergo quod in hoc uiro laborante febre pestilenti putrescebat humor biliosus crassus, idest, cholera uitellina tum quæ per admistionem pituitæ ab Auic. dicta maioris famæ, tum quæ per adustionem, minoris famæ. ergo hic erat duplex putredo à prædominio superantibus duobus his humoribus, erat inquam putredo, & in ea, quæ fit per admistionem pituitæ cum flaua bili, & in ea, quæ adusta fuerat à calore: Erat ægritudo in Philisco febris acuta, pestilens, maligna, & continua facta ex humoribus putrescentibus intra uenas, & in arce caloris, ac uitæ. Humores à prædominio duo, partim bilis uitellina putrescebat per adustionem à calore generata, partim per adustionem pituitæ putrefactæ: ex qua et bilis flaua putrescebat: ista erat febris, hæc erat materia, ut statim ostendemus per signa consequentia. Cum hac totius corporis ægritudine erat alia particularis ægritudo coniuncta in liene, uidistis in textu habuisse inflammationem in hypochondrio sinistro, in liene, quæ erat figuræ rotundæ, ista inflammatio ab eodem humore, ab eademq; materia dependet, a qua dependebat & uniuersalis morbus ab humore crasso, bilioso, calidoq;: ita considerata est

à no-

à nobis essentia morbi huius secundum ordinem propositum. Essentia talis est: Febris pestilens cum inflammatione in uiscere nobili existente; his laborabat Philiscus: Vidistis causas, per quas cognoscitur essentia morbi, & primo intrinsecas, rationem inquam formalem, quæ erat febris pestilens cum summa putredine, & inflammatio in uiscere, & materiam, quæ eadem erat & morbi uniuersalis, te particularis, oportet modo ipsam cõsiderare quoad causas extrinsecas efficientes inquam, sunt istæ aut antecedentes corporeæ, aut primitiuæ. Quantum ad efficientes corporeas, & antecedentes dico quod erat ille idem humor biliosus, crassus, à quo efficiebatur continuè ægritudo, qui nisi superabundasset in corpore Philisci forte non incidisset in hanc febrem pestilentem etiam in tam peßima constitutione, si non est modo in corpore non potest morbus ab extrinsecis causari: ideo bene dixit Gal. in primo de diff. feb. ubi agit de pestilentibus, quod corpora pura, & uacua prauis humoribus in constitutione pestilentiali non corripiuntur putredine, non facile a peste inficiuntur, nisi sit tanta putredo, ut habeat rationem ueneni, & statim suffocet homines, alioqui nisi hoc uerum esset sequeretur inquit Gale. quod omnes in pestilentijs laborarent, & omnes morerentur: hoc autem falsum, quia uidemus multos saluari, qui non habent seminaria putredinis intra corpus, & habent intrinsecam resistentiam, illi uerò qui congregarunt multas superfluitates, humores malos, & parati sunt ad recipiendam impreßionem putredinis statim cadunt in pestem, & quanto magis humores illorum

accedebant ad putredinem, tantò citius moriuntur: inter agens omne naturale, & patiens debet esse debita proportio, quia omne agens agit in passo & subiecto disposito ad recipiendam actionem illius agentis. ergo ubi corpora dispositionem non habuerint ad recipiendam putredinem, munda fuerint ab omni superflua humiditate, resistunt putrefacientibus causis, inde in pestilentijs uel nihil, uel minimum mali sentiunt, si materia & passum non recipit parum inter est quod agens aptum sit ad agendum; sed si passum sit præparatum, & consentiens in symbolismo cum agente à quacunque eius etiam infirma impreßione alteratur, propterea quanto magis corpora consenserint cũ causis putrefacientibus, tanto facilius putredine inficiuntur, quanto contraria fuerint & magis restiterint, tanto difficilius recipiunt actionem illarum causarum: hoc ex fundamentis philosophorum manifestum est, oportet semper passum esse proportionatum agenti, & contrà, alioqui quanto fuerint magis inter se disproportionata, tanto minus sequetur actio. hoc habito ex sententia Gal. in hoc uiro erat dispositio ad putredinem recipiendam, ut si accessisset causa aliqua facillime putredinẽ induxisset, erat plurima materia, multi purulenti, & praui humores ex mala ratione uictus congregati, qui se habent sub ratione causæ efficientis intrinsecæ corporeæ: erat secundo causa efficiens omnino extrinseca, ambiens aer. sciuistis differentiam inter has causas; humor biliosus crassus multiplicatus erat causa efficiens extrinseca, ut de ratione formali efficientis est, idest, extra naturam, & essentiam morbi, intrinse-

ſeca tamen quia corporea; in corpore collectus fuerat: Aer poſtea ambiens erat cauſa efficiens extrinſeca & quo ad morbum, & quoad corpus, nec in morbi eſſentia, nec in corpore: ſuppoſita igitur præparatione exparte paßi, quæ erat in Phyliſco, ideſt, materia, cauſa efficiente, quæ non eſt ex principijs conſtituentibus eßentiam morbi, tamen intra corpus, & intra uenas corporis ſi acceßiſſet, cauſa occaſioq́; extrinſeca facillime excitaſſet putredinem in Philiſco & conſequenter febrem: Acceßit & hæc cauſa omnino extrinſeca procatarctica, ſiue primitiua: ideo uidete quod neceſſariò corripiendus erat à morbo, & febre maligna, iſta occaſio fuit aer ex primis, & præcipuis primitiuis putridus, corruptus, & omnino extra naturalem conſtitutionem. Audiuiſtis quomodo præceſſerat illa tertia conſtitutio aeris tam peßima in Thaſo inſula; oſtendimus quod in illa Philiſcus ægrotauit, qualis autem eſſet, & quam præter naturam conſtitutio Hippoc. enarrauit in primo libro hoc Epid. in prima ſectione, & nos uobis recenſuimus; Audiuiſtis, & poteſtis uidere apud Hipp. quod omnium fuit peßima inter eas, quas memorauit, durauit per annum, & dimidiũ. primo dixit Hippocr. quod fuit conſtitutio ueris frigida ab Arcturo per hyemem uſquead æquinoctium uernum per dimidium annum, uel paulo plus, ideſt, à principio Septembris uſque ad 12. uel 13. diem Menſis Martij, Aquilones ſpirabant, poſtea uſquead canem Aquilonijs ſpirantibus non defierunt frigora, ita ut perpetuo, ſi aduertatis, fuit tempeſtas frigida, ſed in qualitatibus modo paßiuis erat inæqualis,

do humida, ut in autumno, in quo fuerũt plurimæ magnæ, Austrinæ pluuiæ: hyems Aquilonius, calida, siccaq;: iterũ pluuiæ redierunt modo squalores, modo pluuiæ, cum in autumno præceßissent pluuiæ multæ austrinæ. ideo in hyeme, ut bene notauit Gale. dicente Hipp. in textu, fuerunt multæ ægritudines, plurimi ægrotabant, non poterant expectare æstatem, plurimi fiebant paraplectici, paralytici, resoluebantur alij propter plurimam crassam humiditatem, quæ impressa fuerit à pluuioso, & Austrino nebuloso uere, non poterant amplius expectare cum antea etiã fuissent repleta addita humiditate necessariò in morbos frigidos hyemales incidebant, nondum tamen fiebant ægritudines epidemicæ ex putredine à multa, intensaq; frigiditate aeris, multæ aliæ ægritudines oriebantur, quæ productæ erant ab hac constitutione, ut bene dicit Hipp. idcirco constitutio erat maligna, Fuit epidemica cum iam incepit æstas congregata erant multa excrementa humida, & crassa, post canem æstus maximi uehementißimi, in autumno aer Austrinus pluuiosus, humidißimus. uidete quomodo ex parte aeris fuit tempestas epidemica, & pestilens in his æstibus homines suffocabantur, humores colliquabantur, & maxima erat occasio aer ad putredinem causandã. His ita præcedentibus necessarium fuit, ut hi, qui plurimis humoribus, sicut ferè omnes tum ex aere, tum ex ratione mala uictus redundabant à putredine corriperentur, erat causa extrinseca maxima, si subiecta corpora, et passa ipsa erãt disposita de neceßitate febre pestilẽti corripiebãtur, hinc fuerunt ægritudines æpidemicæ, & uagata est pestis

sæuißima, nõ poterãt euadere, erat agẽs proportionatũ, potẽs, paßũ, et subiectum ipsum præparatũ: ergo actio debebat inde procedere, quid peius poterat esse ad putredinẽ producendam? æstus maximi, postea humidus aer austrinus, & pluuiosus. Audiuistis quemadmodum tempora humida maximam occasionem præbent, ut homines incidant in febres putridas, quod per rationem ostendi non tantũ potesse, uerum etiam ex autoritate: Gal. enim in tertio libro Epid. clarißime hoc aperiebat: Quando aer humidus est, & crassus consequenter, cum necessarius sit cuilibet animanti ad euentandum calorem innatum, ne suffocetur, attrahitur ad pulmones, & ad cor ipsum per anhelitum, & respirationem, ac totius transpirationem: obstruxit meatus corporis, et spiritus fiunt nebulosi, craßi, obscuri. Diximus spiritus generari, & nutriri ex aere, ut proprio alimento: ergo qualis aer, talis spiritus, aer qui attrahitur crassus, & tenebrosus existit. igitur et spiritus obtenebrescunt, & obscurantur: si spiritus nebulosi, & obscuri sint, omnes operationes fiunt segniores, debilitantur uirtutes: unde homines in omnibus sunt pigri, ignaui in motu, in sensu, & in quacunque actione naturali, & uitali, aggregantur multi humores crudi, excrementitijq́; aggregatis humoribus, & factis in toto ambitu corporis obstructionibus calor euentari non potest, suffocatur, & mutatur ad igneum cum multis humiditatibus existens causat putredinem, quæ maxime fit à calore debili in humido superabundante, ad putredinem postea sequuntur ægritudines, & febres, & ægritudines quidẽ

malignæ ſecundum modum putredinis, ſi intenſa & ſumma in gradu fiat putredo ſequitur febris peſtilens, et peſtis uniuerſalis cum ad ſummum peruenerit. Hæc fuit cauſa extrinſeca putredinis, conſtitutio aeris peſtilentialis, quæ inueniens corpus Philiſci præparatum ad recipiendam eius impreßionem facile potuit excitare febrem malignam, & peſtilentem, diſpoſitus fuerat actione malarum qualitatum præcedentium in aere: Hactenus habetis cauſas eſſentiales intrinſecas, & cauſas efficientes tam intrinſecas corpori, quàm extrinſecas huius ægritudinis: Videbitis nunc quomodo ex ſignis deprehendemus ægritudinem in hoc uiro naturam morbi, & propriam eius naturam, cuius eſſet temperaturæ, quod nō memorauit Hip. cuius ætatis, cuius uirtutis, ex firmißimis coniecturis oſtendam omnia iſta, licet nihil habeamus in textu, ex dictis tamen facile poſſumus qualia eſſent, deinde aggrediemur curationē, & ita res erit perfecta, tū ad alia deueniemus non minus utilia. Hic erit noſter progreſſus hoc anno: primo ſpeculabimur aliqua magis uniuerſalia deſcendentes ad minus uniuerſalia, ita ut etiam deueniamus ad particularia, in quibus uolo uos exercere.

Videbamus in ſuperiori explanatione, quæ conſideranda erant non tantum circa Philiſcum propoſitum ægrotum, ſed etiam circa omnes ægros, quos curare debet medicus. Dixi ſupponenda quædam eſſe, quæ ſunt tanquam habitus quidam in mente uniuerſalis, Cum ad curandum morbum uocatus fuerit medicus, antequam accedat

dat ad ægrum debet hoc præsupponere, ut eo animo ægrum curet, ut sanitatem inducat amissam postposita omni humana affectione, deinde cognoscere, & præscire naturam, uel essentiam ægritudinis, quam uult remouere accedens ad suum ægrotum bono habitu animi. Dixi naturam ægritudinis considerandam esse penes quatuor, in quibus consistit, penes essentiam, motum, tempora, et mores ipsius: ostendi quomodo ista quatuor cognoscantur per sua signa consequentia: & dedimus loca, & fontes signorum omnium, à quibus eliciuntur, & sumuntur singula indicia, in quibus est multum à uobis insudandum. Cœperam deinde declarare, qui essent fontes, & loci signorum: Dixi primo duplices esse: Alij sunt intrinseci, alij uero extrinseci, intrinsecos autem intelligo respectu morbi, & morbum respiciunt, extrinsecos uero respectu morbi quidem, non respectu corporis, licet sint in corpore, sunt tamen extra essentiam ipsius morbi, & signa quæ ab his sumuntur communia dicuntur, non propria, quoniam capiuntur à rebus extrinsecis communibus, quæ & causæ, & signi habent rationem, ut constitutio aeris, tempus anni, ætas, temperatura, aer, cibus et potus, somnus, & uigilia, accidentia animi, & reliqua huiusmodi. ista extrinseca maxime res non naturales, ut dicunt medici, plurimum faciunt ad cognoscendas ægritudines, et sunt simul causæ, & signa. ideo communia nuncupantur: primo quidem sunt causæ, quia ex aere, tempore anni, & reliquis extrinsecis solent produci uariæ ægritudines, plurimum faciunt ad procreandos morbos: præterea

sunt

ſunt & ſigna, quia cum uiderim conſtitutiones aeris, tempora anni, ſcimus in diuerſis diuerſa produci ſecundũ eorum naturam, iudicabimus talem potius ægritudinem eſſe quàm contrariam, Tempora anni, conſtitutiones aeris, ætates, & temperaturæ morbos producunt, ut ſunt in ſuis qualitatibus, quod ſit uerum legatis Hip. in toto tertio Aph. ubi de ægritudinibus, quæ originem trahunt ab extrinſecis pertractat; medici ſcientes hoc experientia, et ratione docti iudicabunt ægritudinem ſimilem eſſe eorum diſpoſitioni, uariæ & certæ ætates uarios & certos pariunt morbos, uariæq; diſpoſitiones aeris: antequã medici curationem morborum aggrediantur obſeruare prius debent omnia hæc, quæ licet communia ſint, poterunt tamen habere probabiles & ueras coniecturas, ſcientes prius, quam rationem habeant cauſarum, & quos producant morbos. Sunt ſigna, & cauſæ eo modo, quo dictũ eſt, extrinſecæ, licet quandoque poßint eſſe in corpore, ſunt extra eſſentiam morbi, ut aer, cibus & potus, & omnes ſex res nõ naturales, quæ ſunt concauſæ ægritudinum, ut poſtea patet diſcurrendo in particularibus, et ſigna quia indicant naturam morborum & ſunt communia, ſicut ſunt etiam alia in corpore, quæ extrinſeca dicuntur limitantia, & circunſtantiæ quædam, ut habitudines corporis, ætates temperaturæ, et cætera huiuſmodi: Ab his ſumuntur indicia communia, et coniecturæ probabiles, non immediate; ſed mediate indicantia: hic eſt primus fons extrinſecus ſignorum: Alter fons, et locus ſignorum eſt intrinſecus, ideſt, ſumitur à rebus intrinſecis ægri=

ægritudini, et in hoc ſunt quinque loci particulares, à qui bus eliciuntur immediate ſigna, dico quinque, quia nec plu res, nec plauciores inueniri poſſunt. et primo eſt actio læſa, quæ plurimum facere uidetur ad cognitionem ægri= tudinum, et ita facit, ut ſit ſignum neceſſarium, quia neceſ= ſario morbum conſequitur actio læſa immediate prouen tu primo, et principaliter à morbo dependet. ergo neceſ ſario morbum à quo dependet ſignificabit, ubi eſt actio læ ſa, ibi morbus, ubi morbus, ibi actio læſa: et argumentum neceſſarium à poſteriori concludens cauſam, ut quotie= ſcunque dicamus, hic eſt actio læſa: ergo hic eſt morbus qualis actio, talis morbus. à priori etiam tenet argumen tum, quia conuertuntur, ut cauſa propria, et effectus pecu liaris. actio læſa igitur eſt primus fons ſignorum, et prin cipalis, quia neceſſario conſequitur morbum, quem indi= cat, qualiter actio lædatur, et qualem ægritudinem conſe quatur, hoc alibi uidendum eſt, Nunc mihi ſatis eſt oſten diſſe locos uniuerſales: iſte eſt primus fons intrinſecus, qui primo et per ſe eſſentiam morbi ſignificat: ſecundus fons ſignorum proprius, et intrinſecus ſunt exeuntia .i. excrementa mutata, quæ à corpore excernũtur, ut eſt u= rina, ſudores, feces per ſeceſſum, ſputum, excrementum exiens per tußim, per nares mucus, per aures, et tandem omnia corporis excrementa uel uniuerſalia, uel particu= laria: quando uideritis aliqua iſtorum mutata à propria natura, et à ſtatu naturali iudicabitis morbum eſſe in cor pore, à quo immutatur, quale fuerit, talis ægritudo, quæ poſtea ſunt conſideranda in particularibus. Secundum

igi=

igitur fundamentum ſunt exeuntia mutata: Tertio uel tertius fons, uel ramus diuiſionis, à quo ſumuntur ſigna, eſt aliquis dolor in corpore, ubi dolor, ibi ægritudo dicunt iſti: Quartus eſt tumor apparens in aliqua parte corporis, ubi tumor, ibi aliquis morbus neceſſario: Quintus locus ſunt omnia accidentia propria, quæ conſequuntur morbum, et ſunt ea, quæ neceſſario conſequuntur ægritudinem, ut ubi ſunt iſta, ibi ægritudo, et ubi ægritudo, ibi accidentia propria, & dabamus hic, ſi meminiſtis exemplum in propoſito ſatis commodum, et oſtendentes uobis, quod intendebamus; ſi contingat tußis, per quã natura uellet expellere nocumentum à pectore, indicium eſt ægritudinem eſſe in thorace, & mẽbris ſpiritualibus: quia tußis conſequitur ad nocumentum earum partium, ut umbra ſequitur corpus. ideo eſt proprium accidens illius ægritudinis, quod ubicunque fuerit, læſionem in pectore ſignificat: iſta ſuperius declarauimus, non miremini, ſi repetamus nunc: quia utilia & neceſſaria in Arte non ſemel, ſed ſæpius ſunt repetenda, ut bene dicebat Galenus in ſecundo de criſi, uellem omnino, ut unusquiſqae me intelligeret: His præſuppoſitis ueluti ſufficienter declaratis uidimus, quæ eſſent ſpeculanda circa ægrũ, quando ad ipſum uocati acceditis primo die, & ſecundo, et tertio, & non modo, quæ uobis apparent debetis contemplari, ſed & ægrũ, & aßidentes interrogare, et percunctari quæ cõtingerint: ita enim medici ueniunt in cognitionẽ cauſarum, quas deinde ſpeculantur, & tandem ad operationem accedunt, medici habent rationem, et ratione utuntur:

tur: uidete semper faciunt syllogismum, atque propterea sunt boni Dialectici, non tantum medici, qui causas & signa considerant, deinde concludunt operationem, ut conclusionem, idest, terminantur ad operationem consideratis causis: & si operatio sit conclusio medici in syllogismo, ut bene etiam notauit Arist. & Auer. in septimo Metaphy. tamen primo causas speculatur, his cognitis sequitur postea operatio, & uadit ad actum operandi, ut ex causis inquisitis uideatur sequi actus operandi, conclusio propria. ergo & uos medici rationales debetis speculari primo signa omnia, & essentiam morbi per proprias causas, prædicere & præferre prognosticum, tandem concludere operationem, idest, accedere ad curationem, ita et remotio morbi optime succedet, & uos regulariter, & secundum Artem procedetis. habuistis, quæ sint speculanda: Quibus sic positis hactenus inuisimus nostrum Philiscum cum Hip. & quæ speculanda sunt considerauimus: Conclusimus ex symptomatibus, quæ contigerunt in Philisco fuisse febrem acutam pestilentem, malignam, continuam: causas considerauimus, & primo uidimus, quod materia fuit biliosa, à qua dependebat ista febris maligna, & erat bilis uitellina crassa, putrescens in uenis, & in corde, & hæc quidem erat duplex, tum per adustionem, tum per admistionem, erat multa bilis cum pituita permista, quæ cum putrefacta esset à calore igneo effecit febrē pestilentem, ista erat febris, & præter uniuersalem ægritudinem habuit quoque particularem inflammationem in liene, hoc dixit Hip. in textu, ostendimus quod tumor in

hypo-

hypochondrio ſiniſtro erat inflãmatio in ſplene, quæ pen debat ab eadem materia, bile inquam uitellina, & aduſta, & pituitæ permiſta, à qua & uniuerſalis totius corporis ægritudo cauſata fuit. Hæc concluſio fuit ſuperius explicata, ubi erat modo neceſſarium diſcurrere per ſigna, ut per diſcurſum ueris coniecturis deprehendamus ex his, quæ apparuerunt talem fuiſſe ægritudinem, & materiam ægritudinis, hoc nunc faciemus, diſcurremus, et uidebimus ita fuiſſe, ut ſigna demonſtrant, deinde breuibus prognoſticum, quod unuſquiſque poterat præuidere afferemus, tandem curationem aggrediemur, in qua magis elaborabimus. Quantum attinet ad primum quod fuerit febris oſtenditur ex proprio ſymptomate cognito, quod ſtatim febrem conſequitur, erat calor ad tactum maxime ſenſibilis, acris, & mordax: acutus qui intenſionem caloris innati ſignificat: unde bene Hip. dixit, in prima ſtatim die febris acuta inuaſit. quomodo apparuit? per tactum, calor erat ad tactum acutus, ideſt intenſus, & acris: ὀξὺς apud Græcos præter ſignificationes alias, ut pro præcipiti, & ueloci accipitur in eo ſignificatu, quo nos quoque Latini accipimus acutum, ideſt, acrem, ideo erat calor acutus, ideſt mordax: primo die apparuit calor acutus, acris, & mordax, erat ſignum conſequens febrem: nam ſi febris eſt neceſſario calor ad tactum intenſus, & mordax ſentitur, ſi erat calor mordax, fuit febris acuta. ecce habemus, quod fuit febris in genere, primo debetis conſiderare, in quacunque ægritudine, quam eſtis curaturi genus ægritudinis; deinde ad ſpeciem deſcendere uſq;
ad

ad ſpeciem ſpecialißimam, ita ſcietis optime eſſentiam illius. Habuimus quoad genus attinet, quod erat febris per proprium ſymptoma: conſideremus nunc ſpeciem ipſius, & uideamus quænam eſſet febris: Erat febris. qualis febris? Debetis ſcire quod febrium quædam ſunt ſimplices, ideſt, ſine affluxu materiæ, meræ, & ſimplices intemperies qualitatum, ut ephemera & hectica, iſtæ ſunt ſimplices intemperies ſine affluxu, & ſine putredine aliquorum humorum, febris hæc erat cum putredine, ut uiſum eſt, et melius declarabitur. ergo nec hectica, nec ephemera, neque in ſubſtantia corporis fixa erat, ſed in humoribus tantum: Quædam febres ſunt, quæ pendent ab aliquo humore, aliqua materia putreſcente, & hæ putridæ dicuntur: iſta erat aut putrida? aut non putrida? dico quod erat putrida habebat humorē putridum, à quo dependebat, &c. Hic proculdubio erat materia, & quidem multa, putrida intra uenas, ut oſtendunt ſymptomata, quæ ſucceſſerunt, omnia pondebant à materia, & illa quidem putrida: Erat aliud indicium maxime firmum febris putridæ, ſi Hippoc. conſideraſſet pulſum, illud fuiſſet nobis ſignum certißimum putredinis, poſuiſſet quod in hoc uiro pulſus erat in prima die inæqualis: ſed ut ſuperius admonui, Hip. nunquàm magni facit pulſum, neque illum conſiderat in ſuis ægrotis, ſi conſideraret nemini dubium, quod dixiſſet fuiſſe inæqualem, anhelitum tamen ſemper reſpicit. ideo ex anhelitu poſſumus coniectari pulſum apparuiſſe inæqualem, ſi pulſus inæqualis in primo die. ergo febris putrida à principio: declaro, pulſus inæqualis, ut dicit Auic. eſt pro

prium, & peculiare signum putridarum febrium, quibus & solis, & omnibus, & semper conuenit in quacunque febre putrida pulsus est inæqualis, quod non est symptoma aliarum: in hectica, & ephemera pulsus æqualis est, licet immutetur uelocitas, frequentia, & magnitudo, ut in ephemeris fiat magnus pulsus, frequens, uelox: in hecticis paruus, durus, frequens, nunquàm tamen mutatnr æqualitas, nisi in putridis. solis ergo putridis proprium est pulsum inæqualem inesse: ubi pulsus inæqualis, ibi febris putrida, hic erat pulsus inæqualis: ergo febris putrida, quod esset pulsus inæqualis, uerum est, quod non habemus ab Hipp. in textu, quia non considerat pulsum, tamen ex consequenti habemus, quod fuit inæqualis, uidistis quemadmodum considerauit anhelitum, & dixit fuisse inæqualem, rarum, & magnum: pulsus proportionatus respirationi, putetis quod dictum fuit ab Hipp. de anhelitu, id dictum quoque esse de pulsu, fuit pulsus inæqualis, & anhelitus inæqualis: & inæqualitas pulsus significat putridam febrem. igitur indicium manifestum fuit in principio morbi fuisse febrem putridam: habeatis hoc pro firma, & perpetua regula, in febribus quotiescunq; fuerit inæqualis pulsus, sunt febres putridæ, ad has proprie & semper sequitur. Si uellemus nunc egredi hic, & dare causas inæqualitatis in pulsu, nimis euagaremur, satis sit tetigisse hæc pauca, quantum attinebat ad casum Philisci non oportet omnia dicere in uno casu, dicemus de hoc etiam inferius in alijs casibus, ut in sileno, in eo casu præcipue dicemus de his secundum occasionem, ut omnia habeatis, non in eodem lo=

co, ſed in omnibus omnia, fuſius dabimus cauſas, & de hac inæqualitate loquemur, non recte; ſed tractando de anhelitu, quoniam de anhelitu tantum dicit Hippoc. in quibuſcunque caſibus nullibi de pulſu. Itaque febris erat putrida, quia pulſus in principio apparuit inæqualis, quod conijcitur ex anhelitus inæqualitate, qui, ut dicit Hipp. in calce textus ſemper fuit rarus, & magnus: hoc eſt primũ ſignum, ex quo poteſt conijci certiſsime fuiſſe febrem putridam: Anhelitus inquam & conſequenter puſus inæqualis: Sudores perpetuò frigidi ſecundum ſymptoma uniuerſale, & perpetuum. Sudabat frigida, & ſudor eſt ſymptoma putridarum febrium, per hoc ſignum ſecundum perpetuum poſſumus conijcere ſtatim laboraſſe febre putrida, habebat febrem ex putredine humorum. idcirco ſudauit: pro quo animaduertatis, quod ſudor ſequitur proprie ad febres putridas: in ephemeris, & in hecticis ſudor nullus eſt ex ſententia Gal. & hoc intelligo maxime in principio, ut dicit Gal. quia quandoque in fine, & declinatione ephemeræ apparet ſudor quidam mollis, & mitis, & tenuis: ſudor uero acris, & magnus, præſertim cum frigidus eſt non certè prouenit, niſi ex copia, & multitudine humorum putridorum. Ex ſudore frigido conijciatis putredinem humorum, à qua febris producitur, ſolæ putridæ ſudores habent in exacerbatione, hæc eſt ſententia Gal. & medicorum. Et ita hactenus habetis ex ſignis poſitis in textu, quod erat febris putrida: uolo ut per ſigna apparentia ueniamus in cognitionem ægritudinis. primo quantum ad genus extactu medici, qui percipiebat ca-

lorem acutum, mordacemq́; cognoscitur quod febris erat, quæ est caloris mutatio ad igneum, & acrimonia cum intensione qualitatis: quantum ad speciem, quod non solum febris, uerum etiam putrida ex anhelitu, ut dicit Hippoc. & pulsu tum ex sudore frigido manifestum est: ex his potestis iudicare Philiscum habere febrem putridam, & ista sunt signa uniuersalia, perpetuoq́; durantia à primo die usque ad mortem; sunt modo signa, & symptomata, quæ singulis diebus uidebantur: in sequentibus enim diebus apparuit urina nigra, fuerunt multa alia magna symptomata, ex quibus coniectura firmißima erat non modo febrem fuisse, sed putridam, & non tantum putridam, uerum putridam malignam, omnia mala, & lætalia symptomata. in primo die iudicatur febrem adesse & quidem putridam in Philisco ægroto: habetis & genus, & speciem generis. Tertio erat continua, ut dicebamus, in principio omnia deberent esse mitiora, ut inquit Hippocr. in eo Aphoris. circa principia, & fines omnia imbecilliora: cum uero consistunt fortiora, in principio semper incipiunt leuiora symptomata, & morbus mitior: increscunt, & fiunt sæuiora usque ad statum: in statu consistunt, & sunt in summo, & medici sperant, uel tristantur: si uident salubrem ægritudinem, & si maiora accidentia sint lætantur: sin lætalem, desperant de salute ægri. in hoc uiro oppositum fuit totum, statim in principio omnia symptomata fuerunt sæuißima, ægritudo peßima, & maligna, malorum morum; sudores exibant diaphoreticè, delirabat, inquietus manebat, omnia hæc significabant apertißime febrem conti-

nuam

nuam. ex quo in principio inceperunt apparere tam mala ſymptomata, & acuta febris non poterat eſſe, niſi continua: neque enim fuiſſet acuta ſi interpolata, & intermittens, non maligna, ut fuit, non ſæua & mortis indicia in primis diebus, omnis febris acuta continua eſt, & perpetuo affligit patientem: ſi acuta: ergo continua. quod fuerit acuta audiuiſtis Hippocr. in primo die inuaſit febris acuta: uidete quomodo omnia ſe conſequuntur ex ſymptomatibus malis in principio accidentibus peßima ægritudo, & acuta, & maligna: omnibus morbis peior eſt acutus: ſi maligna, ergo continua, id quod continuè afficit corpus eſt cauſa interitus, & mortis, ut dicunt etiam uulgares, quaſi quod nulla ſit febris maligna, quæ non ſit continua, ſi continua neceſſariò putreſcebant humores intra uenas. ſuppoſitum eſt fuiſſe putridam ex putredine humorum: ſi continua, ergo putredo erat in uenis. ſcitis ex ſententia Gal. & omnes medici in hoc conſentiunt, quod febris continua hac differentia diſtinguatur ab intermittente, quia continua fit ex putredine humorum intra uenas: intermittentes habent materiam putreſcentem extra uenas. ſi continua igitur putreſcebat materia in uenis: & aduertatis nunc loquor, & ita uerificatur dictum medicorum de his, quæ à principio incipiant acutæ continuæ, quæ propriè ſunt continuæ, non de his, quæ ex intermittentibus efficiuntur continuæ, dictæ continuæ per ſubingreſſum, & per ſubintrationem, de quibus alia ratio eſt, loquor de uerè continuis à principio: in hoc uiro certum eſt, quod uerè continua fuit febris, in primo die inuaſit acuta, & conti-

nua. materia itaque & humores putreſcebant intra ue-
nas, non extra uenas. Primo igitur die potuiſtis cognoſce
re in Philiſco non ſolum febrem, ſed eam & putridam
fuiſſe, & continuam, & malignam, & malorum morum:
quod ſit uerum, uideatis, eſt ſignum unum, quod non fallit
ſudor frigidus, in principio morbi non concocta materia
ſudauit ſudore frigido: ex ſudore patet fuiſſe putredinem
humorum. Sed nunc conſideramus hoc, quod dicimus: ſu-
dauit frigida non potuit eſſe, niſi maligna febris. Dicit Hip
pocr. uſque ad finem febris ſudauit, & ſudor incepit fri-
gidus eſſe in principio febris, & in principio paroxiſmi
diaphoreticé, non naturaliter, hic ſudor non tantum indi-
cabat multitudinem materiæ putreſcentis, quam non po-
tens natura regere, & gubernare dimittit exire ſympto-
maticé ſine aliqua retentione, & prohibitione, uel impedi-
mento, ſed etiam indicabat unum aliud penetralius mali-
gnitatem materiæ, & maximam febris malitiam: cuius rei
illud eſt ſignum, quod non apparet ſudor frigidus, niſi in
febribus malignis, & peſtilentibus: Quia cum ſit ſudor
frigidus non poteſt exire, niſi à corpore frigido: corpus
totum non eſt frigidum, dum uiuit ergo in eo aliquæ par
tes frigidæ ſunt, à quibus exit iſte ſudor frigidus: neque
enim poteſt frigidus exire à partibus corporis calidis, &
hoc eſt quod ponens in dubio Gal. dicebat in eo Aphoriſ.
quem ſupra citauimus. in quarta particula Aphor. Frigi-
di ſudoaes &c. Mirabile uidetur, quod febriente corpore,
& maxime efferueſcente in febre acuta frigidi ſudores
exeunt, quomodo poßibile eſt, ut calidißima ſint membra,
ex-

excrementum uerò quod exit frigidum? Non debet esse mirum hoc, non est incōueniens, quod & si intrinseca corporum sint maxime inflammata, & calidißima, frigidus tamen appareat sudor, quia sudor cum sit excrementum cutaneum, & partium extrinsecarum potest esse, quod incalescentibus partibus intrinsecis extrinsecæ frigidæ sint. et ideo ab illis exeat sudor frigidus. Dicit ergo Galen. argumentum concludere, sed non inconuenire in corpore febriente etiam febre acuta partes aliquas, ut extrinsecas refrigerari. à partibus autem frigidis exibit sudor, non à calidis, id quod contingit tantum in pestilenti febre, maligna, & peßima, ut dicit ibi Gal. in qua extrema corporis frigida sunt ardentibus partibus intrinsecus. Vnde bene in proposito Auic. dixit in prima quarti, in cap. de pestilentibus febribus: Et sunt febres pestilentiales, in quibus calor occultatur, interiora calent, exteriora uerò frigent. sudor proprie frigidus erit symptoma consequens febres malignas, & pestilentes, in quibus solum extrema, & partes extrinsecæ frigescunt. Habuistis ergo occasionem ab accidentibus, quæ in principio morbi contigerunt ad iudicandum, & cognoscendum non modo febrem fuisse putridam ex tactu, pulsu, & sudore, sed etiam continuam, quia acuta, malignamq́; & pestilentem ex sudore frigido, qui proprie in his febribus apparet, ista speculati estis accedentes ad patientem; ex quibus uenistis incognitionem essentiæ morbi, oportet modo, ut exerceamini, & iterum consideretis causas morbi essentiales, & extrinsecas efficientes ita totum recte intelligetis. Dictum est quod sit febris pesti=

stilens, in febre pestilenti sciuistis interiora calere, exteriora frigere per hoc symptoma facile poteritis cognoscere causam propriam pestilentis, Vbi prius uos certiores facio omnes nouos in hoc esse hallucinatos, qui nequiuerunt aliquid de hoc intelligere, & ita confusi sunt omnes, ut nihil penitus cognoscant de essentia, et causis huius febris, referunt nescio quid in uenenosam qualitatem, sed occultam, & secretam quasi uolentes ignorantiam occultare, est euasio & fuga. Si uolumus libere loqui, nullus adhuc sciuit causam pestilentis præter Gale. quem à nebula nos excitauimus, & clarum fecimus, ut non amplius dubium remanere poßit in mentibus hominum, dum uelint intelligere. Pestilens ex sententia Gal. in secundo de diff. feb. & in libro secundo de Prognosticatione expulsu, & in tertio Epid. non fit nisi ex summa putredine in humoribus cordis existēte. Quod ut intelligatis debetis notare, quod febris pestilens est species quædam putridarum: sola differentia discrepat, quoniam in pestilenti est intensißima, & summa putredo, in humoribus cordis: in putridis absolute est quidem putredo, sed remissa, & non in corde: cuius signum est, quod ut plurimum ex putrida simplici sequitur pestilens, nisi recte succurratur, cum in humoribus fit putredo ascendunt uapores fuliginosi putridi ad principium uitæ, ponūt humores ipsius in calefacto esse, et causatur febris putrida: Si ulterius duret putredo, & diutius perseuerent putridi uapores inficiunt etiam humores cordis, et putrefaciūt, putrefactis humoribus cordis fit febris pestilens: ex putrida fit pestilēs sæpius hac ratione, si re

ćte

cte nō curetur. ex tertiana ſimplici, aut alia quapiā febre conſimili putrida ſuccedit peſtilens, cum longe magis inua leſcat putredo, ita ut aggrediatur humores cordis, ſæpius contingit, quando medicus non curauerit ſecundum rationem, ignorantia medici tantum efficitur: quoties accidit? utinam non eſſet uerum, Negligentes remouere putredinem interficiunt ægros, quandoque propter ægrū ex inobedientia, quam præſtat medico, aliquando propter aeris conſtitutionem, & cœli ſtatum peſtilentem de ſimplici putrida fit peſtilens maligna: Exempli gratia: eſt nunc febris putrida intermittens ſimplex à putredine humorum extra uenas, puta bilis, medicus negligit remouere putredinem, uel quia æger non obediat, uel propter aerem peſtilentem, augetur putredo, & inuadit humorē bilioſum intra uenas alijs incolumibus remanentibus, ex intermittente fit continua, quod ſi diutius perduret, et ſemper augeatur, reliqui humores inficiuntur à putredine bilis, ita ut ſanguis putrefiat, & tota maſſa humorum permiſceatur, & perturbetur: corrupta maſſa ſanguinis putredo eſt in ſummo gradu, quo poßit eſſe: ergo peſtilens febris. uidete quomodo ſucceßiue mutatur de putrida in peſtilentem, quid non differunt genere? in putrida unus humor putreſcit, in peſtilenti aucta putredine, & cauſa putredinis omnes humores putrefiunt: eſt & ipſa putrida differens in gradu, & modo putredinis. ideo in peſtilentibus urina turbida uidetur, quia perturbatur tota maſſa humorum, quæ à prædominio dicitur maſſa ſanguinis, non unus tantum humor: perturbatis humori-

bus,turbidum etiam ſerum humorum neceſſariò, turbidaque eſſe debet urina. Sed non habetis totam differentiam,& ueram rationem,cur ſint frigidæ partes extrinſecæ corporis in febribus peſtilentibus,& ſudores idcirco frigidi exeant: habetis quidem,quod in genere eſt febris putrida,& quod fiat quando uapores eleuantur à maſſa tota ſanguinis putridi,& corrupti, qui aſcendentes ad cor inficiunt humores cordis,ex quorum putredine efficitur peſtilens: Sed hoc eſt nimis confuſum,& indiſtinctum: nec habemus per hoc ultimam, & ſpecialiſsimam differentiam,per quam ab alijs febribus apertiſsime diſtinguatur: habuiſtis quod ex putredine humorum, ultimus modus & diſtinctiſsimus characteriſmus, uera differentia,uerusq; character eſt, per quem non eſt ſolum putrida, ſed & à putrida ſimplici,& ab alia quacunque ſeparatur,eò quòd in putridis tantum humores à calore igneo præter naturam incaleſcunt,efferueſcuntq;, & ebulliunt,ex qua ebullitione putrefiunt, putrefactis humoribus aſcendunt uapores putridi corrupti ad cor, & miſcentur cum humoribus cordis,qui incaleſcentes inflammantur ex admiſtione illorum uaporum, & ponuntur, ut recẽtiores dicunt,in calefacto eſſe,inde ſequitur febris putrida ſimpliciter,& abſolute; ſi diu incaleſcant,& inflammentur cum ſit putrida ſimpliciter eleuantur continuè uapores putridi maligni ad cor,& miſti cum humoribus cordis nõ modo inflammant ipſos,ita ut incaleſcant, & ponantur incalefacto eſſe. Sed etiam putrefiant, non eſt amplius ſimpliciter putrida,ſed peſtilens maligna: in

illa tantum calidi præter modum erant, in hac putrescunt. Bene notetis differentiam, inficiuntur humores cordis, et maxima fit in corde putredo, quod est principium totius corporis ad uitam animalis constitutum: non est mirum postea si sequatur tam mala febris pestilens: hæc est uera forma, & differentia specifica pestilentis in summa, maxima putredo, & in summo gradu in humoribus cordis, in nulla alia febre est ista differentia: sed uni soli, semperque conuenit pestilenti, & posita hac differentia statim sequitur febris pestilens. Stante igitur tam sæuo morbo in corde, & summo periculo tanquam in principio caloris, & uitæ, ut dicebamus in superioribus si meministis, calor uult adiuuare, retrahitur ad suum principium, ut illi succurrat, & relinquit alia membra, imò & illa membra consentiunt, quia omnia conspirant inuicem, & maxime in suum unum principium, retracto calore, & in corde collecto necessario incalescebant interiora, exteriora uerò præsertim extrema relicta à calore frigent. unde bene dixerunt medici hac ratione in pestilentibus exteriora frigent, interiora uerò calent: Et si uolumus uerum dicere exteriora frigent duplici de causa, tum propter reuocationem caloris, qui retrahitur ad fontem uitæ, & proprium principium, tum propter diminutionem, quia calor debilitatur, & fit paucus, imbecillis in tanta humorum putredine, ex quibus generatur: si non sunt humores boni, ex quibus generetur, qui fieri potest, ut calor sit multus, & fortis? propter reuocationem itaque, et propter diminutionem, & paucitatem caloris fit, ut in pesti-

stilentibus exteriora relicta à calore, ut succurrat cordi, & ut uniatur, & corroboretur, frigescant; interiora calida & inflammata sint propter putredinem tam magnā in principio uitæ; ista est uera causa. Sed uideo unum, qui obijceret non penetrans principia medicinæ, qui diceret si sunt putrefacti omnes humores in corde, in quo uniuoce facultates sunt fundatæ, quomodo poßibile est quod uiuat animal? potest ne stare uita cum maxima humorum putredine? non est hoc uerum, corruptis humoribus cessat uita: Non potest stare, uerum est hoc, ille secundus Gal. uolebat argumentari contra primum eodem argumento, quia uidetur hoc ualde mirum: scitis enim quod fuerunt duo Galeni, arguebat ita: Vita stat in humoribus: ergo corruptis humoribus non stabit uita, illud arguere est non intelligere, & nolle ad profundum rei peruenire. Nos non dicimus, quod humores putrescant summa putredine, ita ut omnino putrescant, in pestilentibus febribus putrescunt humores cordis in parte, non in toto, incipit putredo in parte humorum, qui sunt in corde: deinde in alia, & alia, ut perpetuo putrescant usque ad interitum animalis, & quoad humores in totum corrupti fuerint, non est ita sentiendum pingui minerua, quod fit in omnibus, & totis humoribus putredo, quis est tam fatuus, tam rudis homo, qui hoc fateretur? est putredo, ut enim pomum dicitur putridum, & si pars tantum putrida fit, ita humores in pestilentibus putrescunt in aliqua parte, cum qua putredine potest bene tollerare homo, & uitam habere: ita oportet ad bonum sensum intelli-

ligere, pars est putrefacta, alia inflammata, alia bona cum qua uita stare potest, nisi prohibeatur: bene uerum est, quod magis, ac magis occupat humores quoad totos occupauerit: Nam ut Gal. dicit in secundo de prognosticatione pulsuum, cum putredo est in humoribus cordis, si magis perseueret, & inualescat, fit ut non tantum sit in humoribus, sed ulterius penetret, & substantiam cordis aggrediatur, & tunc dicitur pestilens hectica: pestilens quidem quando adest summa putredo in humoribus cordis, qui putrescunt à calore maxime putredinali; hectica uerò quoniam occupauit substantiam cordis solidam, in qua figitur, & firmatur: Atque ideo nec syncera hectica, quando calor solum occupat membra solida sine ulla putredine, nec simpliciter pestilens, in qua humores cordis putrefiunt, sed copulatiue pestilens hectica, quæ utrunq; poßideat, sit putredo summa in humoribus, & in cordis substantia firmatur: pestilens absolute est, quando humores secundum aliquam partem acquirunt putredinem. Neque dicatis sicut dicit ille noster Veronensis, alioquin desipiens fatuus, qui non intelligens Gal. putauit quod Gal. tam rudis, tam uæcors, & pauci intellectus fuerit, ut dixerit cor putrescere, ac si pomum putresceret, ut tota substantia, & humores cordis putredine corripiuntur, non dixit hoc, nunquam ita desipuit Gal. sicut iste desipit: si cor putresceret, ut pomum in toto putrescit, non staret uita, sic uerum fuit argumentum per malam intelligentiam: Non ita dicimus nos, qui fundamenta Gal. declaramus. Dicit Gal. putrescit cor, idest, cor tabescit, id quod ta-

be-

bescit putrescit: contabescentia enim est species quædam putredinis, non uera putredo, ut habetis in quarto Meteororum, ea quæ exiccantur, & præ siccitate contrahūt tabem putrescere dicuntur improprie, ut ligna sicca tabescentia putrescunt .i. corripiuntur à tabe, ut bene dicit ibi Arist. licet propria putredo, & uera dicatur quando humidum subito ex corpore extrahatur à calore non naturali à partibus interioribus ad exteriores, & humidū superabundat calidum, non intelligit hoc modo Gal. putrescere cor, ut corrumpatur, Alia improprie putrescūt quia exiccantur, & priuantur humiditate, & tabem contrahunt, quo modo ligna diximus putrescere, ita intellexit Gal. putrescere cor, Habetis id, per quod pestis constituitur in esse, de his copiosius non sum dicturus, per capita tantum de his dictum sit nunc: si quidem alias ostendimus ita esse, & hanc habere sententiam Gal. ex cuius principijs semper loquor, si quid deerit alibi si dabitur locus commodior dicetur, satis sit uobis nunc scire hoc unum, quod frigescebant partes exteriores propter summam putredinem in corde, propter quam cor est in summo discrimine, calor uolens succurrere suo principio retrahitur, Secundo quia debilitatur in unum colligitur apud uiscera magna, exteriora relinquit, quæ relicta à calore refrigerantur. Hoc symptoma in alijs febribus non contingit præterquam in pestilentibus. ista omnia cum essent in nostro Philisco merito potuit dicere Hip. et nos cum ipso febrem hanc acutam, continuam, pestilentem esse: ista est ægritudo huius uiri, & essentia, quam contem pla=

platifuimus per sua symptomata, essentiã dico quoad formalem rationem : Forma, & differentia specifica pestilentis est putredo in ultimo gradu, quo esse poßit in humoribus cordis non secundum totum, sed secundum partem, ita tamen, ut tota massa sanguinis corrumpatur . ad hunc sensum, ut omnes humores secundum partem habeant in se putredinem . Quoad materiam uero quæ est altera pars essentiæ morbi, Audiuistis quando loquebamur superius de his naturam morbi consistere in essentia, & alijs tribus : essentiam in ratione formali, & in materiali causa, uel in subiecto si morbus non habeat materiam : materia est multiplex antecedens, & coniuncta, uel materialis dicatis quomodocunque istæ sunt considerandæ . Videte nunquid ea frustra dixerimus superius : De ratione formali huius ægritudinis per quam ab omnibus distinguitur hactenus dictum est, quod sit putredo maxima in humoribus cordis, et febris sit acuta continua, maligna, pestilensq; : Quantum ad materialem dico, quod fuit, sicut dicebamus biliosa, crassa, quæ dicitur uitellina . Bilis uitellina duplex est, ut Auicen. distinguit, altera per adustionem minoris famæ, altera per admistionem pituitæ, seu maioris famæ : Vtra harum fuit? Dico utranque fuisse & per admistionem pituitæ, & per adustionem à calore præpotenti : singularum habemus indicia : Quod fuerit bilis uitellina, crassa, mista ex bile syncera, & pituita ostendo, primo quod bilis, quia sudauit, secundo quod pituita, quia dormiuit non multum, nec omnino uigilauit: Vos uidistis, nunquam extreme uigilauit, si fuisset bilis sim-

ſimplex ſyncera, uigiliæ fuiſſent inſignes, & ſemper uigi laſſet: quia de ſui natura acuta, acris, & mordax eſt bilis, nec dormiſſet: ſed quoniam cum ea miſtus erat humor aliquis pituitoſus retundebatur aliquo modo acrimonia ipſius: unde non uellicabat, nec mordicabat cerebrum, & membranas cerebri, ſed ſua humiditate uigilias remittebat, & mitigabat: ex alijs etiam ſymptomatibus hoc manifeſtum eſt præterquam ex uigilijs, ut ex urinis, urinæ albæ, & in ipſis alba continebantur, quæ dominium humorum pituitoſorum ſignificabant: Ex excrementis per aluum redditis, quæ alba, & flatulenta erant, ut habuiſtis in textu egeßit feces, & retrimenta multis flatibus permiſta, hæc indicabant materiam craſſam, frigidã, pituitoſamq́;: Flatus enim, ut ex ſententia Gal. dicebamus in ſecundo Prognoſticorum fit quotieſcunque aer, et ſpiritus commiſcetur alicui materiæ craſſæ, uiſcidæ, ut ampullæ ſolent fieri in aqua, quæ habet aliquam uiſciditatem: Vnde pueri experientia ducti ſolent accipere aquam, cum qua permiſcent ſaponem, deinde inſufflant, & faciunt eleuare ueſicas, & ampullas: quod ſi non admiſcerent ſaponem uiſcidum, non facerent ampullas, quia non reciperetur flatus in aqua non uiſcida. Cum igitur in noſtro Philiſco dicat Hip. quod fuerint excrementa alui flatuoſa: ſi flatuoſa ergo uiſcida, & pituitoſa, & alba, & frigida. Ex his omnibus certißimum habemus indicium fuiſſe febrem à materia bilioſa uitellina craſſa, quæ dicitur ab Arabibus uitellina maioris famæ ex admiſtione pituitæ cũ mera, et ſyncera bile. Quod modo etiam fuerit altera bi-

lis

lis craßa per adustionem generata à calore præpotenti si gna demõstrabant: scitis si bilis pura aduratur crassescit, & primo fit bilis uitellina, idest, qualis est color uitelli ouorum, deinde si ulterius aduratur fit crocea, postea eruginosa, tandem redditur nigra, si adustio ad ultimum per ueniat: Hic erant symptomata, quæ nobis significant esse adustam bilem: primo sitis, dicit Hippo. sitibundus erat: sitis non fit, nisi ab immoderato calore, uel calido humore, & siccitate facta ex adustione humoris, probabile est etiam fuisse adustam ab acuto, & summo calore febris, quis non credat tenuem materiam, qualis est bilis non aduri à tanto, & tam acerrimo calore? ex delirijs, & uigilijs, quæ fiunt ex acrimonia humoris biliosi acquisita per adustionem. Ab urina: Vrina fuit nigra, & nigra non modo in hypostasi, sed & in substantia: non potuit acquirere nigredinem, nisi ex adustione humorum & ipsius serositatis, ut audistis superius, quando loquebamur de urina nigra. Vidistis quemadmodum deueniat per quosdam gradus ad nigredinem, ut quanto maior fiat adustio, tanto nigrior: Et primo ad nigredinem hypostaseos, deinde ad nigredinem substantiæ perueniat, & in coloribus etiam per gradus accedat ad nigrum colorem, ut habetis à Gal. in secundo de facultatibus naturalibus, primo fit crocea, deinde æruginea, postremò nigra, prout humores magis aduruntur, & ut bilis de citrino colore ad nigrum uenit: Vidistis progressum quo per ulteriorem adustionẽ nigrior est reddita, ista debetis considerare, & contemplari in hoc ægro Philisco: & exemplo illius in omnibus alijs, habetis

naturam morbi quantum attinet ad illius eſſentiam, habe-
t ſq́; eſſentiam totam morbi quoad cauſas intrinſecas: pri-
mo quoad rationem ſuam formalem, quæ eſt febris peſti-
lens, maligna, acuta, & continua: ſecundo quoad materiã:
Materia eſt bilis uitellina craſſa, & uitellina quidem u-
triuſque generis & maioris famæ, quæ habet commiſtam
pituitam, & minoris famæ, quæ per aduſtionem fit. Hacte
nus acceſſimus ad ægrum, atque ſpeculati ſumus cauſas in
trinſecas huius ægritudinis & materiam, & formam per
ſua ſigna, & ſymptomata tum perpetua, tum uariata: iſta
eſt ægritudo uniuerſalis, quæ totum corpus occupabat:
Erat alius morbus particularis in uiſcere, et membro par
ticulari, in liene: inflammatio in liene: quod apparet ex ſi-
gno manifeſto dix t Hipp. tumor erat in ſplene rotundus,
iſte tumor erat inflammatio ab humore calido, hoc maxi-
me conſiderandum eſt, quod dicit Hip. duo dicit in his uer
bis, primo quod fuit tumor, ergo materia: ſecundo quod
rotundus in figura. Dat uobis exemplum, & documentũ,
quod non tantum eſt tumor, ſed & qualis figuræ ſit con-
ſiderandum eſſe, oportet ſemper uidere in tumoribus fi-
guram, & formam apoſtematum, ex figura maxime co-
gnoſcetis locum affectum, & inflammatum cum ſunt apo
ſtemata in abdomine. Si tumor habuerit figuram obliquam
eſt tumor in obliquis muſculis ipſius abdominis, ſi figura
tumoris fuerit recta in rectis, ſi tumor tranſuerſus fuerit
in forma, erit in tranſuerſis, qualis figura tumoris, talis fi
guræ eſt locus, & membrum, in quo conſiſtit. Si rotundus
tumor, tunc inflammatio eſt in aliquo uiſcere interio-
re:

re:si in sinistro latere in liene:si in dextro hypochondrio in hepate:si in medio abdominis in uentriculo, qui medius est inter utrunque,idem secundum uarietatem locorum in uarijs membris esse significatur. in hoc uiro tumor erat in sinistro hypochondrio:ergo in liene, ut dicit Hippocr. Erat inflammatio cum tumore rotundo, hic tumor indicauit non solum locum affectum,sed etiam malitiã materiæ, quæ faciebat inflammationem, & consequenter malitiam ægritudinis,erat tumor rotundus non alia de causa, nisi propter cruditatem materiæ rotundam:diximus superius fieri figuram,quandocunque materia est cruda inconcocta,partes ipsius non sunt adhuc segregatæ; & perseuerauit à principio morbi usque ad finem, & ad interitum Philisci:erat malignus humor,& pessima materia,ex qua fiebat inconcocta à naturali calore, erat unum ex signis uniuersalibus,& communibus symptomatibus à primo ortu ægritudinis usque ad finem,dixit in textu Hip. lienẽ ꝑpetuo rotundum tumorem habuisse in calce casus, ubi connumerat ea,quæ fuerunt per totum morbum uniuersaliter:Hic tumor erat à materia,quod fuerit ab eadem materia,à qua & ægritudo totius probabile est hac de causa, cum fuerit abundans bilis adusta à calore præpotenti, & acuto, & lien sit proprium receptaculum bilis adustæ, crassæ,ac terrestris.ergo probabile,& uero satis simile, rationiq; consentaneum,quod cum ibi esset tumor, & inflammatio,illud apostema fieret ab humore in eo membro redundante maxime in hoc corpore,in quo erat multiplicatus per adustionem maiorem caloris. Morbus igitur ut

in summa habeatis duplex erat, alter uniuersalis totius corporis, & est febris pestilens maligna, putridaq; in summo, continua, & acuta pendens ab humore bilioso, crasso, ac putrefacto, qui duplex est tum per adustionem, tum per admistionem pituitæ, hic est morbus in toto corpore: Est alter morbus particularis inflammatio in uiscere nobili, tumor rotundus in liene ab eadem materia genitus bile inquam uitellina crassa utriusque generis. Expleuimus considerare essentiam morbi, deest ut accedamus ad curationem, quam ordinabimus paulò post: ista considerauimus per signa de essentia huius ægritudinis; Natura morbi, quam proposuimus esse ante omnia considerandam præter essentiam alia tria continebat. De his nunc non sumus longius tractaturi. Quantum ad tempora ista non potestis considerare, nisi per progressum ægritudinis: de his ergo in progressu dicemus: Quoad mores apparent ex essentia febris, quæ est maligna, peßimorum morum, ut uidistis in transcursu, & expositione literæ: Est & motus, qui manifestus est quoad uelocitatem, apparet inquã usque ad tertiam: est acuta ergo uelocißimi motus, ut paret, quia non poterit transire sextam, in tertia iudicare potuistis eius uelocitatem: Non est in his longius immorandum, satis locuti sumus de duobus. Dicam paucis, quid sentiam, posteà in suo prognostico accedemus ad curationẽ, & proponemus hunc ægrum moriturum curandum, & uidebimus quomodo debeatis procedere in curatione alicuius desperati, & morituri, indicationes sumemus, & fortes, à quibus sumantur, indicabimus, & accedemus etiã

ad

ad particularia, ut omnibus ſatisfaciam: Nam per indica-tiones dirigimur ſemper cum recta ratione ad remouen-dam ægritudinem.

CVM conſiderauerimus quæcunq; attinebant ad ſpeculationem morbi, uel eſſentiæ morbi exiſtentis in Philiſco. Reliquum modo fuit, ut uideremus, & accederemus ad prognoſticum, deinde ad curationem, atque cognoſceremus. Sed quoniam ad inueniendam artem prognoſtici, et curationis oportet quoque cognoſcere ſubiectum ipſius morbi, in quo morbus exiſtit, ſubiectum conſideratis quoad naturam, & temperaturam corporis diſpoſitionem, et habitum corporis, & ætatē, niſi cognoueritis temperaturam ipſius, non poteritis unq̃ recte morbum remouere, iſta omnia ſunt in curatione conſideranda: præterea debetis uidere ea, quæ attinent ad aerem, ut ſtatum aeris, & cōſtitutionem cœli, tempora anni, quoniam aliter curamus ægrum in hyeme, aliter in æſtate; regionē in qua habitat, aliter curationē inſtituimus in regione calida, aliter in frigida, aliter in humida, q̃ in ſicca, ut exēpl. gr. aliter in Hyſpania, & alijs regionibus calidioribus, aliter in Germania, & cæteris frigidioribus locis: ſunt enim illa tria potiſsima, à quibus ſumuntur omnes indicationes curandorum morborum. ergo & potiſsimum in curatione conſideranda, primo aer ambiens, & continens ægrum, temperatura corporis, ſub qua continetur eſſentia corporis, habitus corporis, ætas, & conſuetudo, & reliqua huiuſmodi: tertio eſſentia morbi: iſta ſunt tria à quibus omnes cu-

ratiuæ indicationes oriuntur, opus est contemplari unumquodq; ut elicere poßimus indicationes curandi morbos, hæc non sunt mea, est pura sententia Gale. in 9. Therap. Quoad aerem primo audiuistis qualis esset, & cuius tēperaturæ quantum ad regionem. Vidistis Philiscum ægrotasse, ut dixit Hipp. in Thaso insula, una ex cycladibus insignis, flatuosa, in mari sita, exposita maxime Austrinis flatibus, qualis fuerit status, & constitutio aeris audiuistis superius: diximus ægrotasse in tertia constitutione, quæ fuit in Thaso, aer quidem erat frigidus, & siccus in principio constitutionis, Aquilonius, pluuiosusq; ita ut autumnus extra propriam naturam fuit in principio, circa æquinoctium, & ab æquinoctio usque ad principium hyemis, ad occasum Virgiliarū pluuiæ paucæ, Austrinæ, spirabāt Austrini flatus: A principio hyemis usque ad æquinoctium uernum squalores, aeris siccitates, magnæ niues, frigora summa spirantibus Aquilonijs, uer frigidum, paucæ pluuiæ, in æstate frigora maxima, ita ista aeris cōstitutio semper fuit frigida, quoad qualitates actiuas, intēperata, quoad paßiuas uero non semper eadem. primo erat humida & propter pluuias multas, & propter Austrinos flatus: secundo sicca propter siccitates aeris, Aquilonios flatus maxime frigidos, & siccos, semper tamen frigida modo frigida et humida, modo frigida et sicca secundum uarietatem flatuum, & pluuiarum priuationē, uel abundantiam, necessario debebant congregari, & generari humores diuersi peßimi propter inæqualitatem aeris, humores inquam proportionati cōstitutioni aeris, qua
lis

lis est aer, tales humores in corpore generantur: Hic fuit status, & constitutio aeris, atque intemperies qualitatum in qua ægrotabat Philiscus: in quo tempore .i. in qua parte anni ægrotauerit nos nõ possumus, certo scire, quia de hoc nihil habemus in textu ab Hipp. nihil dixit, num in hyeme, an uero in æstate, si nihil dicit, neq; nos possumus firmiter scire, quod in hyeme, aut in uere, aut in æstate laborauerit, ex coniectura tamen certa, & manifesta possumus id attingere, probabile est magis primo quod ægrotauerit tempore æstiuo, quàm in hyeme, ratio est, quoniam ista ægritudo æstiua est, et solet contingere in magnis æstibus, non hyemalis: neque enim nisi rarissime contingit febris pestilens maligna in hyeme. Est & altera certior adhuc coniectura ex his, quæ habita sunt in primis, prælectionib. qnando breuiter recensuimus constitutiones illas, dixit Hip. quod in ea constitutione tertia, quæ fuit tam pessima, & præter naturam in hyeme fiebãt παραπληγίαι, paralyses, & aliæ frigidæ ægritudines: in æstate febres acutæ, & morbi calidi epidemici, & breues, qui citissime terminantur. probabile est igitur ex hac coniectura quod nõ ægrotauerit hic uir tempore hyemis, cum laboraret morbo acuto, & febre calida: qualia enim sunt tempora, tales morbi producuntur; in hyeme frigida fiunt ægritudines frigidæ, ut paraplegiæ, uel paralyses, latine resolutiones, quæ in partem aliquam, uel aliquas partes corporis ex apoplexia decumbunt, istæ solent hyeme contingere, raucedines, grauedines, & huiusmodi: in æstate febres ardentes, putridæ, pestilentes, phrenites, deliria, qui sunt morbi ca-

lidi. ex ægritudine igitur quam patiebatur conijcimus ægrotaſſe in æſtate, quia non eſt hyemalis ægritudo, ſed calida, imo calidiſsima æſtate contingens. Eſt tertia coniectura, quam habemus ex motu morbi, in æſtate fiunt morbi acuti, uelociſsimi motus: in hyeme contra chronici, longi, & tardiſsimi motus: caliditas aeris ad uelocitatem, frigiditas ad tarditatem ipſius motus conducit, ut eſt illa ſententia Aphoriſtica nobis firmo teſtimonio: Hipp. dixit in ſecundo Aph. 25. Æſtiuæ quartanæ magna ex parte breues: Autumnales uerò longæ, & maxime, quæ hyemem attingunt. Gal. in com. dicit quãto longiores ægritudines, tanto ad hyemem magis accedunt: quanto breuiores ad æſtatem; ut in hyeme ſint omnium longiſsimæ, in æſtate omnium breuiſsimæ: in autumno, & hyeme longiores, quia in his temporibus generantur humores craſsiores, & frigidiores pituita & melancholia: quanto humores craſsiores, tanto quartanæ, & alij morbi longiores, cum fiunt humores tenues ſubtiles morbi breuiter, & cito terminantur: Ægrotatio Philiſci q̃ breuiter terminata ſit, & q̃ citò pertranſiuerit manifeſtum eſt: Vidiſtis quod mortuus ſit in ſexta, & q; obmutuit ante mortem. cum igitur fuerit conſtitutio aeris frigida, & humida, & hyems natura frigida ſit, nunquàm fieri potuit tanta inflammatio, tanta ebullitio in humoribus, ut fieret febris peſtilens acuta, & calidiſsima: contra operantibus tot cauſis uultis factum eſſe febrem iſtam? in æſtibus magnis, & repentinis bene fuit hyeme non contigiſſet etiã ſi maxima fuiſſet paſſi diſpoſitio. Ex his coniecturis non ſolum uidetur probabi-

bi-

bile, ſed neceſſarium, quod iſte uir in æſtate laborauerit, non in alio tempore: ægrotauit inquam ægritudine calida acuta, quæ pendebat à materia craſſa aduſta; peßima erat ægritudo, ut quæ habuit aerem ſibi ſymbolum in eo tempore constitutionis peſtilentem, efferueſcentem. Hæc ſint dicta, quantũ ad aerẽ attinebat, & regionem, conſtitutionẽ tempus anni, quæ omnia inuenimus per ſuas coniecturas cum nihil de his haberemus ab Hippocrat. Debetis ergo & uos exẽplo huius quando acceditis ad aliquẽ ægrotantem non ſolum conſiderare accidentia, & ſymptomata morbi, & ægritudinis naturam contemplari, ſed etiam aerem, & ipſius diſpoſitionem, ut aliquod principale in curatione ægritudinis, imò nihil magis conſiderandũ eſt in curatione recta cuiuslibet morbi, quàm aeris diſpoſitio. Vnde iure optimo Hip. in ſuo illo libro de locis, aere, & aqua iubet medicum rationalem ad ægrum ſanandum accedentem præcipuè debere contemplari naturam aeris, in qua habitat: regionem, in qua ægrotat: ſtatum cœli, & tempora anni, & tandem omnia, quæ ad aerem uidentur attinere. Hactenus duo principalia, ut præcipit Gal. perfecimus: Tertium conſiderandum eſt temperamentum ægroti noſtri, cuiusnam eſſet temperaturæ. De temperatura Philiſci nunquid calida, an frigida, nunquid humida, an ſicca? ab Hip. ipſo non habemus, ſicuti neque de aere. poſſumus tamen nos, quemadmodum & in alijs fecimus uti coniecturis: Non deeſt nobis ex his, quæ ſcribit Hip. coniecturari, cuius eſſet temperamenti. Dico ergo, ac ego conijcio hunc hominem fuiſſe bilioſum cali-

lidum & ſiccum in ſua temperie naturali: eſt coniectura firmiſſima: Dixit Hip. in tertia conſtitutione, in tempore hyemis fuiſſe ægritudines frigidas Epidemiales, fiebant paraplegiæ, multi fiebant paralytici: & iſti ſunt morbi frigidi, & cauſam habent frigidam, in frigidisq; generantur: Si Philiſcus fuiſſet frigidæ temperaturæ non euaſiſſet, tamen ipſe non potuit corripi ab illa Epidemia, non alia ratione, niſi quia in qualitatibus non conueniebat, non erat ſibi proportionata: omnis autem paſſio recipitur in ſubiecto proportionato, & bene diſpoſito; & ſi aer in hyeme aptus eſſet, & idoneus ſuis qualitatibus imprimere Philiſco Epidemicas ægritudines, tamen quod ille poterat ſua efficere frigiditate, temperatura Philiſci deleuit caliditate, quæ reſiſtebat temperamento aeris ex diametro: paſſo reſiſtente uim non conferente, ut dicunt iſti non fit aliqua impreſſio ab agente. Si habuiſſet ſymboliſmū, habuiſſet in qualitatibus, & facilè ægrotaſſet. ergo ex hoc ego accipio nō habuiſſe frigiditatem, uel humiditatem: ſed quod fuerit calidus bilioſus, ob id potuit euadere illam Epidemicam conſtitutionem, in qua producebantur ægritudines frigidæ. effugit, quia contra operabatur: ſed quoniam in æſtate æſtus magni uehementes, & repentini cum æſtate conueniebat corpus in temperatura calidum, & ſiccum bilioſum. non eſt igitur mirum, ſi cum haberet ſubiectum bene diſpoſitum, et proportionatum recepit actionem, & impreſſionem aeris, caliditatemq;, ex qua ebulliuerunt humores: ex quorum ebullitione nata putredo, ex putredine febris peſtilens:

lens: quam patiens uir iste mortuus est. ægritudo inuasit Philiscum, quia in habentibus symbolum facilior est transitus. mortuus igitur in æstate morbo epidemico propter symbolismum in temperatura. Ex hoc certam sumo coniecturam, quod fuit calidæ temperaturæ à prædominio biliosæ, licet non habeamus de hoc aliquid ab Hip. Forsan tacuit, & ita est, quia potest his, qui sunt perspicacis ingenij facile inueniri per solam admonitionem accidentium, & progressus ægritudinis. Cuius fuit ætatis? etiam de ætate cõiecturam habemus, per quam possumus inuenire, in qua esset ætate. Dico quod fuit in ætate prouectus, & præter iuuentutem, ut ostendemus, & in casu sequenti De sileno melius declarabimus. Videatis Gal. statim in principio comm. casus sequentis, ex eius sententia colligitur coniectura certissima, quod fuerit senex .i. prouectus: Nam dicit Gal. Silenus passus est paria symptomata in principio morbi, atque Philiscus, qui præcessit: deinde maiora plura, & sæuiora, ægritudo magis acerba, tamen perseuerauit usque ad undecimam diem, qua mortuus est. Philiscus non potuit pertransire sextam, in cuius meridie defunctus est. quæ causa est? Respondet, & bene, Gal. quod hoc factum est, quia Silenus erat iuuenis, habebat calidissimas, & robustissimas omnes uirtutes, per quas resistebat ægritudini: non potuit ita facilè deijci, idcirco inquit Gal. Hip. miro artificio in casu Sileni meminit de ætate, & dixit. annũ circiter xx. uel xxi. agebat: erat in flore adolescentiæ, in qua uires sint robustissime, & si passus sit ægritudinem acutissimam pessimam,

mam, & malignam, tamen robore uirium ſaltem tempus termini prolongauit, & perſeuerauit uſque ad xi. Si nõ fuiſſet ita iuuenis, & robuſtus in ſeptima, & forſan citius eſſet defunctus. Philiſcus minus acuta febre laborãs, uel etiam pari non perdurauit, uſque ad ſeptimam, mortuus eſt in meridie ſextæ, quia erat ſenior, nõ habebat ita ualidas uires, ut, Silenus, non poterat reſiſtere ſæuis ſymptomatibus, & morbo maligno. Ex hac coniectura, quã ex textu Hip. elicimus, qui in Sileno ætatis meminit, in Philiſco nihil dixit ſecundum Gal. facile conijcimus hunc uirum fuiſſe ætatis prouectæ præter iuuentutem, melius iudicabitis de ætate in his, quos curabitis ex præſentibus, qui uobis offerentur: Debetis ſemper ætatem ægroti conſiderare, quam facile inuenietis: Si enim per coniecturas iudicio utimini ad ſciendum ætatem Philiſci, quem nunquam uidiſtis, & iam inueniſtis fuiſſe præter iuuentutẽ: Si hoc inquam rationabiliter uidetis in his, qui non uiuunt, & quos non noueratis ante, quanto magis cognoſcetis in his, qui uiuunt, & quos uidetis, & antea nouiſtis. Hactenus uidimus de aeris ſtatu, & quæ circa aerem uerſantur, de ægritudine, & ipſius eſſentia, de temperatura, & circunſtantiis ægritudinis circa ſuum ſubiectum, per coniecturas inuenimus omnia, Vos melius in his, quos curabitis, de his iudicabitis. His itaque uiſis ſupereſt modo, ut ad prognoſticum accedatis, & prædicatis amicis patientis quid futurum ſit: Nam quotieſcunque acceditis ad aliquem ægrotum debetis prædicere de ſalute, & morte num moriturus ſit? an uero ſanitati reſtituen-

tuendus,ut & culpa uacetis, & Artem ueſtram oſtendatis: ſi prædicetis quod ſanabitur,& bonorum morum ægritudo,uel non morietur: an uero maligna, & periculoſa cum maximo uitæ diſcrimine, & quod morietur accidat,quicquid uelit eſtis liberi à calumnia,& culpa ſi moreretur: ſin liberabitur apud uulgũ eritis in magna exiſtimatione,& boni medici, & aßiſtentes de uobis erunt bene perſuaſi. Quocirca & famam, & pecuniam acquiretis: præterea ægro ſpem augebitis, & in uobis maxime confidet: Vnde facilius obædiet,& ita ſanitati reſtituetur,qui eſt principalis Scopus.Itaque oportet uos ſupponere quod nunc accedatis ad Philiſcum, conſideretis,quæ diximus conſideranda antequam aggrediamini curationem,debetis prognoſticari quid futurum ſit, de uita Philiſci,quantum uobis ex moribus, & ſymptomatibus ægritudinis poteſt innoteſcere, ut putandum eſt feciſſe Hip.& medicos illius temporis. Vidiſtis in prima ſtatim die ſæuißima accidentia, non poteratis iudicare in principio,& primo inſultu non eſſe,niſi morbum periculoſum,& malignum cum in principio omnia leuiora, tamen ſæuißima fuerunt ſymptomata,& febris ſtatim acuta inuaſit,debebant illi medici male de Philiſco prognoſticari,non tamen libere mortem pronunciare, ſed parum expectare: in ſequenti die acceßit paroxiſmus, omnia ſæuiebant,& inualeſcebant accidentia in Philiſco adhuc magis periculoſam ægritudinem,& lætalem debebant iudicare. At quando in tertia tam mala uiſa ſunt certißime poterant mortem pronunciare aßiſtentibus, Videbatur

om-

omnino liber à febre in meridie tertiæ, & melius habere, symptomata remißiora, licet ista uideret bonus, & peritus medicus non debebat propterea promittere salutē, & dicere quod melior esset ægritudo, non erat liber, sed uidebatur ignaris, ut dixit Hip. mobiles & imperiti exiluissent, & spem amicis fecissent: Ah non erat liber, in fine tertiæ circa crepusculum acceßit febris acuta, exacerbatio febris inuasit Philiscum omnia inualuerunt. ideo oportebat ita manere, & expectare quid succeßisset in quarta, inuasit præter rationem, & consuetudinem exacerbationum, & præter medicorum expectationem, & considerationem: poterant medici certo prædicere morbum ita malignum, & peßimum, ut necessario esset moriturus. Videte quomodo medici sibi contradicunt prius dixissent lato ore, liberabitur, nunc morietur: oportet habere fundamenta, & in sententia permanere. in tertia poteratis certo scire, quod moriturus erat, præter symptomata ualidiora, & sæuiora inuasit præter omnem rationem exacerbatio, quæ durauit per totam quartam, in quarta uisis accidentibus, & paroxismo febris non modo poteratis dicere letalem ægritudinem, & quod debebat necessario mori, sed & cito moriturum, habuit in tertia, & quarta continuæ exacerbationem, erat astantibus certißime prognosticandum, quod morietur, & cito quoque morietur, non poterat diu sustinere tantam perniciē maxime cum non haberet uires ualidas. Diximus superius hanc esse perpetuam medicorum regulam, quæ nunquam fallit. Quotiescunque exacerbatio fuerit in tertia,

& in quarta in acutis ægritudinibus in ſexta, uel in ſe-ptima criſis expectanda eſt, citiſsime fiet iudicatio uel bona, uel mala, ideſt, uel ad ſalutem, uel ad mortem: in chronicis longitudo morbi ſignificatur, quod præter experientiam, & rem ipſam ita oſtendentem Gal. quoque admonet in commen. huius Aphor. inquit: Fac memineris ubi quartus perinde, ut tertius grauia habet ſymptomata, et ſigna in morbo acuto breui expectandam eſſe criſin, ut in ſeptimo, non erat aduertendum amplius ad prognoſticũ: in quarta opus erat prædicere ægritudinem ita periculoſam eſſe, ut cito moriturus eſſet, & criſis futura ad mortem. Si prius uidiſtis, & memoria tenuiſtis, quæ uidiſtis mala ſymptomata: in prima potuiſtis cognoſcere ægritudinem cum periculo eſſe, in ſecunda lætalem, in tertiæ fine neceſſario mortem expectandam, in quarta non modo moriturum, ſed cito moriturum, ut in ſeptima, uel in ſexta, non poterat diu tollerare: Hæc dicta ſint de prognoſtico, breuiter petrãſiuimus; quia in ſingulis caſibus aliqua de hoc dicemus, prognoſticum eſt firmiſsimum, et omnes medici periti ita feciſſent, in omnibus non ita facile poteſt erigi: Conſiderata ægritudine per ſua ſymptomata, ut ipſam remoueatis præmiſſo prognoſtico, ad mortem terminandam; oportet modo, quod aggrediamini curationem, & uideatis quo modo procederetis in remouendo hoc morbo maligno, & periculoſo: Hanc nos hoc loco inſtituemus, ac ſi uellemus curare Philiſcum per methodum, & rationem, qua uſus eſt Hip. Notetis, & eſtote attenti quæſo, Deducam uos per methodum ueram, et

per

per uiam planam: Videtis moriturum, cognoſcitis morbum, licet deſperatus ſit, oportet aliquid agere, aliquid moliendum eſt, ne ſine aliquo remedio relinquamus patientem: Vnuſquiſque homo, qui agit ſecundum rationem non ſolum in Medicina, ſed in quacunque Arte, & ſcientia, unuſquiſque inquam, quicquid agat, ratione finis agit: Et finis eſt ille, qui indicat operationes, omnes actiones fiunt propter finem, & finis eſt, qui induxit, qui mouet omnes homines ad agendum: cum perſpexerint finem ad illum aſſequendum mouentur, hoc eſt unum perpetuum et in naturalibus, & in uoluntariis, quæ agunt per electionem: natura enim agit omnia propter finem, cum nihil fruſtra, nihil temere operetur: Si uera ſuppoſuerũt philoſophi: Oportet nos agere aliquid in hoc ægro, & ſumus medici rõnales nõ moueamur temere, ſed à forti rõne: ergo oportet quod habeamus aliquam rem, aliquem finem, qui nos dirigat in hac operatione, in curatione inquam huius morbi, quæ directio à medicis dicitur indicatio, dirigit omnem noſtram operationem, & per finem inducit nos ad agendum. Sed hic finis non inducit ad operandum cum directione, neque inducit nos, neque aliquas parit indicationes, ut appellant medici, niſi eius natura cognoſcatur. si ergo uultis habere, & ſumere ab eo fine indicationes neceſſarium eſt, ut cognoſcatis ipſius naturam. Nam ſi aliquid acturi eſtis, agetisne propter finẽ? Si finis naturam non cognoueritis, quomodo ſcietis operari? Clarius: Si operamini propter finem, ut uerum eſt, quod omne agens, ut dicunt philoſophi, agit propter fi-

finem, & finis est qui mouet uos ad operandum, non poterit mouere, nisi à uobis cognoscatur, nemo fertur in incognitum: sed finis cognosci non potest, nisi natura finis cognoscatur. igitur oportet cognoscere naturam finis si uultis scire operari, natura finis cognita tunc uere dirigit homines ad actiones naturales. ideo bene dixit Galenus, quod omnes indicationes sumuntur à notione finis: non dixit à fine, sed à notione finis, quoniam indicationes oriuntur à fine cognito: resolutio est quædam actio, & quædam praxis. ideo resolutio, ut aiunt philosophi, et confirmat Gal. in libro de constitutione artis nascitur à finis notione: cognito fine resoluimus ipsum in sua principia, circa quem uersatur resolutio. oportet ergo circa notionem finis uersari, & considerare, atque cognoscere finem non solum concipere; ex eo cognito deinde eliciemus indicationes; insudandum est, ut distinctißima habeatur eius cognitio; distinctio indicationum pendet à distincta notione finis: distinctio autem indicationem facit rectam, & distinctam operationem. neque dico nunc magis de re medica, q̃ de alijs artibus, & scientijs: Hoc est unum quod cognoscenda est natura finis distincte, quoad fieri poßit. Cognitio finis est cognitio causalis, & fit per cognitionem suarum causarum, nisi cognoueritis causas finis, non cognoscetis finem. Nam ut dicit Arist. in proœmio Physicorum, & nos in enucleationibus præcedentibus in quodam discursu, non dicimus aliquid nos cognoscere, nisi sciuerimus causas illius, & principia usque ad elementa: ergo ignotis causis finis non cognoscetur. Videte quemadmo-

dum necessaria fuit cognitio causarum ad rectam ratio=
nem operandi hoc modo: A notione finis sumitur omnis
indicatio, ut dicit Gal. notio finis non habetur, nisi per suas
causas: ergo cognitio causarum dat nobis rationem ope=
randi, credo quod omnes poßint intelligere, unaquæq; res
cognoscitur per suas causas, non possumus operari quic=
quid uolumus operari, nisi cognoscamus finem: melius di=
camus: non possumus operari, nisi aliquo dirigente: diri=
gens est indicatio, quæ sumitur à fine circa quem uersa=
mur, à fine indicationes non possunt sumi, nisi cognosca=
mus finem: finem non cognoscimus ignota sua natura. er=
go naturam finis nosse oportet, natura finis non potest
cognosci, nisi omnes illius causæ habeantur, quia quicquid
cognoscitur, cognoscitur per cognitionem causarum, quid
relinquitur? de primo ad ultimum, quod non poterimus
aliquid agere, nisi cognouerimus finem, & causas finis cu
ius ratione mouemur ad operandum: ergo à causis illius fi
nis sumuntur ueræ indicationes, quæ debent dirigere agē
tem in ea operatione, non à fine quatenus finis est non pe
nitius consideratus, sed à notione finis, quæ per causas ha
betur. ergo magis ueris causis per regulam, & illam ma
ximam dialecticorum, & philosophorum: propter quod
unumquodque tale est, & illud tale magis est: Verum est
quod indicationes sumuntur à fine cognito, & cognosci=
tur per proprias causas. ergo magis à causis oriuntur;
in arte medica, quis est finis ratione cuius medici inducun
tur ad operandum? Exempli gratia, uolunt curare, in hac
curatione quid concipiunt? & quem finem præsuppo=
nunt?

nunt? Nulli dubium est, quod recta ratione operantur, & ab aliquo dirigente diriguntur, & ad operandum inducuntur, hoc dirigens oritur à fine. quis ergo finis medici cum uult accedere ad agendum, & curandum ægrotum? Scopus & intentum eius principale est, ut remoueat morbum præsentem: intentio ergo medici à principio statim est, ut remoueat morbum, hic est finis remotio morbi, nihil aliud intendit principale, hoc est suum propositum à quo, ut à fine mouetur. Sufficit ne hoc medico, ut remoueat morbum? oportet ne ipsum aliud habere, q̃ hunc scopum? Non est aliquis tam rudis; non est aliquis tam uecors, & ignarus, etiam si esset bos, qui nesciat morbum remouendum esse à corpore, quando uiderit, quod adest, quia præter naturam afficit corpus humanum: omnes hoc norunt etiam animalia, non habet aliquid præclari, quæ est uetula, quæ hoc nesciret dicere, nihil ualerent medici, si non haberent aliud: sciunt omnes remouendum morbum præsentem: sed quid agendum sit, & quomodo, qua ue ratione procedendum, ut remoueatur, hoc non est cuiuscunque scire, nõ est uetulæ datum, soli arti concessum; in hoc consistit artificium medici, ut sciat procedere methodo, & ratione in remouendo morbo, non omnes huc perueniunt: sed medicis peritis, hic opus est ratione discurrente, non sensibus, qui indicant remouendum morbum, quem sentiũt adesse. At si debet scire medicus qua methodo, & quomodo remouendus morbus sit, cognoscat oportet essentiam, & discurrat per causas ipsius essentiales: ista ego non sum imaginatus, non sunt uerba, neque meæ chymeræ:

ræ: si uultis uidere quod non mentior, & si uelitis habere à Galen. longius, non distinctius, legatis totum tertium librum Methodi: Dicit Galen. in eo libro, quod indicatio, quæ sumitur à morbo quatenus morbus est, ut remoueatur, cum sit res præter naturam, est uniuersalis, & communis uulgaribus, non habet aliquid artificij: à natura hoc sciunt etiam idiotæ, & homines imperiti: Et ut uerbis suis utar, hæc indicatio ita confusa supponitur in principio, est tanquàm carceres, à quibus incipit cursus: carceres inquam locus ille designatus, à quo equi incipiunt currere, & suo dant cursui principium nondum uelociter currunt, sed incipiunt cursum, ut paulatim uelocius curant, & est terminus à quo capiunt principium motus, hic nihil indicatur, nisi quod currunt: sic quoque in proposito Medicus incipit contemplari, & considerare morbum, à morbo uiso quod adsit incipit operari, & inquit remouendum esse cum corpus præter naturam afficiatur: sed hoc est commune omnibus uulgaribus, omnes sine alio discursu uiso morbo concludunt eum remouendũ, esse, ac si sit fundamentum, quod nulla indigeat consideratione. uolo ut declaremus id etiam exemplo, & exemplum est à Gal. positum: idcirco libenter hoc ponã: Luxetur per casum os brachij, ut exeat à concauitate humeri, & non poßit edere suos motus, nec fungi suis operationibus, unusquisque cognoscit, quod remotũ est à proprio loco, & extra suum situm, & omnes, cum uident qđ non est in suo situ, dicunt remouendam esse luxationem, et quod reponi debet os in sua concauitate, ut poßit motus ede-

edere:uocant medicum,non putetis quod uocent,quia ne=
sciant quod reponendum sit,quia si nihil aliud desiderare=
tur non uocarent medicum,ipsi soli scirent remouere lu=
xationem,& reponere,essent medici omnes,uocant medi
cum cum sciant quod reponendum est os in proprio loco,
ut reponat quidem,sed recte reponat,& artificiose, quia
si esset tantum reponendum non cuperent medicum,scirēt
hoc facere,uocant medicum,ut recta methodo, & ratione
procedat,ut reponat os quod nesciunt ipsi facere. luxa=
tio ergo & dearticulatio est morbus, à quo oritur sta=
tim indicatio communis tanquàm fores,& carceres,à qui
bus incipit cursus, omnes sciunt reponendum os cum sit
extra situm suum,recta positio,ista est indicatio artificia
lis,hic cognoscitur artificium medici,& hic oportet labo
rare,incipit medicus accedens ad ægrum quid agendum,
ut recte reponatur os,discere,& uidet, & inquirit, quæ
quantitas sit remotionis perspecta essentia morbi,aqua ha
buit quid agendum,& cognitis causis, à quibus sumun=
tur artificiales indicationes,uidet quantitatem oßis, & al
terius oßis humeri,in quo est cauernitas, uidet etiam na=
turam coniunctionis,& modum quo coniungitur os bra=
chij cum esse humeri,& secundum omnes dimensiones ui
det quo pacto coniungatur os oßi, deinde perspicit natu=
ram totam de articulationis huius, & distinguit ab alijs
speciebus dearticulationis , uidet quam diuersa sit species
dearticulationis:hinc incipit uariare naturam, & modum
operandi,aliter reponendum est & alio ingenio hoc os,
atque ossa in alia dearticulatione,distincta natura rei fa=

cit dictinctos operandi modos, hic cognoſcitur ars medici, ſic quoque conſiderat cauſas huius remotionis à proprio ſitu, & dearticulationis, conſiderando cauſas ipſius inuenit non tantum quid agendum, ſed omnes conditiones in operando requiſitas: in operando inquam recta ratione, & incipit diſcere qua uia, quo modo reponendum os, & hoc non ſolum in hoc, ſed in omnibus partibus Medicinæ, et in omnibus quæ cum ratione fiunt: uerum eſt, q lo quimur in generali, à cauſis inuenimus methodum ueram operandi in quacunque humana actione: Nam cum uolumus operari nõ ſolum conſiderare oportet finem, ut ſuperius dicebamus, ſed etiam notionem ipſius finis, notio finis habetur per omnes ſuas cauſas cognitis cauſis optime, & habita tota finis natura diſtinctiſsima oriuntur illæ quinque limitationes, & indicationes operandi, & ſecundum quod diſtincta eſt natura illius finis oriuntur iſtæ indicationes, & directiones magis diſtinctæ, his diſtinctis operatio fit diſtincta, & ſecundum has debet unuſquiſque quicquid agit agere: Habita notione finis puta morbi, quẽ uolumus curare ſtatim innoteſcit quid agẽdũ, ut curetur, primo ut cognoſcatur morbus, habẽda eſt natura morbi, quæ conſiſtit in illis quatuor eſſentia, motu, tẽpore, & moribus: eſſentiam morbi oportet principaliter conſiderare, habita eſſentia rei & ſubſtantia ipſius conſequenter habentur accidentia conſequentia: Nam & ſi cognoſcamus ſubiectum per accidentia à poſteriori, tamen habita definitione ipſius ſubiecti, & eſſentia propria, accidentia, quæ ipſum conſequuntur propria & peculiaria,

ria innoteſcunt: & hoc modo fit demonſtratio, quam uocant propter quid, in qua per diffinitionem accidentis, uel paßionis non habetur aliqua cognitio, uel ſcientia accidentium: Sed per ſubſtantiam, & eſſentiam ſubiecti habemus, & cognoſcimus omnia accidentia poſita in demonſtratione. Vnde Ariſt. bene dicebat quod per diffinitionem ſubſtantiæ, & per quod quid erat eſſe ſubſtantiæ innoteſcunt nobis propria accidentia illi ſubſtantiæ: medium enim in demonſtratione propter quid perfecta eſt eſſentia uera ſubiecti, per quod innoteſcunt accidentia inhærentia, non ut male opinantur illi Dialectici, qui contendunt, & uolunt quod definitio accidentis ſit medium, non eſt uerum, decipiuntur: ſed iſta omittamus, ne uideamur potius dialecticam, quàm medicinam, profiteri. Ego ſaltem ſcio uobis hoc unum dicere, quod per eſſentiam, & ſubſtantiam noſtri finis habebimus omnia accidentia finem conſequentia, & poſita eſſentia morbi conſequuntur per ſe accidentia in natura illius finis inuenta: Hæc hactenus cognoſcere oportet finem, & ipſius naturam, cognito fine habemus quid agendum, ut finem aſſequamur ſub ratione, qua cognitum nos mouet, hoc habetur ab eſſentia finis: ſed oportet quoque conſiderare alia quatuor quantum, quomodo agendum quando, & ubi agendum: quæ ab accidentibus, & à conſequentibus eliciuntur, & ita fiunt quinque uniuerſales indicationes, quas obſeruandas dicebamus anno præterito in quacunque recta operatione. Exempli gratia: Quando uultis agere aliquid cum homine non

agitis uel in lucro, uel in alia quapiam negotiatione, nisi cognoscatis hominem. cognoscitis ergo prius illum quoad mores, naturam, essentiam, dignitates, & accidentia omnia, uidetis quod bonorum morum, & bonæ naturæ, quod diues, & in maximis honoribus constitutus: potest uobis fauere in plurimis rebus quotidie contingentibus, aliter proceditis cum isto, quàm cum alio paupere abiecto, & idiota: aliter cum homine seditioso, & in puniendo aliter proceditis cum studioso, si quid peccat; aliter cum uitioso: & tandem in quacunque re agenda omnia ista respicitis, & plurimi facitis: Quòd si in cæteris obseruanda sint quanto magis in medendo, & in tam artificiosa operatione? Medicus optimus, & peritus, ac rationalis est homo prudentißimus, nihil agit sine ratione, non potest agere cum ratione, nisi habuerit istas quatuor directiones, uel quinque si ponamus primam & communem indicationem, causas, quibus mouetur ad operandum, ut bene dicit Galenus qui merito, & iure optimo inscripsit libellum proprium diuinum hoc modo: Quod optimus medicus idem sit, & philosophus: Fecit librum separatum ille diuinus homo uolens omnino Galenus ostendere dignitatem, sapientiam, & prudentiam optimi medici, & ipsum ita inscripsit librum, quem legatis quæso, expresse ostendit illic medicum esse in quacunque scientia exercitatum: Si haberem ego occasionem, & tempus discurrendi in his, declararem uobis luce clarius, quod non potest esse optimus medicus, nisi is sit &

bonus Grammaticus, nisi & bonus Dialecticus, Mathematicus, Moralis, & Metaphysicus, nisi tandem, ut uno uerbo compleam, prudens sit in omnibus, & si fieri potest deberet esse optimus uir pius, & diuinus potius, quàm humanus, utpote qui imitatur naturam, quæ omnia cognoscit in sua syncera, & pura essentia, Non possumus diutius sermonem prolongare festinantes ad nostrum propositum, si quandoque dabitur occasio, satisfaciemus, interim uideatis librum Gal. quem ex professo, & ex proposito ad hoc dedicauit. Quod si hoc est nonne procedere debet per has indicationes, & per hæc quinque dirigentia à fine suo desumpta? Certe si in alijs actionibus obseruantur longe magis, & diligentius in medicando sunt obseruanda. Ad rem ergo nostram accedentes dicimus, si uolumus curare morbum istum debemus dirigi per illa quinque quid, quantum, quomodo, quando, & ubi: ergo necessarium est, ut prænoscamus finem, & accidentia finis, tunc habebimus quid agendum, & reliqua, quibus dirigetur curatio, & ea docebamus anno elapso in quarta Fen primi Auicen. in qua tunc profitebamur. in Philisco nostro est febris, quam si uolumus remouere, & operari, ut remoueamus indicatio à morbo sumenda est, non potest sumi nisi naturam ipsius cognoscamus. Est morbus ergo remotio indicatur: unusquisque scit hoc, quod remouendus est cum adest, & est communis, & uulgaris indicatio: Vlterius progrediendum est: si debet remoueri oportet uidere causas, & remouere tam intrinsecas, quàm extrinsecas ipsius febris: quo-

modo? Extrinsecæ sunt efficientes febrem: intrinsecæ uerò materia, & ratio formalis febris. Videndæ ergo sunt primo causæ extrinsecæ efficientes, quando accedimus ad ægrum, qui æger non est, nondum ægrotat tamen uocamur ad illum: quandoque est solum causa extrinseca procatarctica, uel antecedens efficientes causæ, morbus tamen futurus est, nisi prouideatur, & si non ægrotat, ni si præseruetur, incidet in morbum, quandoque uocamur ad ægrum, qui actu habet morbum; sed partim factum, partim qui fit, & dicitur uulgo morbus in fieri, non in facto esse, ita dicunt medici communes etiam, Hic morbus est in fieri, & iste partim dependet à causa efficiente extrinseca, partim non dependet, quatenus fit & est in fieri dependet à causa efficiente, quatenus factus est non habet causam efficientem. Si morbus omnino factus est nō fit amplius, non dependet à causa efficiente, tunc nulla à medico habetur consideratio de his causis extrinsecis, quæ non adsunt; sed fecerunt morbum: Si efficiant, bene tunc considerantur, ut remoueantur. Causæ ergo, quæ extrinsecæ dicuntur sunt causæ, quæ morbum efficiunt extra morbum existentes: Intrinsecæ uero sunt materia, & forma, quæ ipsius essentiam constituunt: ex materia enim & forma unumquodque compositum componitur. in summa igitur morbus aut factus est, aut fit: uel partim factus est, uel partim nondum fit, sed futurus est: Quando nondum factus est, neque adhuc incepit, tamen medicus uocatur ad hominem: indicationem sumit primo à morbo. quomodo? si nondum est quonam modo indicationem su-

ſumemus ab illo? Dico ſumi indicationẽ à morbo ne fiat, non ut curetur, quia etiam ego ſcio quod à non ente non ſumitur indicatio, ut remoueatur: Sed dico ſumi indicationem à morbo ne fiat: hoc autem non eſt curare, neque indicatio curandi, quod non eſt, ſed eſt præſeruare, & præcauere ab imminenti morbo, qui ſtatim futurus eſt, niſi prouideatur: medicus accedens ſumpta hac indicatione præſeruabit hominem caſurum in morbum, & prouidebit, ne in illum cadat, & hæc pars à Græcis dicitur προφυλακτικὴ, & operari, ideſt, præcauere προφυλάττειν: Atque hæc eſt indicatio, quæ ſumitur præſeruandi à morbo non curandi morbum, & hæc cum ſumatur propriè à cauſa, quæ actu eſt, & factura eſt morbum, à qua cauſa ſumitur? ſemper ſumitur à cauſa, ſi uere loqui uolumus, ut illa non faciat morbum, non à quacunque, ſed à cauſa extrinſeca procatarctica, uel efficiente quomodocunque intelligatis, & quomodocunque loqui uultis: Dico rem eſſe hanc, quod indicatio præcauendi à morbo ſumitur ſimpliciter à cauſa efficiente extrinſeca ab eſſentia morbi uel ſit procatarctica, uel primitiua, ut dicunt iſti, uel antecedens, eſt præſeruatio ſimplex; quoniam non eſt, nec incepit adhuc morbus, eſt ſolum cauſa efficiens, quæ efficiet quidem, ſed medicus uocatus prouidet, & impedit, ne efficiat, quod erat ſtatim effectura: iſtud eſt unum extremum ſimplex, quando nihil morbi adeſt, opus eſt præſeruatiuum, & προφυλακτικόν. Eſt alterum extremum, quando morbus omnino factus eſt, nec amplius fit, non habet præſentẽ cau-

ſam

ſam efficientem,habet tamen intrinſecas cauſas,quæ actu ipſum conſtituunt,& ponunt in eſſe ſuo,habet inquã cau ſam materialem,uel coniunctam quomodo lubet,habet et formam,uel rationem formalem: Tunc indicatio ſumitur à cauſis intrinſecis eſſentialibus, & eſt indicatio quæ à morbo facto ſumitur,& à cauſis,quæ ſunt ipſius partes eſſentiales,quod remouendæ ſint,& per earum remotio nem morbus ſit remouendus: hæc eſt ſimplex indicatio curatiua,& eſt operatio iſta curatio ſimpliciter: non ſu mitur tamen à morbo in confuſo, & ita abſolute,ut ſu= pra dicebamus,ſed à morbo diſtincto,ideſt,à cauſis intrin ſecis materia & forma:non eſt confuſa, & uniuerſalis, ſed diſtincta ſumpta ab eſſentia morbi, quæ conſtat dua= bus partibus eſſentialibus materiali & formali. à morbo autem inconfuſo nulla ſumitur indicatio ſecundum ratio= nem; ſed quod remoueri debet; Quoniam Gal. dicit in tertio Methodi quod etiam uulgarium communis eſt hæc indicatio, remouendum eſſe affectum præter naturam: Sed qua arte, quo modo fiat curatio & remotio morbi, tunc eſt indicatio medici & artificialis non uulgarium, qui cum pronuncient remouendam ægritudinem ulterius nihil ſciunt. Et hæc indicatio artificialis medici non com munis diſtinguit peritos, & artis conſcios ab imperitis, & idiotis,ut declaratur à Gal.in illo tertio libro Thera= peutices,& diſtinguitur ut ab eodem Gal. dicitur ibi ab illa confuſa,quod illa quidem quoad morbum inconfuſo ſumitur,hæc uero artificialis quoad eſſentiam morbi, & cauſas intrinſecas,quæ ſunt in eſſentia ipſius,materiam et for=

formam. Hæc operatio medici remouentis morbum curatio dicitur, indicatio qua dirigitur in operando ſimplex curatiua eſt ſumpta inquam ab eſſentia morbi facti, & actu exiſtentis: iſtæ ſunt duæ ſimplices extremæ indicationes præſeruatiua à morbo non ente, curatiua à morbo facto: Compoſita una & miſta ex his oritur indicatio à morbo, qui partim fit, & partim factus eſt, non eſt factus, nec abeſt: ſed eſt in fieri ut dicunt noſtri medici, quatenus fit indicat præſeruationē, quod remouendæ ſint cauſæ efficientes extrinſecæ, & præſeruatiua indicatio eſt, ut prouideat medicus, ne ulterius ægritudo progrediatur: quatenus factus eſt indicat remouendum eſſe & curandum, & hæc eſt indicatio curatiua, quæ indicat remouendas cauſas intrinſecas morbi eſſentiales, actu facientes ipſum. miſta igitur eſt indicatio, & eſt partim præſeruatiua, partim curatiua: operatio eſt curatio cum præſeruatione coniuncta. Et hoc eſt quod habetur à Gal. in 9. Therap. Quo loco multi ex recentioribus decipiuntur, & ſtudentes uerbis Gal. authoritates colligũt faciunt quæſtiones, & dubitationes, intricanturq́;, & adducunt rationes, & contrarias opiniones, tandem eligunt, ut ſolent ſemper facere, deteriorem non intelligentes authoritates: Oportet bene perſpicere, quæ ibi habet Gal. loquitur de hac miſta indicatione, & dicit quod ſumitur partim à cauſis, partim à morbo: quia præſeruatio fit à cauſa efficiente ſumpta indicatione, à cauſis procatarcticis, à quibus morbus afficitur, et dependet, uel nondum incepit: ſed efficietur: hæc eſt præſeruatio, & præ

cau=

cautio. Remotio uero & curatio fit à morbo indicatione sumpta, idest, ab essentia morbi, & à causis in essentia existentibus, à quibus morbus dependet & constituitur præter hoc quod sunt corporeæ sunt essentiales, & morbo intrinsecæ, actu faciunt, & constituunt morbum. ideo à causis efficientibus & ab essentia morbi sumitur hæc mista indicatio, non loquitur de simplici curatione, oportet quod bene consideretis, quæ dicit Gal. exemplo illustremus in febribus dependentibus à putredine humorū, aut ab aliquo humore putrido: Hic est quidam humor qui putrescit & actu putridus est, facit febrem, est alia pars humoris, quæ non putrescit, sed est parata ad putrescendum, & putrescet: sed detur causa in actu febris, nūc non est: Vultis remouere humorem non putridum, præseruatis, & uocatur opus προφυλακτικον: Vultis etiam remouere, & euacuare humorem putridum, qui facit, & constituit febrem putridam, curatione utimini, ita simul ambo facitis, tamen unus morbus est, & sumitis indicationes à causa efficiente antecedente, & à causa intrinseca, idest, ab essentia febris: miscetisq; præseruationem cum curatione, non est curatio simplex, nec simplex præseruatio, potestis tamen utroque modo eam appellare, ut res se habet, quia non curamus de nominibus, dum modo distinguamus rem ipsam: Appelletis curationem præseruatiuam, uel præseruationem curatiuam, non sit nobis curæ: si curationem appellabitis respicietis ad morbum, qui uere curatur, & remouetur: si præseruationem, respicietis ad causam efficientem, quatenus est hu

mor antecedens, qui est in potentia causa coniuncta, & materialis febris: Et ita intentionem habetis simul et ad materiam, & ad morbum ipsum: Cras autem expediemus curationem.

Summa fuit præcedens, ut omnis actio Medici, & medicatio, & uniuersaliter cuiuscunque, qui secundũ rationem agit, ut dirigatur à re indicante, quæ indicat aut quid agendum, aut quantum, aut quando, aut quomodo, aut ubi agendum sit. Postpositis, & relictis omnibus aliis indicationibus inquirebatur indicatio apud medicos omißis aliis artibus, & aliis actionibus quibuscunque, quæ aguntur cum ratione: indicatio inquam perquirebatur, quæ quid agendum significat, permittamus nunc, quantũ, quomodo, quando, & ubi agendum separemus istam ab aliis, de quibus dicetur in posterum. Dicebamus id, quod indicat quid agendum medico duplex esse morbum, & essentiam morbi: ex quibus duæ oriuntur indicationes: una quidem indicatio uniuersalis, & uulgata non solum medico communis, sed cuicunque etiam idiotæ: Alia est artificialis soli medico propria non uulgaribus communis. Communis & uulgata indicatio est illa, quæ sumitur à morbo uniuerso iã inconfuso, ut quoties aliquis morbo laborat, medicus iudicat sanandum esse, & à morbo liberandum, quis est ille uulgaris, qui nesciat remouendum morbum ab hoc corpore: cum sit res præter naturam, & oẽ præter naturam expellendũ est. Hæc est indicatio quid agendũ tollẽdum esse morbum, quæ nimis uniuersa-

lis,

lis, & confusa & uulgaribus data: Est alia indicatio artificialis, & rationalis, quæ non nisi medici propria est non uulgarium, & ista non à morbo inconfuso, sed à causis intrinsecis, & ab essentia morbi desumitur, quæ essentia cognoscitur per cognitionem suarum causarum essentialium, uel à notione ipsius finis, idest, morbi, quomodocunque uultis dicere non multum laboro: Ostendebatur hoc non solum rationibus, sed authoritatibus etiam Gal. si non uultis mihi credere rationibus procedendi, saltem acquiescatis Gal. quem tantopere amatis, ita nullus murmurabit, si non erit contentus ratione, & meis dictis, forsitan credet authoritati Gal. qui in tertio Methodi omnia ista ad plenum declarat, obscurius tamen. Cum igitur omnis indicatio quid agendum, & communis seu uulgata, et artificialis propria medici utraque oriatur à morbo: una à morbo absolute: altera à causis morbi distinctis: à morbo ut remoueatur: à causis morbi, ut morbus methodo, et ratione remoueatur per remotionem causarum. unusquisque, qui uocat medicum, non uocat pro illa uniuersali indicatione, ut curet morbum: sed ut curet artificialiter, & recte curet, quod non potest facere, nisi cognoscat id, quod constituit morbum, nō à morbo, sed ab essentia morbi, idest, à causis, quæ sunt in eius essentia. Dicebamus, et declarare incepamus, quo modo indicatio sumatur à causis essentialibus morbi, & ab extrinsecis: Et quoniam diximus superius quod indicatio sumatur à natura, & essentia morbi, quæ constituitur, & componitur ex materia, & ratione formali, propterea uolo uobis hoc unum

ad

ad rectam intelligentiam declarare, quod materia & forma non eo modo intelliguntur, ut sint duæ quædam substātiæ, ex quibus componatur morbus, non hoc modo intelligitur compositio morbi apud medicos, sicut apud philosophos, quando materia est præparata præuijs dispositionibus, in quam forma postea introducatur. Medici potissimum considerant causas efficientes, si proprie uolumus loqui, quæ nondum efficiunt, sed efficient, & proxime sunt facturæ, & hæ sunt potius concausæ, extrinsecæ non intrinsecæ morbo, & si omnino extra corpus sunt, ut aer: dicuntur extrinsecæ προκαταρκτικαὶ à Græcis, à nostris nouis medicis primitiuæ, dicatis quomodocunque non curo, ut toties dixi dum attendatis, & intelligatis rem. Si causa efficiens intrinseca sit in corpore existēs dicitur antecedens, ut humor in corpore dicitur antecedens, quia nō est efficiens actu, nondum efficit morbum, quia humor ille in corpore non putruit, nec adhuc putrescit, propterea febrem non efficit, sed bene aptus est, ut proxime putrescat, & actu faciat febrem, quum in potentia potest efficere putrescendo, cum effecerit febrem, uel aliam ægritudinem ab humore putrido pendentem dicitur iam causa efficiens, & si nunc dicatur efficiens, id est quoniam conseruat, & efficit statim causam coniunctam, uel materialem: Declaro propter istos Sophistas, ne uos decipiant in decipulis, ut facillimum esset, quod deciperent: intelligatis bene. Dico quod humor nondum putridus est causa antecedens febris, & efficiens; quia in potentia proxima est, ut actu febrem efficiat, cum inceperit efficere tunc uere effi-

ciens esse dicetur: Declaro modo planius, humor cum putrescit, efficit febrem, quoniam febris non fieret non putrescente humore: cum effecit febrem, & iam putruit causa coniuncta & materialis dicitur, quæ immediate actu facit morbum, & est in eius essentia, quia ipsi inhæret, ut propriæ materiæ proximæ. Vnde apud uulgares medicos dicitur materialis causa morbi, quando uident, quod est aliquis humor pituitosus, putridus, biliosus, melancholicus, uel aliquis alius humor, & cum inter se loquuntur, dicunt hic causa materialis est pituita, & sic de cæteris: dicitur causa materialis, eo quod ita proxime causa est morbi, ut uideatur esse pars ipsius essentialis, & altera pars illius essentiæ: Et hæc causa materialis coniuncta causa dicitur recentioribus, quia essentialis est, & coniuncta cum forma morbi, qua posita ponitur morbus, ut dicunt isti, remota remouetur. Videte ergo quemadmodum sunt eædem subiectiuè istæ duæ causæ, efficiēs in quam, quæ alio nomine antecedens uocatur, & materialis coniuncta, & essentialis morbo: quod sæpe accidit in his rebus; multa uidentur discrepare, cum tamen eadem sint subiectiuè, & realiter: ita hæ causæ non differunt, nisi ratione, subiecto eædē sunt: eadem enim res modo est causa efficiens, modo causa coniuncta, & materialis sub alia & alia ratione, alio ac alio respectu: Vt quando morbus factus est, causa ista materialis effecit morbum, non dicitur amplius efficiens causa, quia non efficit amplius, est causa coniuncta & materialis; nunc est in essentia febris, non efficiens est. Quòd si quis pertinaciter insistēs appellare uelit eam causam ma-

terialem efficientem, ut cum sit coniuncta dicat esse efficientem, concedamus illi, quicquid uelit, ut etiam facit Galen. suis Sophistis, appellet quocunque modo, dum in re cõueniamus: Sciat tamen ille, quod improprie efficientem appellabit, non quoniam efficiat actu morbum, sed quia effecit, & fuit actu efficiens: quemadmodum dicimus ædificatorem aliquem esse, & si nunc domum minime ædificet, sed quia effecit domum & paulo ante actu fuit ædificator, ut ait Arist. 2. Physi. ita causa materialis dicitur efficiens improprie, quia effecit: non quod efficiat morbum actu. Habetis igitur eandem causam modo materialem, modo efficientem esse eandem re, & subiecto, non dico ratione, diuersa nomina, & nomenclaturas acquirentem propter maledictos Sophistas propter diuersa tempora, & diuersos effectus, quos producit, ut efficit efficiens, ut effecit materialis: Quando partim efficit, & partim effecit: ut quando morbus est in fieri, habet partem factam, & partem quæ fit, est simul efficiens quatenus partem efficit, & materialis quatenus partem effecit. ista omnia debet distinguere medicus, & recte præscire, accessurus ad curationem particularium morborum, & dimittere nomina ad placitum hominum propter sophisticas importunitates, tenens proprietatem loquendi secundum res: quemadmodum demonstrauimus. Et debetis scire, ut tollatis omnem æquiuocationem, & confusionem, & quantum potest fieri caueatis importunos, quod quando dicimus in morbo esse materiam, & rationem formalem non intelligimus eo modo, quo aliquis iuuenis prima facie intelligeret, quod

habeat alteram partem ſubſtantialem, quæ eſt materia, ut in potentia, & alteram formam, quæ dat actum: alio enim modo dicitur aliquod compoſitum in rebus artificialibus, & uniuerſaliter in accidentibus; aliter in naturalibus & in ſubſtantijs: in accidentibus non eſt aliquod uerè compoſitum, ſicut eſt in ſubſtantijs, & omnino in naturalibus rebus non ita intelligimus, ut quando dicimus hominem componi ex materia, & forma: in naturalibus compoſitum fit cum forma quædam ſubſtantialis introducitur in materiā, uel ex pluribus ſimul poſitis reſultat una forma, & fit quoddam compoſitum, uel miſtum ſubſiſtens per ſe, & ex materia & forma unum quoddam ſuppoſitum quod ꝑ ſe ſtat, & hoc uere, & per ſe compoſitū dicitur. in his quæ per accidens componuntur, ut in artificialibus non eo modo res componitur, ut iunctis duabus ſubſtantijs fiat unū ſubſiſtens, ut exempli gratia, dicimus Mercurium, ideſt, ſtatuam Mercurij fieri ex ære, ut materia, & figura Mercurij ut forma, non tamen eſt unum per ſe ſuppoſitum, quod compoſitum uere ſit ex materia & forma, ut partibus eſſentialibus. Notetis, quoniam dico ueritatem, & eſt mera doctrina peripatetica, non chymeræ: Non dicimus Mercurij ſtatuam componi ex materia, ære, ex forma figura Mercurij, ita ut ſit quoddam compoſitum ſubſiſtens, ut homo: ſed Mercurij figura eſt accidens, eſt figura mera in hoc ſubiecto ære fundata, quia præter hanc figuram illud æs per ſe ſtat, & eſt actu aliud compoſitum ex uera materia, & forma ſubſtantiali, cui ſuper inducta eſt figura Mercurij accidentalis forma ab artifice ſtatuario: ſi figura

gura Mercurij componeret, ut uera forma statuam Mercurij ablata figura non remaneret aliquod aliud subiectũ, & suppositum in actu præter statuam: tamen remanet natnrale indiuiduum compositum ex uera materia, & uera forma. statua igitur Mercurij componitur metaphoricè ex ære, & figura, ut ex subiecto, cui inhæret accidens inductum ab artifice. Et ut totam rem resoluamus non est compositum, sed est accidens merum subiecto inhærens, quod adest, & abest præter subiecti æris corruptionem, ablata forma substantiali, nihil remanet in actu subiectum, quod digito demonstrari potest, homo tamen idem in substantia remanet, & si modo albus, modo niger, modo calidus, modo frigidus sit: & æs remanet nunc cum figura Mercurij, nunc sine ista figura. Accipiatis lignum uiride, ex quo fiat claua ab artifice, ut erat claua Herculis, qua Hercules utebatur, ut tradunt Poetæ, claua non est compositum unum, ut sunt naturalia composita, quod constet ex ligno uiridi ut materia, & forma, uel figura clauæ, ut formali ratione: sed est mera figura clauæ accidens inhærens ligno subiecto per se in actu: ablata enim figura clauæ remanet adhuc subiectum hoc in actu, lignum, & quod figura clauæ sit purum accidens non uera forma illud est nobis indicium, quod si claua plantetur, & figatur terræ, ut calor poßit in ipsam agere, inde nascetur non claua, quæ non est compositum unum, sed aliud simile, & alia planta, quod est proprium ligni uiridis secundum ipsius speciem, & naturam: si pomum pomum, & sic de alijs huiusmodi, quoniam est uere compositum naturale ex mate-

ria, & forma propria substantiali: claua cum sit accidens huic subiecto inhærens non efficit aliam clauam. Ex quo uidetis, quod non est eadem ratio compositionis in naturalibus, & in artificialibus, & uniuersaliter in his, quæ sunt per accidens, idest, quæ constituta sunt ex accidente, & subiecto in actu. Vt simitas nasi non est compositum ex materia, & forma substantiali; sed est concauitas accidentaria naso inhærens: nasus non est materia, est subiectum in actu naturale ex materia, & forma constans, cui inductum est hoc accidens, quod est concauitas: postea dicitur nasus simus, concauitas in naso: unde ablata cauitate nasus remanet adhuc nasus in actu, perit tantum accidens. idcirco non dicitur amplius nasus simus: Et ita fit compositio, ut accidens in subiecto naturali supposito insit, non ut ex materia uera, & forma substantiali in artificialibus, et omnino accidentalibus rebus: in naturalibus complicatur substantialis forma cum materia, & unum fit ita unitum, ut sublata forma nihil relinquatur in actu. Hæc sunt distinguenda, ne decipiamini, ut multi decipiuntur propter ignorantiam Dialecticæ, licet dicamus in his quæ fiant per accidens, hæc est materia huius, hæc forma, oportet habere methodum diuidendi, & distinguendi rem per accidens à re per se factam, quæ quidem omnia ignorantes, non distinguẽtes propter imperitiam Logices faciunt maximas quæstiones, tandem non attingunt quod per pauca uerba clarum à nobis redditum est: Ex mala distinctione eorum: quæ per accidens fiunt ab his, quæ per se efficiuntur plurimi, et ineuitabiles contingunt errores. in proposito.

modo dicimus febrem putridã fieri ex putredine inficiẽte humores cordis, et dicimus eius rationem formalem esse calorem igneum putredinalem præter naturam accensum in corde: Et ita consueuimus cum medicis dicere febrem putridam habere materialem, ex qua constat, putridum humorem, & formam calorem, ut dicamus febrem putridam constare ex his duobus tanquam ex materia, & forma, humore putrido, & calore præternaturali. At si proprie loqui uolumus, calor non est uera ratio formalis ipsius febris, neque per calorem febris debet diffiniri, ut per propriam formam, quia febris non est calor, nec habet calorem in propria essentia, calor quidem est de patibilibus qualitatibus, Febris uerò est bene qualitas, sed in prima specie qualitatis, in qua est habitus, & dispositio. ideo hoc fundamento motus Arist. maximus philosophus dixit inter ægritudinem, & sanitatem non dari medium, quia cum sanitas, & ægritudo sint quidam habitus in habitu & dispositione, idest, in prima specie qualitatis non est motus, propter ea inter ægritudinem, & sanitatem non est motus, si motus non est medius, indiuisibiliter acquiruntur. ergo nulla media dispositio, si uniuersaliter ægritudo est in prima specie qualitatis, febris quoque erit in ea specie: calor est in tertia, in qua sunt paßiones, uel partibiles qualitates. ergo febris non est calor, nec calor in essentia febris ut forma, quicquid competit generi competit speciei: morbus est genus febris: sicq; quicquid competit morbo, id competit febri: sed morbus est dispositio, ut etiam Galę. diffinit ipsum iu primo de differentijs morborum, Mor=

bus eſt diſpoſitio præter naturam in humano corpore im mediate per ſe primo lædens operationes naturales: ſi eſt diſpoſitio, ut Gal. *ponit pro genere in diffinitione: ergo in prima ſpecie qualitatis. igitur de primo ad ultimum febris eſt in prima ſpecie qualitatis, & eſt diſpoſitio, ut genus proprium:* Tamen Veteres Medici, *& noui omnes dicunt febrem eſſe calorem, & diffiniunt ipſam per calorem, ut genus, non quod febris ſit calor, ſed quia calor eſt quædã ut ratio formalis, & proxima cauſa ad quam ſequitur ægritudo, & diſpoſitio præter naturam: quando calor naturalis à naturali mutatur ad igneum, ſtatim, & immediate ſequitur diſpoſitio illa ægritudinalis, quæ eſt principium actionis læſæ, & ad quam primo & per ſe ſequitur læſio operationum: illa diſpoſitio eſt uerus morbus & febris.* At *quoniam iſta diſpoſitio latet, & oculta eſt nobis, calor febrilis igneus proxima cauſa febris, & proxima ſuæ rationi formali ſtatim percipitur. idcirco accidit, ut* Medici *rationem formalem febris dixerint eſſe calorem, & per calorem diffinierint ipſam, non quod uere ſit calor, ſed quia uidetur eſſe ita proxima cauſa, ut operationes per ſe primo offendat, & impediat: ſunt modi quidam loquendi, quando occultæ ſunt rationes, & differentiæ rerum: appelletur quomodolibet ſi res diſtinguatur, & recte intelligatur.* Febris *eſt diſpoſitio præter naturam lædens primo per ſe actiones naturales, quæ proxime efficitur à calore, calor eſt proxima cauſa febris, dicitur morbus, quia uidentur lædi operationes immediate poſito calore præter naturam.* Redeundo *igitur ad rem caute proce-*

datis,

datis, Dico uniuersaliter non magis de febre, quàm de alijs, quod morbus, & hoc dico propter Sophistas, ut permittatis decipulationes, & earum nugas, quas si legeritis non poteritis extricare uos à suis philaterijs, Dico inquã quod morbus uniuersaliter quando apud medicos dicitur materialis compositus ex materia, & forma, non intelligitur componi, ut homo componitur ex anima, & corpore, ut partibus eßentialibus, & substantialibus, ita ut habeat formam, & actum substantialem coniunctum materiæ: sed appellatione materiæ intelligimus causam, ut humorem, a qua immediate pendeat ægritudo, & cui inhæret forma huius ægritudinis, quæ proprie ab istis, & à philosophis materia in qua appellatur, in qua inest proxime morbus, & à qua immediate dependet, ut in suffusione oculorum dicimus oppilationem esse formalem rationem, materiam uerò dicimus esse illam aquam, quæ intercidit inter pupillam, & tunicam corneam oppilantem spatium intermedium, illa non est uera forma, hæc non est uera materia, sunt causæ, à quibus dependet læsio uisionis, & quia hæc est humor aqueus corpulentus dicitur materia morbi, à qua dependet immediate oppilatio illius spatij. eodem modo in febre putrida, quando dicitur, quod humor putridus est sua materia nõ intelligatis ueram materiam, ex qua componatur, neque calorem ita esse formam, ut det actum materiæ, & faciat unum per se, sed est proxima causa dispositionis, quæ uocatur febris, & hæc non est forma, sed accidens, & qualitas de prima specie, quæ inhæret huic materiæ. Hæc dico propter sophistas, qui quandoq;

retrahunt nos, & retorquent à recta uia, & cogunt à ueritate deflectere hos, qui ignorant Dialecticam: propter ea ne miremini, si quãdoque à proposito discedimus, tot nugas proponunt, ut oporteat immorari ad depellendas eorũ cauillationes, ne decipiant iuuenes nostros: quẽ admodum & Gal. sæpißime facit contra sophistas suæ ætatis; Dixiq; ista, ut cognoscatis, quid per materiam, & formam morbi intelligamus, maxime uos qui nõ estis admodum exercitati in hac arte. His ita determinatis, & distinctis ueniamus nunc ad particularia, postq̃ hactenus fuimus in rebus uniuersalibus, ut omnes habeant suam partem, & poßitis etiam exerceri in particularibus, & in curationibus morborum: ponamus exemplum, uideamus omnes causas, & indicationes, quæ ab illis sumuntur, ut tandem accedamus ad propositum, & uideamus particularẽ curationem nostri patientis. Accipiamus tertianam simplicem, & inquiramus causas onmes tertianæ: in tertiana est causa formalis & coniuncta, uel materialis, est & causa efficiens, & antecedens. Quæ igitur est causa antecedens in tertiana? Est humor cholericus, biliosus, qui in uenis continetur, efficiet quidem, sed non actu efficit; quia humor nondum putruit, est in uentriculo, & in uenis in multa copia paratus, ut proxime putrescat, non tamen putruit: hæc est causa antecedens absolute, humor ille biliosus non putridus, qui cum putrescit, iam est causa efficiens, ista est causa antecedẽs, non tamen causa immediata proxima, imo si non putrescet, ut quandoque contingit non erit efficiens causa: Vt in exemplo habemus ab Hip.

& Gal.in ſeptimo Aphor. Vbi loquitur de inguinibus, & de bubonibus, qui fieri ſolent circa inguina: Dicit Hippoc. quod ſi febris putrida ſequatur ad bubonem eſt malum: ibi in commento ait Gal. quod cum in bubone ſit humor putridus, ſi ab illo uapores eleuentur, & per partem poſt partem ſucceſsiuè deducantur ad cor, & cordis humores inficiant, et ponant in calefacto eſſe; unde ſequatur febris eſt malum; Signum eſt malum eſſe apoſtema, & abſceſſum bubonis: ſed ſi ephemera ſequatur nõ eſt ita malum, eſt bonum dicit Hippo. non eſt tam malum apoſtema. ideo uidetis quod bene poteſt putreſcere humor in abſceſſu bobonis, tamen non aſcendant, nec petant cor, & faciãt febrem putridam, calor non ſucceſsiuè perueniat ad cor, & ita calefaciat, ut diffundatur per totum corpus præter naturam: unde ſequatur læſio in operationibus naturalibus, quia ſi nõ læderentur operationes, non eſſet morbus: neque enim, ut bene dicit Gal. quælibet calefactio corporis eſt febris, ut calefactio facta ex motu, exercitio, laboribus, & corporis agitatione: uel ex acceſsione, & approximatione ad rem actu calidam: illa calefactio eſt uere febris, qua poſita læduntur operationes naturales ipſius animalis: febris eſt diſpoſitio primo & per ſe lædens actiones ſecundum naturam. cauſa igitur antecedens eſt humor, qui eſt in uenis, & uentriculo non actu putreſcẽs, ſed proxime efficiet febrem: Eſt & quidam humor, qui putreſcit, et partim effecit febrem, partim efficit continue putreſcendo, & hæc uere, & actu dicitur cauſa efficiens: efficit partem febris non totam, Eſt & tertia cauſa, quæ

nihil

nihil amplius effecit, quiescit, iam effecit febrem. uapores inquã putridi eleuati ab humore putrido, qui petunt cor, & miscentur cum humoribus cordis ponentes ipsos in calefacto esse immediate febrem excitant, & quamdiu fuerint in corde, tam diu perseuerabit febris, effecerunt, non efficiunt, sed conseruant: Et ita habetis tres causas huius febris tertianæ, quæ eædem sunt subiecto: semper est idem humor biliosus, differunt ratione, quatenus una efficiet, cum putrescet non est proxima causa, & hæc antecedens dicitur, quatenus humor idem actu putrescit, partim efficit, partim effecit, dicitur efficiens: tertio quatenus humor in uapores putridos eleuatus ad cor ponit febrem, & effecit, conseruat nunc in esse febrem coniuncta causa est, qua remota remouetur febris, remotis putridis uaporibus remouetur febris, subiecto idem humor, ratione differt: singulæ harum causarum in corpore humano dant suas proprias indicationes. Quando medicus accesserit ad ægrum putrientem tertianam ista tria considerabit, ut remoueantur, quia remotis his putat febrem remouendam esse. Et quoniam, ut scitis, medicus semper in quacunque sua operatione imitatur naturam, quæ nihil temere facit dico medicus sapientißimus non quicunque imperitus, rationabiliter artẽ exercẽs: in tertianis scitis quid fiat? primo in principio paroxismi uidebitis, quod natura expellit multã materiam per uomitum, et materiã quidem biliosam, uulgò dicunt Vomuit choleras, & hæc materia cholerica non est putrida, nec habet odorem putridum, uel saporem, est mera bilis sine putredine, ista est causa, quæ dicitur antecedens

cedens causa febris tertianæ. Medicus doctus, & diligens hoc animaduertens imitatur naturam, quæ est sagax, & prouida agit ex proposito non temere. Natura inquam indicat, quod debeat medicus euacuare etiam in principio morbi, quoniam & si materia hæc biliosa non sit putrida, tamen proximè putrescet, & faciet febrem, nisi prouideatur, & remoueatur à corpore: Et hæc indicatio sumpta à causa antecedente materiali est præseruatio simpliciter: indicatio autem ista præseruandi sumpta est ex actione naturæ, quæ expellit materiam, & præuidet, ne incurrat febris, præcauet periculum morbi futuri. Medicus uidens operationem naturæ præseruat, & præcauet à morbo, & à febre expellendo multam materiam in principio, quæ nondum putruit, sed est in uentriculo, & proxime putresceret: Hæc est una indicatio medici à causa antecedente. Deinde quid agit natura? Natura quæ recte procedit, & quod offendit uult superare, recte operatur: nam post impetum, & eiectionem choleræ per uomitum uidebitis in tertianis, quod homines egerunt multam bilem putridam cum fœtore, & putrido odore, & hoc est signum à natura factum manifestißimum putredinis in ea materia, ista est materia & causa efficiens, quam expellit natura, ut simul & tollat febrem, & præseruet à febre. Medicus uidet operationem naturæ, statim & ipse uult eam imitari, & quid facit? euacuat materiam putridam actu efficientem, & hæc operatio præseruatio est mista cum curatione, simul curat, & præseruat, ut notabat Gal. in ix. Therap. indicatióque dici potest &

præ-

præseruatiua, uel curatiua: utroque modo inquit Gal. nihil refert appelles hoc, uel illo modo: quia ambigit inter utrunque extremum, & participat de natura utriusque extremi. quod participat de utroque extremo indifferenter potest appellari nomine alterius extremorum, ut utriusque naturam participat. Cum ergo ista indicatio media sit, & ambigat inter prophylacticam, & Therapeuticam, utriusque extremi naturam participans potest etiam sine ullo discrimine appellari nomine huius, uel illius extremi, ita ut dicatur prophylactica, uel præseruatiua, aut Therapeutica, idest, curatiua à Latinis, cura sit in medio, & mista ex extremis utriusque naturam participat, & nomen potest participare: Appelletur quomodolibet, Res est ista, quòd egeritur materia putrida, quæ actu efficit febrem, & partim putrida est, partim non putrida. Natura quoque sagax, ut expellat quod sibi molestum est febrem tertianam in fine paroxismi expellit materiam per sudorem. Vnde obseruatum est à Medicis, & uos quotidie uidebitis in particularibus tertianam simplicem terminari per sudorem, hoc perpetuum est in tertiana. Non cessat natura & si euacuata sit materia, quæ stat sub forma causæ antecedentis, & causa efficiẽs, quoniam adest causa materialis, & coniuncta non remouebitur febris, nisi & hæc auferatur, quæ iam effecit, non amplius efficit, donec ista remãserit, perseuerabit febris: sed cum sudat, & materia ista propinqua tenuis, siue uapores putridi expelluntur à cute per sudorem, statim tollitur morbus, idest, febris. idcirco dixi tertianam termina

ri per ſudorem,non fit ſudor,niſi in fine paroxiſmi,quia ſemper uerum eſt quod ablata cauſa coniuncta morbi aufertur morbus,qua remanente remanet morbus. Medicus uidet hanc actionem naturæ,ideo conſiderat cauſam coniunctam, & materialem tertianæ à qua ſumitur uera indicatio curandi,non amplius præſeruandi,efficit, non efficit : ſola expulſione indiget , ut curetur febris , ſumpta hac indicatione, quæ uere curatiua eſt, euacuat materiam hanc coniunctam. Videte quomodo tria operatur natura in paroxiſmo tertianæ, ut omnino febrem ſuperet. Vos qui eſtis, & uultis eſſe optimi medici imitatores ipſius naturæ debetis hoc pacto procedere, & per tres indicationes aggredi curationem febris tertianæ, quod de tertiana dictum eſt, idem intelligatis in alijs morbis, & ægritudinibus pendentibus à materia. primo euacuat materiam antecedentem in principio paroxiſmi per uomitum, & hæc eſt ſimplex præſeruatio : Secundo efficientem expellit per ſeceſſum egerendo, & hæc eſt operatio miſta, quæ poteſt dici altero duorum modorum uel προφυλακτικὴ, uel θεραπευτικὴ, ideſt, præſeruatiua, uel curatiua : Tertio & ultimò per ſudorem expellit proximam cauſam, & materiam coniunctam immediatã in fine paroxiſmi, qua remota à corde terminatur paroxiſmus, & hæc eſt ſimpliciter curatio: ita natura procedit in remouendo cauſas tertianæ, ut primo præſeruatione & præuiſione utatur, deinde præuiſione ſimul, et curatione: Tertio & ultimo curatione. Vos etiam debetis illam imitari, ſi illa recte procedit, & ſoluit febrem, Vos

quo-

quoque ſoluetis, & remouebitis non diſcedatis ab iſta uia: iſtud eſt uerum iter, & fundamentũ, à quo ſumitur quid agendum, & alia limitantia, & quatuor dirigentia quantum, quomodo, & qua Arte, quando, & in quo loco, ubi, quæ omnia poſtea docebimus ſingillatim quomodo ſumantur, & ita ſingulis diebus habebitis aliquid noui circa iſta, nõ diſcedemus ab his non omnia in uno caſu docenda ſunt, ſingula examinabuntur. Nunc uerſamur circa primum, & uolumus inquirere quid agendum in hoc uiro. Redeundum eſt igitur ad Philiſcum, qui habet febrem putridam malignam: Cauſa huius erat humor craſſus, biliosus, qui intra uenas putreſcebat: Vultis curare hanc febrem? Scitis indicationes, & ueſtra dirigentia ex modo, & proceſſu naturæ in operando, ut paulo ante diximus, eo modo & uos procedetis. Permittamus nunc prognoſticum, quoniam in præcedentibus diebus, et primis per ſigna manifeſtiſsima, quæ peßima erant colligebamus neceſſario moriturum, & non modo moriturum, ſed cito moriturum, ut audiuiſtis: unuſquiſque poterat hoc præſcire, utinam eſſet tam facile prognoſticari in quocunque morbo. præmiſſa ergo prognoſticatione aßiſtentibus, ut dicebamus ſuperius, quod moriturus ſit, ne quid uobis imputetur ſi quidpiam contigerit, quod ægritudini ſit imponendum, & ut famam acquiratis, præmiſſa hac prognoſticatione accedatis ad curationem morbi. Eſt autem morbus febris putrida maligna, non poteſtis remouere febrem, niſi remotis cauſis febris, cauſæ ſunt quædam materiales, à quibus dependet, quoniam ut di-

dictum est, habet materiam putridam, ista materia sunt tres humores: ergo sunt remouendi. primo sunt uapores putridi eleuati ab humoribus putridis intra uenas, qui pe tentes cor non modo calefaciunt humores cordis, quibus cum miscentur, sed & quod magis est, quia pestilens, putrefaciunt, & putredine summa inficiunt: cum hæc sit materia proxima coniuncta huius febris medicus debet remouere uapores putridos, & humores putrefactos in corde: non remouebitur febris maligna, nisi hæc causa immediata remoueatur. ideo constituetur una indicatio curatiua, ut remoueatur materialis causa: Non poterit medicus remouere illos uapores, nec humores putridos, nisi prius remoueat humores, qui actu putrescunt in uenis totius corporis, à quibus eleuantur uapores putridi, qui sunt causa proxima, & immediata febris pestilentis. Bene prima indicatio, & summa est, ut remoueam putridos uapores & humores cordis: sed nolo, quia Ego non possum remouere hos humores, nisi prius remoueantur humores putridi in uenis, à quibus dependent isti uapores. duplex erit indicatio hactenus: una quidem simplex, quæ est ut tollantur uapores putridi, & humores corrupti, & ista respicit immediatè causam coniunctam, ut remoueatur morbus, qui est febris pestilens, remoueturq; remota hac causa immediata: secunda est mista ex curatione, & præseruatione, cum illa prima sit simplex curatio: sed non potest tolli causa efficiens, non possunt tolli humores corrupti, à uenisq; educi, nisi euacuem primo: & remoueam humorem, qui nondum putruit: illud quod reliquum est de

massa sanguinis minime putrefactum, & est causa antecedens simpliciter, & ita indicatio erit ab humore non putrido præseruandi simplex: præseruabo nanque, ne putredo fiat in hoc humore: Euacuabo humorem, qui nondum putruit, ne putrescat, & augeat causam efficientem consequenter, & coniunctam. Hac euacuatione duo bona faciam: primo rarius reddetur corpus: secundo præseruabitur, ne hic humor putrefiat. primo quidem rarefaciendo corpus meatus aperientur, & dilatabuntur, humores & calor naturalis euentabitur, ex euentatione prohibebitur putredo. scitis quemadmodum putredo fiat propter prohibitam transpirationem, & ex obstructione meatuum. Si ergo tollatur humor, qui sua qualitate, uel quantitate prohibet transpirationem, aperiuntur meatus, fit debita transpiratio, facta transpiratione, & euentatione putredo prohibetur: credo quod intelligatis, si putredo fit propter obstructionem, ex qua calor euentari non potest, ablata obstructione non est occasio ad putredinem, remota occasione putredinis fit præseruatio à putredine. ergo euacuando humorem nondum putrescentem ista bona fient, non putrescet, nec augebitur causa efficiens febris: putredo quoque prohibebitur. Vnde uidetis quod ea, quæ euentantur quoad euentantur non putrescunt: uel difficillimè putrescunt. Cum ergo per discursum uidero has tres causas uapores putridos, & humores cordis, secundo humores, qui actu putrefiunt in uenis totius corporis, tertio humores, qui nondum putrescunt: & si massa sanguinis dicatur putrescere, non tota putrescit: neque enim staret uita

ta, Ego qui uolo remouere febrem pestilentem, remoue-re etiam intendo has causas, quarũ remotio est totius morbi curatio: à singula sumpta indicatione primo intendo euacuare uapores, & humores putridos in corde: deinde eos qui intra uenas putrescunt, tum etiam eos, qui nondum putrefiunt: id quod primum intendo, debet esse ultimum, quia non remouebo uapores, nisi prius remouentur humores putridi, à quibus continue eleuantur, isti non possunt tolli non ablatis humoribus, qui sunt, ut antecedens causa. ergo incipiam ab his: Et primum quod faciam euacuabo humores non putrescentes. Et sic quod primum fuerat in resolutione, erit ultimum in executione, ascendam ab euacuatione causæ antecedentis ad euacuationem causæ efficiẽtis: postremo ad tollendam causam coniunctam, & quod ultimum fuit in consultatione, & resolutione primum erit in operatione: operatio est quædam compositio, ubi desinit resolutio, incipit compositio: desinit autem in operatione. ergo incipiendum ab operatione, ubi desinit compositio ibi incipit resolutio: ut duæ sint uiæ procedendi opposito modo. per resolutionem, & discursum inuenimus euacuandos esse humores, qui non sunt corrupti actu: incipiendum est ab eorum euacuatione, quomodo faciam? Duo sunt instrumenta, quibus potest hoc fieri: uel possum pharmaco soluente procedere, uel sanguinis mißione: his duobus fit uera & per se euacuatio: Vtrum conuenit in Philisco? Debetis repetere memoria, quod dicebamus superius, scitis adesse febrem pestilentem, malignam ex putredine maxima, cum putrescat massa sanguinis intra ue-

nas: Materia, quæ à prædominio peccabat in isto, erat bilis crassa, uitellina: idcirco dicimus fuisse febrem à putredine humoris craßi biliosi, ut audiuistis. Sciuistis regulam illam Gal. ex quarto de tuenda sanitate, quam debetis semper memoria tenere: Quando uis euacuare fac prius consideres, quinam sint humores in corpore: si fuerint craßi, rebelles, & multum recedentes à natura sanguinis; sicut pituita crassa, putrida, uel bilis uitellina, tunc potius euacuare oportet, quàm mittere sanguinem. exposuimus aliàs quid per euacuationem absolute intelligatur, inanitionem per pharmacum soluens, sed quando fuerint cum sanguine misti, nec multum à natura sanguinis distant neglecto pharmaco debetis mittere sanguinem: Quia bilis uitellina non multum rebellis est, & distans à natura sanguinis, in euacuatione facienda oportet eligere mißionem sanguinis ante pharmacum. Eligatis quoque mißionem sanguinis in primordijs morbi huius alia ratione, quoniam materia, quæ intra uenas existit, cruda est minime concocta, non separata à natura, non licet pharmaco euacuare crudam, & inconcoctam materiam. Est Aphoris. qui hæc testatur: Concocta medicari, atque mouere non cruda, neque in principijs &c, apud Hippoc. Non potuit eligi in hoc casu melius, nec præstantius instrumentum ad euacuandam materiam antecedentem mißione sanguinis, præsertim cum dicat Gal. si humores euacuandi sanguini permisti sint, sanguinis mißione, & uenæ sectione commode euacuantur: si separati pharmaco soluente. Hæc est operatio præseruatiua, & indicatio præseruandi sumpta à cau-

causa antecedente: Nam cum remouetur causa antecedẽs, & humores propinqui putrefactioni, dicitur à Gal. præseruatio, maxime cum proprie loquitur, phlebotomia ad præseruandum in hoc casu præmittitur, licet quandoque confundat ista Gal. & modo curationem, modo præseruationem appellet, ita tamẽ res est, ut dictum est: sicut à causa antecedente præseruatio sumitur, ita curatio à causa coniuncta materiali, & proxima morbi. Quod esset mittendus sanguis causa antecedens indicabat, & omnia indicabat: Erat tertio aliud, quod hoc indicabat. Vbi morbus magnus est, indiget phlebotomia, ut inquiunt medici: Est febris acuta, magna, & sæuißima symptomata: indicatio sumitur etiam in principio morbi, quando est acutus, & magnus dicebat Hippocr. tria consideranda in phlebotomia præcipuè, uirtus nunquid ualida, uel infirma: morbus an magnus, uel paruus: & ætas. Hic habemus febrem, & morbum magnum: Dixit primo die inuasit febris acuta cum enumeratis accidentibus. quid peius? habemus præter magnitudinem morbi præsentem, quod erat etiam futurus magnus, ita intelligebat Hippocr. in morbo magno mittendum esse sanguinem. Dicit Gal. magno, uel futuro magno: hic utrunque erat & magnnus, & futurus magnus: Vnde uidistis omnia deterius habuisse, & febrem inualuisse in sequentibus diebus: si intentio est mittendi sanguinem, quando est simpliciter magnus, uel solum futurus magnus, quanto magis erit intentio, quando ambo simul sunt, morbus magnus est, & futurus magnus. Ætas etiam indicabat, idest, non prohibebat mißionem sanguinis. Au-

diuistis quod erat prouectus in ætate, non puer, & licet esset prouectioris ætatis, non propter ea senex circa 70. uel 73. annorum in qua ætate non est amplius intentio mittendi sanguinem, non erat ita senex, ut ætas prohiberet mißionem sanguinis. Dicunt medici in ætate puerili, & senili tantum prohiberi: iste uir erat prouectus, non senex, in ætate consistenti, propterea quoad ætatem pertinebat, stabat indicatio mittendi sanguinem: Virtus prohibebat omnino, licet ætas & morbus conuenirent, quia ad phlebotomiam requiritur uirtus fortis, & ualida, ut dicit Hippoc. & cum eo Gal. in Philisco uirtus imbecillima, & in extremo ferè debilitatis erat. Ergo licet starent duo indicantia, non debebat fieri phlebotomia contra indicante uirtute; extracto sanguine uirtus deijceretur: signũ quod haberet uirtutem debilem est sumptum & à causa, seu à priori, & à posteriori tanquã ab effectu: A priori quidem, quia ubi est pestilens, & maligna febris putrescunt omnes humores: ergo uirtus debilitatur, nec potest esse ualida. Valet argumentum, & consequentia apud doctrinam Gal. Hic est febris pestilens: ergo non stat uirtus: hoc perpetuum est in pestilentibus. Amplius ualet argumentum, ubi pestilens febris, humores putrefiunt omnes proportionaliter: ubi putrescunt humores, uirtus nõ est ualida, quomodo constabit uirtus ablato fundamento uirtutis, uirtus est in calore naturali, & in spiritibus: ubi non sunt spiritus, ibi non est uirtus: sed spiritus ex humoribus bonis, & naturalibus generantur. ergo humoribus existentibus præter naturam spiritus non generantur,

con-

consequenter non constat uirtus. Et ita in doctrina Gal. à priori ualet consecutio, quod non potest stare uirtus in pestilentibus. in Philisco erat febris pestilens: ergo non poterat esse ualida uirtus. A posteriori modo, et à signo, & ab effectu consequente: Non potuit pertransire sextã diem: Silenus tamen perdurauit usque ad x. in xi. defunctus est cum haberet peiorem ægritudinem, & sæuiora omnia, uel saltem æqualia; Non alia de causa, ut dicit Gal. in commento, nisi quia in Sileno uirtus erat ualida, quæ potuit sustinere ægritudinem, licet magnam usque ad decimam: si fuisset debilis, tantum abest, ut pertransiret decimam, quod mortuus esset etiam in sexta, uel citius. Erat iuuenis, robustus, sanguineus. At Philiscus prouectus, & imbecillioris uirtutis non potuit tollerare diutius. Cũ ergo tria in phlebotomia sint perspicienda; duo quidem morbus, & ætas requirebant mißionem sanguinis, sed uirtus, quæ principalior scopus est contrà indicabat, prohibebatq; phlebotomiam: in his contra operantibus, & contra indicantibus quid faciendum? cui attendendum? certe alterum faciendum est aut mittendum, aut non mittendum: Debetis in hac contrarietate esse diligentes, & debetis habere præceptum Gal. in mentibus uestris, quod ille semper considerabat maxime in tertio, & ix. Therap. oportet considerare dignitatem indicantium, & attendere digniori, quod magis refert pro uita. Virtus non semper indicat, sed quandoque indicat, quandoque non: intelligo quod uirtus semper quidem hoc habet, ut conseruetur, si adest, nunquàm uult remoueri: sed hoc supponitur: si uir-

tus ualida fuerit, medicus attendit soli morbo: Quod si uirtus non fuerit robusta, etiam neglecto quandoque morbo oportet attendere uirtuti, quia, ut dicit Galen. omnium operatrix est natura, infirma uirtute morbus remoueri non potest: Sed nunc est morbus magnus, cui si non attendatur forte interficiet, est & uirtus debilis, oportet uniq; necessariò attendere, quodcunque negligatur malum est, quid agendum? Procedendum est eo modo, quo docet ille idem Gal. in eo 9. Therap. Medicus prudens uisa utraq; indicatione & quæ à morbo magno, & quæ à uirtute infirma cautè procedit, & utrique uult partim satisfacere nulli perfecte, partem euacuabit pedetentim, & interim nutriet: iterum euacuabit, & renutriet, & sic deinceps euacuatione morbo satisfaciet, nutritione uirtuti: Et ita utetur contemperantia, quam ipse uocat ἐπίκρασιν, renutrientia cum euacuatione. in Philisco non erat tempus, quo possemus ita procedere, morbus acutus est, non dat inducias, non oportet immorari. Quare in hoc casu quicquid uultis facere? expediatis in principio præmissa prognosticatione, & protestatione, ne quid uobis imputetur: debetis mittere sanguinem, sed parcè: ita utrique contra indicanti satisfacitis, mißione sanguinis, quia morbus magnus: parcè, quia uirtus imbecilla, quæ uirtus consistit in sanguine: si extrahatur non poterit esse ualida: mittetis sanguinem parcè, Et quidem in prima die morbi, uel saltem ante quartam: melius tamen est in prima, robustior est uirtus, quia, ut dicit Auic. in prima quarti in cap. de febribus pestilentibus. Et tu debes phlebotomare ante quar

tam

tam, quoniam transacta quarta non erit amplius intentio ad mittendum sanguinem. scitis rationem? Virtus non stabit, & quanto magis procedimus, tanto magis debilitatur. ideo dum est fortis, intentio est phlebotomiæ: sed animaduertatis, ut seruetis commune Medicorum præceptū, Anteq̃ phlebotometis, euacuare ea, quæ sunt in intestinis, in uentriculo, & in primis uenis cum aliquo leniente. Videte q̃uo deduco uos ad particularia, et ad extremā operationē, et dirigo uos in praxin. Lenietis aluū prius, et hoc primum, quod facietis cum aliquo leniente educente materias, quas nostri recentiores uocant materias communes, crudas, quæ sunt in primis uijs, ne phlebotomia trahantur intra uenas, & ad hepar, & fiant obstructiones: lenita aluo in prima die statim cū māna, aut Thamarindis. Sed notate unum, ut caueatis à Caßia, & si sit medicina benedicta, in pestilentibus est peßima, quia humefacit, habet multam humiditatem: hic autem requiritur exiccatio, non humectatio, cum uelimus remouere putredinem, quæ fit propter superabundantem humiditatem: Contraria contrarijs curantur: sicca sunt exhibenda, Dimissa Caßia apud me magis laudatur decoctū Thamarindorum, cuius usus apud me magis dilectus est, quia cum hoc quod leniunt Thamarindi non humectant, sed sunt paulo sicciores: Cum hoc decocto ponatis syrupum rosatum solutiuum, qui maxime diligitur in febribus pestilentibus: Euacuat humores adustos, & confortat cor, & calorem cordis: præterea euacuare habet humores corruptos, et maxime putrefactos: cuius rei signum est illud, quod

quando exhibetur euacuat humores ſpumoſos, ebullientes, putridos, et maxime fœtidos, qui ſunt in matella. Lenita dico aluo mittetis ſanguinem, in prima non poteſtis, quæ iam tranſacta eſt: in ſecunda non poterat fieri phlebotomia in hoc uiro, quia fuit exacerbatio febris, ut audiſtis in acceßione non licet phlebotomare, nec euacuare: ergo in tertia debuit fieri phlebotomia. At hoc non erat faciendum in Philiſco, qui proximus erat morti, quicquid egiſſetis ſemper moreretur, quicquid moliremini, omne id uanum eſſet: Nam ſi non potuit euadere, nec curari in manibus Hip. qui erat unus ex proceribus Medicinæ, quanto magis creditis, quod moreretur in ueſtris? Bene ſciuiſſet Hip. mittere ſanguinem: ſed quid iuuiſſet? actū erat, magis actum eſſet in manibus ueſtris: Tamen uidetur oppoſitum, mortuus eſt in ſexta curante Hip. in manibus noſtris non uult mori etiam in xx. diebus.

In curando Philiſco inueniebantur indicationes circa curationem ipſam, quid agendum eſſet, Relictis cæteris omnibus conditionibus limitantibus hanc indicationē uerſabamur in tota explanatione tantum circa hanc permittendo quantum, & quomodo agendum, & cæteras limitationes, quæ ad omnes rectas actiones pertinent. Dicebamus quod medicus imitatur naturā, et facit idem in ſuis operationibus, quod natura facit: quoniam omnis morbus, qui à materia dependet plerunque, imò ſemper materialem cauſam coniunctam habet, quæ effecit, non efficit amplius, & eſt ſubiectum, cui immediatè inhæret, & à

quo

quo conseruatur: est altera materia actu efficiens morbum, & ita est causa, ut partim efficiat, partim effecerit: Est alia, quæ est antecedens, & hæc non effecit, nec actu efficit; sed apta est, & factura morbum, nisi impediatur, & prohibeatur ipsius actio. prima causa, & proxima febris sunt uapores putridi immediate facientes febrem; si putrida, ponentes humores cordis incalefacto esse: si pestilens, ut erat ista putrefacientes etiam humores cordis, à quibus ut à causa materiali dependet, qua posita ponitur febris, & qua remota remouetur: si non remoueantur hi uapores putridi, nunquam remouetur febris: & cum primum in corde positi fuerint, sequitur febris. Alia causa est quæ partim effecit, & partim actu efficit, & est putredo, uel humor actu putrescens. Causa antecedens non actu efficiens, effectura tamen febrem, nisi impediatur, est humor, qui nondum putruit, sed est paratus ad putrescendum, ut proxime putrefiat, nisi prouideatur. Dedimus exemplum in febre tertiana, & has singulas causas patefecimus: ostendimus quomodo remouendæ sint: Dixique procedendum esse eodem modo, & eadem uia in Philisco, & inuenimus ista tria, quæ remouenda sunt. neque uerò potest remoueri causa coniuncta, quæ effecit, et nunc fouet febrem, nisi prius remoueatur causa efficiens, & antecedens, & indicatio ab illa sumpta dicitur simpliciter absolute curatiua, operatio est simplex curatio, cum remouemus causam materialem, uel coniunctam propriè curamus. Dicebamus quoque tollendam esse causam efficientem, quæ partim effecit, partim efficit; cum partim

pu-

putruerit, partim putreſcat ab hac media, & miſta materia ſumitur media quædam indicatio, quæ dici poteſt curatio, & præſeruatiua operatio, præſeruatio, uel curatio, ut etiam teſtatur Gal. Antecedens tertio remouetur non efficiens, non materialis, ſed effectura, niſi impediatur: ideo indicatio, quæ ſumitur ab iſta cauſa remouenda præſeruatiua eſt ſimpliciter, operatio eſt ſimplex præ ſeruatio, præſeruamusq́;, ne humor, qui nondum putruit, putreſcat, & febrem augeat. Non poteſt ergo tolli febris tertiana non ablata cauſa coniuncta, hæc non poteſt remoueri, niſi remota cauſa media efficiente, quæ eſt humor actu putreſcens, à quo eleuantur uapores putridi petentes cor, humor putridus intra uenas exiſtens remoueri non poteſt, niſi prius ablato humore, qui nondum putruit, neque putreſcit, ſed poſtea putreſcet. ergo de primo ad ultimum non euacuabitur materia coniuncta, neque febris tolletur non ablata cauſa antecedente, à qua eſt incipiendum in operatione, & ſi ultima ſit cauſa in inuentione per reſolutionem finis: Et conſequenter medicus incipit à præſeruatione quadam, ut remoueat hunc humorem nondum putridum, ne putreſcat, & ut poßit auferre proximam cauſam febris. bene intelligatis, quando dico, quod non poteſt tolli cauſa propria febris non ablatis his, intelligo ut Gal. intelligit, qui quandoque dixit quod cauſæ quædam ſunt propriæ cauſæ morbi, à quarũ ablatione aufertur & morbus: quædam ſunt, à quibus morbus non dependet, ſed ut ipſe inquit, ſunt cauſæ ſine quibus non, & ſunt cauſæ præſuppoſitæ, ideſt, quod pro

priæ

priæ causæ non tolluntur non ablatis his prius: propriæ causæ præsupponunt communes remotas: non possumus remouere causam coniunctam, nec curare morbum, nisi istæ remoueantur. ergo sunt causæ ex quarum ablatione aufertur morbus, idest, sine quibus non remouetur, quia si ne his non tolluntur propriæ causæ. Sed quænam est causa putredinis? Audiatis eam, dicit Arist. in 4. Meteororum quod putredo fit propter redundantiam humidi, quando humidum abundat in aliquo subiecto, & calor naturalis misti debilis existit uel propter redundantiam humidi, uel propter debilitatem caloris naturalis, idest, aut ratio formæ, aut ratione subiecti & materiæ, & intelligo nūc quod calor ille sit forma subiecti, in quo est, sicut quandoque etiam Gal. appellat calorem formam misti. Ratio formæ igitur, idest, ratione caloris natiui dupliciter, aut quoniam calor naturalis ita debilis, & paucus, aut extinctus, ut dimittat humidum extrahi ad exteriora misti à calore præter naturam: Quandoque calor potens, & ualidus est, tanta tamen est humoris copia, ut ab illo suffocetur, & non poßit humorem regulare, nec gubernare cum tamen in se ipso ualidus sit: uitium non est ratione formæ, sed caloris, qui se tenet ex parte formæ, sed ratione materiæ & subiecti, quod non potest regulare. Sicut quandoque dicimus concoctionem uitiatam esse non ratione caloris, qui in seipso fortis est, sed ratione subiecti concoctioni rebellis, ut quando non concoquitur os cerasi in uentriculo hominis, & si calor sit ualidus non concoquitur, quia non est aptum concoctioni, nec

po-

poteſt concoqui à calore: Si eſſet materia apta ad concoctionem, concoqueretur: calor agens eſt ualidus, oportet ut paſſum ſit proportionatum, non quodlibet agit in quodlibet. Duobus his modis dicimus calorem eſſe cauſam putredinis, uno modo quia in ſe debilis eſt, alio modo propter humoris redundantiam. in hoc morbo erat facta putredo primo quidem propter humores, & propter plenitudinem, quæ fiebat ex multitudine ipſorum humorum, aggregati fuerant multi humores, & conſequenter facta plenitudo, quæ multitudo humorum cum ſuperaret calorem naturalem, qui etiam in ſe debilis erat & infirmus humores non poſſunt regulari, nec gubernari à calore non ſuperſtite: unde coguntur putreſcere accedente calore non naturali, qui extrahit humiditatem ab interioribus ad exteriora. uitium eſt in ipſo calore, quia debilis: & in ſubiecto, quia magna copia humorum, humidum pollet ſupra caliditatem non ſuperſtite calore, repletisq; uenis humorum multitudine dilatari non poſſunt, conſtringuntur, & obſtruuntur meatus, calor ſuffocatur, & non euentari poſſunt arteriæ, in quibus ſpiritus continentur, coarctantur à uenis, quæ repletæ ſunt humoribus. præterea meatus obſtruuntur tum ratione multitudinis, tum ratione craßitiei. quo fit ut calor non euentatus non poßit humores regulare, ſpiritus non poſſunt penetrare per totũ corpus, nõ regulati putredini dimittuntur. Aut ergo propter calorẽ, aut propter redundantiã humorũ putrent. Facta euacuatione huius redundantiæ humorum duo iuuamenta ſequentur, ut ex ipſius præ-

ſen-

ſentia duo naſcebantur nocumenta, & impedimenta. primo quidem humor, qui redundat euacuabitur, & melius calor poterit gubernare, & regulare minorem quantitatem, corpusq; reddetur euentabile, & tranſpirabile, ut calor innatus, & ſpiritus euentari poßint, quibus euentatis putredo prohibetur. Audiuiſtis quod putredo fiebat ex prohibita tranſpiratione: ſi dilatabuntur, & aperientur meatus, fiet tranſpiratio, facta tranſpiratione non erit putredo. Videte, quomodo non poßumus remouere putredinem, quæ eſt cauſa febris, niſi remoueatur humor nondum putridus cauſa ſine qua non: iſta eſt uere cauſa, ſine qua non poteſt tolli putredo, ſi non tollatur, obſtructio tolli non poteſt, non ablata obſtructione putredo nõ auferetur. ergo de primo ad ultimum non ſublata obſtructione, quæ fit ab humoribus in corpore exiſtentibus putredinem non auferemus, quæ eſt cauſa proxima febris, idcirco medici etiam uulgares cum accedunt ad curandam febrem putridam primo euacuant humorem illum, qui nondum putruit, & dicunt euacuandus eſt humor, qui ſe tenet, ut loquamur modo Medicorum, ex parte cauſæ antecedentis, non niſi experientia ducti, & ſi careant methodo, Tamen niſi acceſſerint ad euacuandam materiam antecedentem, quæ non putreſcit, neque facit febrem, ſed factura, & ſine qua tolli non poteſt febris, non poterunt remouere ea, quæ ſunt remouenda pro curatione febris. Ideo ſtatim euacuant materiam antecedentem, quo modo debeat euacuari? non expectetis nunc dicetur ſuo loco, ut ſecundum rationem, & methodum procedere ſciatis. Atque

que

que hæc hactenus audiuistis quoad causam antecedentem attinet, à qua sumitur indicatio præseruatiua, & cuius remotio simplex est præseruatio. Quantum ad quantitatem pertinet hoc tantum habeatis, ut minus quàm oportet euacuetis. Vnde bene dicebat Gal. in xi. Therap. quē legatis omnino, sunt ista Gal. qui Dicit cap. xiiij. uel xv. non memini rectè uerba: Quando fuerit putredo in corpore, & humor putridus euacuandus, ut remoueatur febris, & tu prius uolueris causam antecedentem euacuare humorem non putridum: Caue ne euacues quantum requirit multitudo sanguinis abundantis, sed dimittas reponi sanguinis aliquid in membris. Quare? Quoniam si tantum euacuares, quantum indicatur à multitudine subtraheres totum alimentum membris solidis, & uirtus debilitaretur, debilitata postea non sufficeret in pugna, nec posset remoueri putredo, & cogerere nutrire. unde aut febris ex nutrimento augeretur, aut si non nutrias, uirtus deijceretur, non sustineret ad tollendam putredinem: neque enim euacuatio humorum per sanguinis mißionem remouet putredinem, bene id, quod proxime putrefieret, si non euacuaretur, prohibet ne fiat putredo in reliquo humoris; non remouet quod factum est. Vt igitur sufficiat natura in remouenda putredine satius est relinquas aliquid sanguinis, quod sit proprium partibus animalis alimentum, quàm exquisitißime euacuare, ne aut copiosius nutrire cogaris, aut uirtus deijciatur. Et propterea uidete quomodo Galenus semper idem dicat, quod nos confirmamus, quoniam ab eo non discedimus, nec dissentimus,

mus, ſemper fundamenta Gal. ſequimur, quo modo euacuatio ſit facienda audietis poſtea. Facta euacuatione cauſæ antecedentis humoris non putridi in Philiſco, deinde ad euacuandam, & ad remouendam materiam putridam accedendum eſt, à qua ſumitur indicatio miſta, quæ eſt præſeruatiua, & ſimul curatiua: Si remoueamus humores putreſcentes actu intra uenas præſeruatio eſt, quia prohibentur uapores fuliginoſi putridi ne eleuentur, & aſcendant ad cor, & miſceantur cum humoribus cordis, quos ponant in calefacto eſſe, ut in putridis, uel in putrefacto eſſe, ut in peſtilentibus. Et ideo ex hac parte præſeruatiua dicitur, indicatio curatiua ex parte, quia euacuatis id, quod iam putridum eſt: præſeruamus, & prohibemus, ne febris augeatur, & auferimus quod factũ eſt remouendo putredinem, & putridos humores. Quo modo procedemus? putredo duobus modis facta fuit & propter ipſum calorem naturalem, qui paucus, & infirmus eſt in peſtilentibus; propter obſtructionem: obſtructio autem fit ex humorum multitudine, & uiſciditate, atque craßitie, qua quidem obſtructione opplentur meatus, oportet tollere obſtructionem: tollemus ſi fecerimus illum humorem putridum exhalare, & reſolui: cumq; ſit humidus, indigemus exiccatione: ſi prouenit ab obſtructione facta ex humore redundante opus eſt remouere, remouetur cum his, quæ exiccant remouentia putredinem, quæq; cum exiccatione aperiunt meatus cutis, & humorem putridum craſſum abſtergnnt, uiſcidum incidunt: incidunt quidem, quoniam humor ſua craßitie facit

obstructiones implendo poros: Humores autem craßi sunt abstergendi, uiscidi incidendi: ostendimus etiam hoc in illo nostro paruo libello, quem edendum curauimus, ostendimus quomodo in principijs conueniunt abstersiua cum incisiuis, ut fere quæ incidant, abstergant, & cum aperientibus procedendum est, quæ sunt ab illis diuersa: apertio & incisio sunt diuersarum naturarũ, ut ibi quoq; ratione probauimus, ita tolletis putredinem abstergentibus exiccantibus, incidentibus, & aperientibus, atque rarefacientibus, quò poßit exhalare humor, qui putridus est. Quod & uidetis facere quotidie sequentes uestros medicos, qui ita procedunt, quando uolunt remouere putredinem maximam in pestilentibus febribus ducti experientia, & ratione communi, aqua oritur tota methodus; licet isti non habeant methodum, methodo tamen carentes hoc modo curant, sicut & qui methodum habent, curant eodem modo: sed posteà in hoc differunt, quod his utuntur indiscriminatim sine ulla ratione, nec habent principia, ut etiam nesciant quandoque quid agant, Experientia tamen docti accipientes ab his, qui præcesserunt, medicis cùm meri sint Empirici aiunt & ipsi conformiter, post lenitionem & post phlebotomiã, atq; euacuationẽ per sanguinis missionẽ conuenire, & exhibent syrupos, & Electuaria quæ incidendi uim habeant, abstergendi, & aperiendi. Syrupi quibus utuntur medici in febribus pestilentibus ad has intentiones sunt syrupus de succo acetosæ, siue syrupus acetosus: syrupus de acetositate citri: Et isti sunt communes omnibus istis. Quia his syrupis utuntur curationem pesti=

stilentium putantes posse præstare. De acetositate quidem citri uim habet incidendi propter acetositatem, & exiccandi: sciuistis enim alias tum ex quinto de simplicibus medicamētis, tum decimo libro, quæ accetosa sunt, incidūt, & quia sicca exiccant. ad hoc igitur propositum maxime faciet, sicut & alia acerba, ut oxyacanthum, Ribes, Syrupus de Berberis. Quæ omnia & consimilia cum acida sint incidunt, & exiccant. Ex eo autem, quod sunt acida habent uirtutem incidendi & exiccandi. igitur exiccando, & incidendo ad profundum penetrant: Nam quæ exicant, inciduntq; parando sibi uias penetrant usque ad profundum: cum penetrarint, ut dicit Gal. aperiunt, et abstergūt: Et quoniam intentio nostra est remouere putredinem, & ad hoc faciendum, ut proposuimus, indigemus abstersiuis, incisiuis, aperientibus, & exiccantibus, quia omnia ista conueniunt tum in acetositate citri, tum in succo acetosæ: idcirco syrupi de acetositate citri, & de succo acetosæ erunt in hoc casu præstantißimi: quibus propterea medici quoque uulgò utuntur. Dicet quis hoc loco, non conueniunt. Non uideo, quod medici utantur syrupo de ribes, nec syrupo omphacino seu de agresta, de oxyacantho, seu de berberis, nec de uuis immaturis, ut isti dicunt de uua acerba: Non utuntur his, qui incidunt, abstergunt, & exiccant. ergo neque isti conueniunt: cur his & non illis? Non utuntur his syrupis, quia & si conuenirent hac ratione, qua habent uim exiccandi, abstergendi, & incidendi; tamen non conueniunt, quia astringunt: Nos autem cum uelimus remouere putredinem, aperientibus obstru-

ctiones indigemus: si utamur his, quæ incidunt, abstergunt, & astringunt uel plus, uel saltem æqualiter non modo non iuuamus, sed etiam plurimum nocemus: astringentibus augentur obstructiones, & putredo consequenter, & ipsa febris. ideo his non utuntur medici: illis uerò utuntur, quia non astringunt, & sine notabili astrictione incidunt, & omnes intentiones nostras in his febribus perficiunt. Ego non possum aliter credere, quod isti homines boni certe non haberent optimum ingenium, & optimam indolem, & uidentur habuisse methodum, uos uidetis: Et fortasse dicam uobis unum, quod illi qui inuenerunt, & in usum conduxerunt hos syrupos habebant aliquam methodum. Hac ergo ratione noui nostri ducti, & experientia elegerunt syrupum de succo acetosæ, qui hæc omnia præstaret, quia in eo nulla est notabilis astrictio, licet acetosus sit abstergat, & incidat, est tamen sine omni astrictione, iuuabit nihil afferens nocumenti. Hinc est acceptum, quoniam uiderunt quid Gal. uelit in quarto de simplici medicina in cap. ubi agit de acidis, iubens experiri uim medicamenti acidi, dicit nos debere experiri acciditatem synceram sine ulla astrictione in acetosa: ideo maxime conuenict: sed si acetosa conuenit, quia omnia præstet cum in ipsa nulla sit notabilis stypticitas longe magis conueniet succus citri, propterea quòd in succo citri est acciditas, & longe subtilior, quàm succus acetosæ simplicis: quanto subtilior est succus citri, tanto minus habet de stypticitate: ratio est, quia stypticitas fundatur in fundamēto crasso terrestriq;: Aciditas uero simplex in materia terrea, attenuata,

ta, & ſubtilium partium. quanto igitur ſimplex habuerit minus de materia craſſa terrea, tanto minus habebit de ſtypticitate: quanto ſubtilior, tanto acidior ſine aſtrictione, ut bene docebat Gal. in eo cap. & nos in eo noſtro paruo libello, ſuccus citri eſt ſubtilior, & habet materiam tenuiorem ſucco acetoſæ, & ſic minus ſtypticus. Ea quæ ſunt minus ſtyptica & cum hoc habent aciditatem ſubtiliora & magis penetrantia, conueniunt magis in febribus peſtilentibus, quia minus aſtringunt, & magis penetrant: ex quo facilius poſſunt operationes ſuas præſtare. ergo conſequenter ſuccus citri magis conueniet, quàm ſuccus acetoſæ, & in his febribus omnium erit præſtantiſſimum. Accedit ad hunc ſuccum præter partium ſubtilitatem, & minimam ſtypticitatem uis alia diuina, nam acetoſitas citri habet uirtutem Bezoar, ut loquar more Arabum & noſtrorum medicorum, qui legerunt Arabas: Bezoar eſt apud Latinos Antidotos contra uenena, & hæc uis conferre uidetur in peſtilentibus, quæ, ut dicunt noui, uidentur fieri à qualitate uenenoſa neſcientes ulterius, quicquid ſit, conuenit quoque uirtus iſta Antidotaria, quæ non eſt in acetoſa. His omnibus rationibus ego dicerem ſyrupum de acetoſitate citri præponendum eſſe ſyrupo de ſucco acetoſæ; Dicet aliquis quomodo eſt ſubtilior? quomodo, & unde cognoſcis tu quod ſuccus citri ſubtilioris ſit ſubſtantiæ, q̃ ſuccus acetoſæ? ab effectu, effectus eſt, qui oſtendit cauſam occultam: Et uobis declaro: Accipiatis ſuccum acetoſæ in aliquo uaſe, & ſuccum citri in alio uaſe fictili ligneo uel ſtanneo: ponatis in ſucco acetoſæ aliquid duri, ut exẽ

pli gratia lapidem friabilem, uel ouum durũ, deinde in succo citri ponatis similiter uel lapidem, uel ouum: permittatisq; utrunque ita per aliquod tempus æquale, ut per noctem: extrahatis ambo eadem hora, & tempore, uos uidebitis, quod lapis, uel ouum in succo acetosæ ferè nihil mutatum erit, nec mollificatum: ouum autem quod fuit in succo citri, uel limonis cum esset durum, nunc molle erit, ut possit etiam extendi in suas dimensiones maiores: si fuerit lapis, ita mollietur, ut etiam si tangatur conteratur in partes minutas seu minimas. Hoc mihi uidetur signum maxime probabile, quod succus citri sit subtilior, quia magis penetrat partes profundas, & magis attenuat, hoc testatur experientia: non oportet sensui repugnare: Medici maxime nituntur experientiæ, etiam quod ratione inuenerunt semper experientia confirmant, illa est in qua ipsi fundantur, imò dico quod experimentum, & ratio sunt duo instrumenta medicorum, nec unum sine altero potest stare in arte medica: Et ut bene dicebat Galen. in Therapeutica experimentum, & ratio sunt duo crura, quibus sustentatur medicus in ambulando, ratio quidem est ut crus dextrũ quod dirigit progressum animalis, ita ratio dirigit medicum in operando: sinistrum sequitur, & animal super eo sustentatur dum alterum mouetur ulterius: ita postq̃ medicus ratione directus est ad operationem, experientia confirmat id, quod ratione inuenit: Quod si animal amittat unum crus uel dextrum, quod dirigit progressus, uel sinistrum quod sequitur, claudicabit: ita si medicus sit sine altero duorum instrumentorum uel ratione, uel experiẽ-

tia

tia claudicabit in operando; nec recte sciet medicari, ut Empirici sunt, & secta Methodica, alij ratione, alij experientia sola nixi. Dogmatici uero scient ambulare, quia habent duo crura. Atque ratione, & experientia probatum est succum citri præstantiorem succo acetosæ, non ita astringit: Ego bene scio, quod multi fuerunt temerarij, & pertinaces, qui nolunt exhiberi syrupum de acetositate citri, nec de acetosa, quia dicunt oportet cauere omnia astringentia in febribus pestilentibus, & in omnibus putridis: in acetosa est stypticitas non sola aciditas. ergo nõ conuenit: hæc est causa & ratio cur abhorrent syrupos illos: Et primus huius erroris autor fuit Curtius: Errat pace tanti uiri dicã: Non credatis istis, decipiunt uos, argu͠ut ex malo intellectu, si intellexissent uidissent se esse in errore, fundantur in exemplo, quod nos superius attulimus, et falsò citant textum: Accipiuntq; locum illum de oxalide, & falsò arguunt, nec intelligunt textum, & illum habent falsum. Deprehenduntur, & conuincuntur errore manifesto. Dicunt quod Gal. habeat oxalidẽ solam habere aciditatem, idest, quod sola oxalis acida est inter alia olera, Non hoc uult Gal. habet suam conuersam affirmatiuam, in oxalide est sola aciditas: imò propria uerba Gale. sunt ista: Expertus sum in oxalide syncerum esse saporem acidum sine ulla stypticitate, uel acerbitate sensibili: Faciunt argumentum suum in secunda figura ex duabus affirmatiuis, quod non ualet, nec concludit cum peccarit in forma, & ponunt hanc propositionem, sola oxalis acida est: non est uerum, textus istã habent conuersam, sola aciditas est

in oxalide: Neque diceret hoc Gal. quod aliæ herbæ non habeant aciditatem præter oxalidẽ; quia uidemus, & sensu percipimus in multis alijs esse saporem acidum: Esset amentia dicere unam hanc herbam acidam: intelligendus est Gal. sicut ipse loquitur, inter acida inueniẽs simplicem aciditatem esse in oxalide sine aliquo sensu acerbitatis: si hoc diceret; dicerem quod non esset Gal. & ipsum relinquerem: sed non dicit, quia semper uerum dicit. & ideo sequor Galen. in omnibus, neque in hoc illi contradico, si aliter ille diceret relinquerem, magis amica ueritas, sed non aliter sentit: Videatis locum, secundum doctrinam Gal. loquor. iure igitur optimo medici nostri utuntur his duobus syrupis in febribus pestilentibus, qui omnia requisita præstãt: primo exiccant, abstergunt sine abstrictione, incidunt, & præparant ad expulsionem, incidendo & abstergendo præparant humores expulsioni, cum sint putridi humores præparati expelluntur, & euacuantur: neque aliquod nocumentum inferunt etiam si parùm astringentes: Alij non conueniunt, qui styptici sunt, illi non habent notabilem astrictionem. Si uolumus etiam unum maius addere, quoniam sumus in hac cathedra, ut doceamus artem eo modo, quo doceri debet, ut practicam quoque intelligatis: scitis quod paulo ante abstinebamus ab astringentibus, & stypticis in remouenda putredine: astringentia nullo modo debent admitti. Quia intendimus remouere putredinem, putredo fit ob meatus obstructos, oportet illos aperire: si utamur astringentibus, obstructio augetur; astringuntur pori, prohibetur magis euentatio, & pu-

tre-

tredo sit maior in humoribus. ideo à cura tum putridarum, tum maxime pestilentium remouere debetis, quæcunque sunt styptica, & ab eis abstinere, ne putantes remouere putredinem augeatis: Verum est, sed non ab omnibus: non debet esse propterea regula, & ius uniuersale cum aliquibus utimur non modo non abijcimus, sed pro præcipuis habemus: uerum est præceptum de his, quæ ita astringentia sunt, ut astringendo prohibeant euentationem. Sunt aliqua tamen quæ cum modica sua stypticitate iuuāt ad tollendam putredinem: Videtis quotidie quod unusquisque medicus in putridis febribus utitur syrupo de Cichorio, de Endiuia, syrupo Rosato ex infusione; omnes utuntur his syrupis, & licet in illis sit aliqua stypticitas, fœliciter tamen succedunt, & maxime conferunt ad putredinem remouendam, non potest aliquid offendere modica stypticitas. Quod sint astringentes syrupi, hoc ostendunt ingredientia. Gal. & alij qui describunt simplicia dicunt cichorium stypticum esse, & Rosam habere partem terream astringentem, ut etiam gustus testatur: Si degustetis Rosam, stringit linguam, tamen dant noui syrupos ex his confectos in putridis, & posteà iubent abstinendum à rebus stypticis astringentibus, uidetur esse contradictio in Gal. & quod isti sibi contrarientur. Debetis aduertere in hoc, quod stypticitas potest multis modis esse in simplicibus, & compositis, quæ abstergunt, incidunt, & exiccant: aut abstergentia, & incidentia habent stypticitatem, quæ superetur ab abstersione, & incisione, ita ut magis abstergant, & incidant, quàm astrin-

gant, sicque pauca est astrictio, & infirma, & tunc non modo non impedit apertionem, & penetrationem, sed magis adiuuat ad penetrandum usque ad profundum, & adiuuat omnes effectus illius medicamenti. Si stypticitas superet, uerum est quod impedit absterfionem, & omnem operationem modicè adiuuat. Distinguendum igitur est ne decipiamini. Hic dicet aliquis, Est imaginatio tua, sunt chymeræ, & peccas per fallaciam: Est regula Topica, sicut se habet magis ad magis, ita simpliciter ad simpliciter, & multum ad multum &c. Si in toto genere ualet, et uerum est quod ea, quæ sunt styptica astringunt, & obturant poros claudendo, nunquam poteris mihi persuadere, quòd ea, quæ minus astringunt, non astringant; Verū est simpliciter, omne stypticum astringit ne? ergo id quod minus stypticum est astringit. Bene uerum est, quod astringat, quia etiam minus stypticum: Sicut magis ad magis, ita minus ad minus, simpliciter ad simpliciter, ut dicebamus: Non propterea potes dicere, quod nō astringat, minusq; astringat, quàm quod magis, aut simpliciter tale: Est fallacia ex falsa imaginatione. Non negamus quod styptica astringant, & minus styptica astringant, non audiuistis hoc à nobis, Non possumus hoc dicere per regulam Topicam. Dico quod illa modica stypticitas, & astrictio existens in his medicamentis non impedit absterfionem, aut incisionem, sed adiuuat penetrationem, & ad apertionem facit: Fateor quod astringāt, astringendo penetrationem iuuant. et probo primo autoritate, deinde ratione: Autoritate, quia scio multos esse,

qui

qui nisi uideant omnia in Gal.nolunt audire doctrinam rationalem,ut sunt hi,qui in ratiocinando non sunt exercitati: Hæc est sententia Gal.in tertio de simpl. med. Vbi agit de oleo rosato,& de Rosa. Dicit quod in Rosa est leuis quædam astrictio,& stypticitas, quæ non prohibet penetrationem,sed magis adiuuat,& facit quod Rosa licet sit crassarum partium citò,& facillime penetret,quia astrictio modica comprimit,& comprimendo compellit, ut penetrent ad profundum non occludendo sibi uias: est debilis,non potest astringere uias: Et dabat exemplũ, Gal.quod in proposito commodißimum fuit,ut unusquisque uideat ita esse,ut dicimus. Vidistis infarcientes & facientes ista nostra Lucanica: Aperiunt primo intestinũ, deinde carne infarciunt, pòst astringunt, astringentes faciunt id,quod infarctum est penetrare, & ita deinceps infarciunt,astringunt quoad totum impleuerint intestinum: Si manu ita tenuiter non astringerent non posset caro descendere,nec totum repleri intestinũ. Vide quemadmodum leuis astrictio non modo non occludit sibi uias, uerum etiam compellendo facit penetrare: ita inquit Gal. in quocunque medicamento, ut Rosa, quod penetrat ad profundum cum tamen astringat,& stypticum sit: astrictio facit ipsum magis penetrare: aperit primo, & penetrat,quoniam subtilium est partium,& quod subtile penetrat, cum penetrarit astringit modicè: astringendo compellit id,quod penetrauit,& adiuuat ulteriorem penetrationem medicamenti,tam abstergentis, quã incidentis.probat hoc de Rosa & accipit sensum, probatq; ex-

pe-

perimento sensato magnus experimentator Gal. inquit Auer. tertio colliget, & ubicunque contra ipsum in phylosophia loquitur, quasi laudet ipsum in experientia: iubet, ut accipiatur oleum commune, quo in cibis uti solemus, & oleum Rosaceum, ungatur corium utroque oleo in diuersis partibus corij, longè citius penetrabit, & humectabit oleum Rosatum, quàm oleum commune, non alia de causa, nisi ratione astrictionis, quæ est in Rosa, illa pauca stypticitas adiuuat penetrationem, & facit quod oleum compellendo petat interiora corij, tanquam à manu impellente petit profundum corij citius, quàm simplex oleum. ideo syrupi, qui leuiter astringunt, incidunt magis, & abstergunt cum penetrare debeant, si facturi sint abstersionem, & incisionem: ab astrictione quadam, moderataque stypticitate iuuabuntur, & conuenient in remouenda putredine: non nocebit modica astrictio, maxime faciet ad penetrationem, consequenter abstergent, & incident magis, isti præter hoc, quod astrictione moderata iuuant penetrationem medicinarum confortant etiã membra naturalia, præter incisionem, & absterssionem, quibus putredo remouenda est, addunt tonum, ut inquiunt medici membris naturalibus ad nutritionem destinatis, ui res naturales restaurant, & refocillant: quibus præcipuè indigemus stante putredine: Et hoc uobis perpetuũ esse debet. Gal. semper præcipit quando sunt applicanda relaxantia, & aperientia uentriculo, aut alijs membris naturalibus, ut nõ applicentur, nisi cum his mista fuerint aliqua astringentia, styptica, ne tonus amittatur, & si non est

est restauretur. Astringentia uires ualidas reddunt, concoctionemq́ue, & omnes operationes naturales fortificãt: Hoc conuenit in pestilentibus, in quibus uires statim concidunt concoctiones destruuntur. Omnibus igitur conuenient isti syrupi: Sunt modo aliqui syrupi, & aliqua simplicia, in quibus astrictio maior est, quàm incisio & abstersio, longe magis astringunt, quàm penetrent, abstergant, aut incidant: ut syrupi de Omphacio, de uua immatura acerba, De Berberis, & multi consimiles, qui non conueniunt, nimis astringunt, de his procedit ratio, quod augerent putredinem, non est amplius modica astrictio, quæ iuuet penetrationem, sed astrictio auget obstructionem: Neque nos concedimus talia astringentia. Audiuistis qualia intelligamus, & rationem quare conueniant: Debetis aduertere, ut exerceam magis uos in his particularibus, in quibus consistunt actiones, & ut omnia habeatis, quæ haberi possunt. Quæritur utrum amara conueniant pro hac intentione? Videtur quod conueniant: primo exiccant, exiccando prohibent putredinem, quæ remouenda, quippe quæ causa est putrefactionis. Vnde uidemus multa conseruari per longum tempus à putredine sale, & amaris rebus, ut cadauera, & carnes porcorum, & aliorum animalium absumendo, & exiccando humidum superfluum. Et Mesues dicit quod Aloe prohibet putredinem, quia amara est, & conseruat corpora mortuorum diutius à putredine immunia. Vnde Ruffus ille magnus uir, & medicus clarißimus de quo Gal. & omnes Græci confecit pillulas, pastillos quosdam ad pestem pro-

prohibendam, ex Myrrha constantes, Aloe, & croco, sciens omnia hæc amara prohibere putredinem exiccando. ergo si exiccant, & prohibent putredinem præstabunt, quod quærimus in pestilentibus: Exiccant, incidũt, & abstergunt magis, quàm acida, quoniam sunt in materia subtili attenuata à calore præpotenti, imo amara præter incisionem aperientia sunt, & abstersiua magis, & euacuant humorem putridum. Videtur itaque quod amara sint maxime conuenientia, & magis, quàm acida eisdẽmet rationibus: Deberemus dare potius syrupũ de Scordio, de Absinthio, De Cichorio simplicem, & reliqua amara, quæ conueniunt in tollenda putredine. Dicimus, quod non damus amara, quoniam habemus calorem acutum: amara calefaciunt, magis acuerent ipsum, & augerent, aucto calore deijceretur omnino uirtus, & periculum esset, ne interimeretur, & exiccationem nimiam timemus: amara sunt admodum sicca, exiccando ita igneũ, ac ingentem facerent calorem, ut moreretur. Siccitas acuit calorem, & est lima ipsius caloris, ut dicunt phylosophi, quoniam addita calori acuit, & facit ignire: Hac ratione cauemus ab amaris, ne maius sit nocumentum, quàm iuuamentum incidendo, aperiendo, & abstergendo: sunt nimis calida, & nimis sicca: Quod si quandoque damus amara, refrenamus parum cum refrigerantibus eorum calorem, & siccitatem. Cur syrupus de Scordio in pestilentibus maxime conueniat dicemus in alia intentione, ubi nacti erimus maiorem occasionem. Syrupi sunt isti, quibus uti debemus in febribus pestilentibus, ut prohibeamus putre=

tredinem, & euacuemus humorem putridum. Si uultis conficere Electuaria poteritis secundum eandem intentionem ex istis medicamentis simplicibus conficere, ex quibus, & syrupi componuntur, ut idem præstent Electuaria, quod & syrupi.

Circa igitur rem nostram, si recte intellexistis in hesterna explicatione nos proposuimus circa febrem pestilentem Philisci, quomodo esset curanda secundum indicationem communem, quæ est quid agendum: & primo quomodo sit remouenda causa antecedens, quæ nondum efficiens est, deinde quomodo causa efficiens mista, quæ partim efficit, partim effecit tollenda esset, & quomodo erat indicatio mista ex præseruatiua & curatiua; ostendimusq́; quemadmodū utrunque faciamus, circa has duas indicationes satis diximus. Erat modo tertia illa, & ultima indicatio curatiua, quæ tollit causam coniunctam proximam actu morbum conseruantem in eße, non efficientem: Et ita nos dicebamus materiam coniunctam in pestilentialibus esse humores putridos, & uapores in corde existentes, Et quoniam ista est in essentia febrium reddebamus superius differentiam, qua differunt inter febres putridas, & pestilentes, nisi cognouissetis hanc differentiam non habuissetis essentiam pestilentium, & consequenter errassetis in curatione. Dicebamus formam & characterismum, ultimamque differētiam febris pestilentis esse summam, quæ esse potest, putredinem in humoribus cordis, Hoc charactere & in esse suo constituitur, & ab omni-

ni-

nibus alijs distinguitur: Nam si humores cordis ponantur incalefacto esse, ut loquamur modo communi, fit putrida simpliciter non pestilentialis: ponuntur autem humores isti incalefacto esse in alijs putridis præter pestilentes, quoniam uapores putridi eleuati ab humoribus actu putrescentibus in corpore siue sint in uenis, siue extra uenas, nihil ad rem refert, eleuati inquam hoc modo ascendunt ad cor, cum humoribus in corde permiscentur, & per contactum illos faciunt ignescere, non propterea tamen putrescunt, sed ex intenso calore ebulliunt, & igniuntur, ita fit febris putrida à uaporibus putridis, ut causa materiali, qui faciunt per contactum ebullire humores cordis. Vbi modo est putredo maxima, ita ut humores cordis contabescunt, non modo ignescunt, sed suscipiunt contagium & contabescunt: non amplius est putrida simplex, sed putrida cum additamento pestilens propter augmentum ipsius putredinis, & propter summam putredinem, ut dicebamus. Itaque supponitur quod febris pestilens sit de genere putridarum, est tamen differentia, quà distinguitur, & constituitur in suo esse formali, & quà contrahitur ad suam speciem, quia in putrida simplici humores ebulliunt, & ponuntur incalefacto esse: in pestilēti uerò est quid aliud maius: nã nõ modo ignescunt, uerum etiam putrefiunt, & contabescunt. Quod si ulterius putredo transeat, & perueniat ad substantiam solidam cordis dicitur febris pestilens hectica: Et hæc est doctrina Gal. à quo nunquam recedimus, non est noua imaginatio, Et si præter ipsum nullus ex Antiquis recte distin-

stinxerit essentiam huius febris. Nec aliquis ex posterioribus hactenus, quem nos uiderimus ex his, qui peruenerunt ad manus nostras, nullus adhuc intellexit sententiã Gal. neque distinctum habuit conceptum de hac febre, præterquàm id, omnes dicunt, quod & uident tanquàm in somnis: nullus distincte rem explanauit, aut acu tetigit, ut patet cuilibet ex suis scriptis. Nos id præstitimus, ut aperte noscatis opinionem, & sententiam Gal. quæ talis est, qualem declarauimus, omnia sunt Gal. aperte, & distincte tradita, quæ ille obscurè, & confusè docuit: nisi intellexeritis distinctißimè omnia hæc, non poteritis indicationes distinctas sumere, nec distinctè operari. Si uultis recte curare, oportet quod curetis sumpta indicatione à notione finis, qui cum ignoratur & indicatio confusa, & ignota est: bene potestis remouere antecedentem, & efficientem causam, quam cognouistis. At remouere causam coniunctam nunquàm scire poteritis ignota essentia febris, cum omnis indicatio oriatur à notione finis, & omnis nostra operatio inchoet ab ipsa natura rei. Vt igitur tertiam indicationem expleamus, oportet remouere causam coniunctam, & proximam materiam: materiam in qua, non matriam proprio modo, ex qua fit compositum, cum febris ista habeat formalem rationem, & materiam in qua fundatur proxima forma humores putrescentes in corde, materia in qua, uel causa coniuncta dicatis quomodocunque, non curo, dum rem intelligatis, & ne erretis propter nomina. Non potestis remouere febrem, idest, formam febris calorem igneum præter naturam, nisi re-

moueatis anteà humores putridos, qui ſunt in corde, & ſunt cauſa coniuncta, in qua eſſentialiter fundatur calor, nec remouetur, niſi remoueatur ſubiectum proximum. Et ideo indicatio, quæ ſumitur ad curandas febres peſtilentes non eſt ita ſimplex, ut in alijs putridis cum ſumatur indicatio à cauſa proxima, & coniuncta: & cum hæ febres habeant hanc ultimam differentiam, à qua tota curatio deſumitur, & præcipua indicatio ſuper alias indicationes. Si curaueris putridas alias febres non peſtilentes, ſufficit ut remoueatis cauſam antecedentem, & efficientem, in peſtilentibus unum additur, remotio cauſæ proximæ: curatio uero communis febribus non peſtilentibus putridis, cum febris pendeat ab humoribus calefactis in corde ob uapores aſcendentes ab humoribus putrefactis, eſt, ut remoueamus materiam, unde fiunt, & à qua eleuantur uapores putridi, iſta eſt ſumma curatio: Quod hoc ſit uerum uideatis in febribus intermittentibus tam diu durat febris, & paroxiſmus, quàmdiu durat, & perſeuerat putredo in humoribus, qui ſunt in ambitu corporis extra uenas: quandiu ſunt humores putridi, tamdiu ab his eleuantur uapores corrupti, & aſcendunt ad cor, ponuntq; humores cordis in calefacto eſſe: neque ceſſat febris, niſi ceſſauerit putredo, & niſi remoti fuerint humores putridi: quia febris dependet à uaporibus immediate calefacientibus humores cordis, non ceſſat non deſiſtentibus uaporibus: hi uero ceſſant cum deeſt materia, à qua continuè foueantur. hinc eſt quod conſumptis humoribus putridis in corpore extrauenatis deſinit febris, & intermittit. Si redeant, reiteratur

tur

tur eo tempore, quo redeunt: ſignum manifeſtum quod humores cordis non ſunt infecti in febribus putridis non peſtilentibus, ſed tantum ſunt poſiti in calefacto eſſe. Nam ſi eſſent infecti, & corrupti remotis uaporibus non remoueretur propterea putrida febris, remaneret cauſa proxima, à qua conſeruaretur: at tamen uidemus remotis uaporibus febrem ceſſare. ergo nulla eſt putredo in humoribus cordis, ceſſant uapores ablatis humoribus putrefactis in corpore, propterea uera curatio putridarum eſt remotio cauſæ efficientis, qua remota remouentur uapores: ſi uapores ablati fuerint febris remouebitur. Sed notate quid dicat Galen. aliquando contingit, ut remotis uaporibus ſtatim ceſſat febris. At quandoque etiamſi fuerint ablati uapores, remanet aliquid impreſſum, ut caliditas aliqua, ad quam remouendam indigemus aliquo alterante, remanet febris, ratio formalis febris, oportet attendere cauſæ formali ſumpta indicatione ab hac forma, quæ qualitas eſt, alterandum eſt ad contrarias qualitates cum refrigerantibus. Quandoque contingit, ut remotis etiam uaporibus ſit facta firma impreßio in corde, uel diſpoſitio fixa cum remouiſtis materiam, ut ſuperius audiuiſtis in hectica contingere poſt putridam febrem, tunc oportet ſimul refrigerantibus, & humectantibus uti. Vera ergo curatio putridarum eſt remotio uaporum, & cauſæ efficientis: ſed ſiquid interdum remanet, ut contingit tunc ſumitur uera indicatio alterandi ſolum ad contrariam qualitatem, ut refrigentibus remouēdi caliditatem impreſſam. At in peſtilentibus non ita ſe habet, et ſi remoueatis ua-

pores putridos, & causam efficientem non remouetis febrem pestilentem, remanent adhuc humores putrefacti, et corrupti in corde. Et notetis, ac bene sentiatis quando dicimus humores cordis putrefieri, non intelligimus omnes putrefieri, sed solum partes aliquas, alias non: quia si toti putrescerent, non uiueret homo, intelligimus putrefieri, ut pomum putridum dicitur, quando aliqua pars pomi putrescit non totum pomum, sicut quoque quando dicimus sanguinem putrescere non intelligatis totum prorsus putrefieri; sed ita intelligatis, ut secũdum partem aliquam putrefiat: quia si totus sanguis putrefieret non staret uita per minimum temporis, quæ in sanguine fundatur: ex quo certè generantur immediate spiritus, qui sunt instrumentum proximum uitæ: putrido siue putrefacto sanguine spiritus deficiunt, deficientibus spiritibus non uiuit amplius homo: ad bonum sensum ita intelligendum est partem sanguinis putrefieri, cum partem sibi retineat natura, ut in illa sustineatur. Quapropter cum non poßit remoueri febris pestilens per remotionem uaporum, & causæ efficientis: quia remanent adhuc humores corrupti in corde, à quibus immediatè dependet: corruptos dico, nõ secundum totum, sed secundum partem, oportet remouere humores istos. His duobus igitur peractis, euacuata causa efficiente, & antecedente poteritis accedere ad tollendam causam coniunctam, humores in corde putrescentes. quomodo remouebitis, & quomodo tolletis putredinẽ à corde, ut febris remoueatur: medicamentísne? Debetis eligere medicamenta, quæ habeant præcipua: primum debent

bent esse exiccantia,quia resistent putredini, remouemus putredinem maxime exiccantibus remouendo humidum, quod est causa putredinis:deinde quæ odorata sint, ut recreent spiritus,& restaurent debilitatos, & diminutos à maxima putredine humorum, ex fætore læduntur,& diminuuntur;nihil est,quod magis noceat spiritibus ipsa putredine,& fætore,qui nascitur à putredine. Vnde medici communiter acceperunt,quod dolor, & fætor sunt de maxime prosternentibus uirtutem : et quidem iure optimo,quia,ut dictum est,deficientibus spiritibus,qui à fætore diminuuntur,deficit uita: calor & spiritus non differunt subiecto:calor autem uel est animæ substantia, uel instrumentum proximum animæ, ut alias à nobis audistis ex doctrina Gal. Ergo cum spiritus sint instrnmentum uirtutis,ut ueritatem dicam,si uirtus debet operari, oportet eam habere idoneum instrumẽtum,si non fuerit idoneum, non recte operabitur.in pestilentibus deficit instrumentum diminuti sunt spiritus,& illi quidem corrupti . igitur oportet refocillare spiritus,recreati redduntur apti ad expellendam putredinem,& dant modum agendi uirtuti,& ita uirtus deiecta refocillabitur adeo putredine affecta exhibendo odorata.postremò eligimus medicamenta, quæ habeant Bezoar,ut dicunt Arabes, & medici nostri, qui sectantur Arabas,idest,quæ habeant uirtutem insitam à forma specifica,ut resistant putredini,& ueneno,ut ipsi dicunt: à Græcis ἀλεξ φαρμακα ἀντίδοτα. si possumus habere unũ simplex,qđ omnia præstet, eligimus libẽter:sin hoc deest,multa simul cõponimus,ut ex multis cõpo

fitis simul omnes intentiones habeamus ex uno simplici u-nam, & ex altero alteram. Et est una utilitas compositionis medicamentorum simplicium, ut habet Gal. in primo de medicamentis secundum loca. Itaque habemus quod uolumus remouere febrem pestilentem remouendo humores, & putridos uapores, qui sunt in corde: & quod hoc perficere possumus per medicamenta habentia hæc tria copulata exiccationem, & odorationem seu odorem, & etiam Bezoar nõ curemus de nominibus, etiamsi sint Arabica, & Barbara, ut omnes intelligant: quia medici nostri maxime illi, qui sunt seniores, quiq; habuerunt doctrinam à patribus nostris, magis intelliguntur dicendo Bezoar, uel Bezard, q̃ dicere ἀλεξιφάρμακα: Vt illos intelligatis loquendum est suo modo: Loquendumq; est ut multi, sentiendum ut pauci. Hactenus mansimus in uniuersali, oportet nunc ad particularia magis descendere. ista medicamenta duplicia esse possunt uel calida, uel frigida. Qualia debemus eligere? Quia uolumus refrigerare eligenda sunt frigida, ut refrigeremus caliditatem febrilem: sed quia cordi applicamus, ut ipsi subueniant, non conueniunt simpliciter frigida: debetis admiscere aliqua calida: primo quia simplicia non ita penetrabunt ad cor maxime intrinsecum: secundo quia non est refrigerandum ita, neque simpliciter frigida applicanda cordi, quod fons est, & principium uitæ, & caloris innati: cuius frigida sunt inimica, & uitæ. ergo addenda sunt aliqua calida, quæ hoc nobis præstare poßint, ut refrigerantia refrangant, & penetrationem adiuuent: medicamenta illa sunt optima, in qui

bus

bus omnia ponuntur ſecundum rationem, ut iuuamentum ſine nocumento percipiatur, ſunt conuenientiſsima medicamenta condita ratione, ut ſi per cauſas inueſtigemus ingredientia, omnia ſecundum rationem poſita inuenimus, nihil temere, & omne commodum: Unde medici illi antiqui quando componebant medicamenta, ita componebãt, ut medicina eſſet iuuamento, nulli nocumento; & iucundior, quoad eius fieri poſſet, componentes ſoporifera miſcebant ea, quæ calida ſunt cum ſoporiferis refrigerantibus, ne ex eorum ſumma frigiditate animal offenderetur, id experiri poteritis in Philonio, ſi legeritis compoſitionem ipſius, uidebitis multa in eo calida, licet pro baſi frigida habeat; illi boni uiri compoſuerunt ſummo artificio hoc medicamentum, id uidebitis in theriaca cum frigidis calida miſta: imò apud Gal. hoc eſt perpetuæ ueritatis, ut ſempermiſceamus aliqua frigidis, quæ calefaciant cum uolumus componere medicamenta, quæ cordi ſint applicanda, uel quæ debent penetrare ad interiora: hoc præcipit Gal. propter has duas cauſas miſcenda calida in compoſitione frigidi medicamenti, ne tantum refrigeret, & ut magis penetret. Quare in propoſito eligenda ſunt medicamenta noſtra frigida, quoniam aliqua ſunt frigida, & cum his admiſcere aliqua calida. Demus exemplum: primo occurrit nobis Scordium ſimplex frequentatum apud omnes medicos curantes has febres, calidum eſt, & ſiccum, uſitatum in uenenatis: zedoariam uero Græci recentiores zaduram dicere ſoliti ſunt, dixi recentiores quia apud Gal. non fuit nota hæc herba, ſed apud poſteriores Græcos actuarium

uoco recentiores, Oribasium, Paulum, Aetium, omnes appellant zaduram uocabulo potius barbaro, quàm Græco: Nos uerò Latinè zadoariam nuncupamus: ista est calida, & sicca in secundo, confert maxime cordi, & habet Bezoar contra uenenum, & putredinem à forma specifica. Habent græci autores recentiores non antiqui ut Paulus, Oribasius, Aetius, & alij aliam herbam consimilem, quam Arnabo appellarunt, utuntur nominibus Barbaris, non Græcis: primo appellarunt zorumbel, Arnabal, Elebar, postea Arnabo: nam incipiebant conuersari cum barbaris, & declinare ab illa summa maiestate medicinæ, quæ fuerat usque ad Galen. Videte quæ nomina barbara: postremo inuentum est nomen Doronizi, & iam consueuit appellari ab omnibus, ut nunc cognoscatur ab Officina Doronizi: sciunt quidem isti nomen, sed rem non: ignorãt enim quid sit isti, qui uersantur circa simplicia, nec agnoscunt ueram radicem: Ad nos defertur radix dura dulcis, sed Doronizi romana est amara nõ dulcis, imò ista, quã habemus totum oppositum habet ei, quod inquirimus: nos uellemus uti hac radice, ut exiccet, & odorẽ habeat; quo cõfortet spiritus: hæc nostra inutilis radix est humida, flatuat humores mirũ in modũ, Venerẽ incitat, et flatuosus spiritus repugnat subtili spiritui, deberet exiccare, humectat: ergo non modo inutilis est radix, quã nos habemus ad id qđ inquirimus, quia quærimus ea, quæ habent proprietatẽ cũ corde, uerùm etiã maxime contraria. Eijciatis igitur à uestris officinis Doronicũ, & loco eius eligatis zedoariam, explebit quod requirimus. Dico igitur quod

quod possumus accipere scordium, uel zedoariam. Est quoque Carpesium, quod putant aliqui esse Cubebas, qui sunt in maximo errore, & conuincuntur ignorantia. Nam Gal. apertè in lib. de theriaca ad Pysonem asserit Cubebas esse baccas: Carpesium sunt quædam paruula ligna, quæ sunt eiusdem uirtutis, licet diuersa simplicia: et quia Carpesium non habemus possumus uti Cubebis loco Carpesij, sunt ambo subtilis substantiæ, calida exiccantia, & eius uirtutis omnino, qualem quærimus in proposito. Et quandoque ego accipio Cubebas ad eandem intentionem loco carpobalsami, ex quo illo caremus. præterea Ambra, Muscus, & quæ currunt cursu horum, ista omnia conueniunt in his febribus, quia obtinent tria à nobis intenta tum exiccationem, tum odorem, tum uirtutem Antidotariam contra uenena, & contra putredinẽ: Hæc sunt calida medicamenta conuenientia in pestilentibus, Frigida sunt Sandala, Rosæ, Camphora, Bolus Armenus, Terra lemnia, Coralla Margaritæ, semina citri, & alia consimilia frigida exiccantia, quæ huc etiã spectant odorata, & habet uirtutem Bezard, resistendi ueneno. Sed nec ista, nec illa simpliciter sunt exhibenda, nec admittenda, miscenda sunt simul cum his calida, ut uis utriusque frangatur: illa quidem nimis calefaciunt, ista refrigerant, nec penetrarent, quia sibi uiam occludunt. Sunt tamen aliqua, ut semina citri, semina pæoniæ, quæ conuenirent, & multa alia ferè infinita, quæ omnia hic nõ sunt connumeranda potius pro exemplo hæc numerauimus, ut alia poßitis inuenire idonea medicamenta: Poteßtis com

ponere ea simplicia, quæ frigida & calida sunt ad eam mensuram, & proportionem, ut frigida superent in compositione. Si intentio nostra ex indicatione est, ut minuamus & auferamus putredinem, & causam coniunctam, oportet primo ut simplicia exiccantia sint, ut remoueant causam putredinis frigida, ut calori putrefacienti, & formæ ipsius febris resistant, Vt modo conducantur frigida ad cor, & possint penetrare aliqua calida mista cum his id præstabunt, confortabunt spiritus, & calorem innatũ. Ex his omnibus potestis uobis conficere pulueres, & Electuaria, de quibus exhibebitis quando, sicut diximus, uultis remouere causam antecedentem, qua remota uultis remouere humores putridos, qui sunt in corde, ut causa coniuncta, ablata antecedente efficiente, et coniuncta causa fecistis quicquid faciendum est in cura pestilentis: ista est cura regularis in pestilentibus, nec aliter procedendũ est, nisi modo quandoque cogamur ab hac uia deflectere, & opus sit aliam aggredi, quam uocant medici curam coactam ad differentiam regularis. Quandoque sunt sæua symptomata, & ita sæua, ut deijciant uirtutem, & interficiant; cogimur statim succurrere symptomatibus, ut illa remoueamus; neglecta cura morbi accedimus ad symptomata coacti, ne curantes febrem interim moriatur æger: hoc non est proprie curare, sed cogi ad tollenda symptomata. unde non malefaciunt medici nostri cum uident tantum lapsum, & uirium imbecillitatem in his febribus exhibent prius, & ante omnem curationem ea, quæ sint corroborantia & confortantia. Quod si uos aggre-
die-

diemini coacti, non faciatis nisi cum protestatione; quoniam ut plurimum male succedit, nos autem loquimur nunc de cura regulari, quæ per methodũ habitam fit per remotionem causarum. Est & alia curatio diuertendo uapores putridos à corde, ne faciant febrem putrefaciendo humores, qui in illo continentur, & est potius præseruatio à pestilente, quàm uera curatio, & est curatio Ruffi magni Oribasij, & Aetij: qui iubent lenire corpus linimento confecto ex nitro, oleo, & aqua, misceantur, & decoquantur deinde liniatur corpus totum. Hoc linimento uapores, qui ad cor ascenderunt diuertuntur, et ad cutem trahuntur, ut potius ægritudo fiat in cute, quàm in principio uitæ: maxime cum natura, ut plurimum solet per hanc uiam euacuare, & expellere materiam, & uapores illos. Vnde uidetis apparere sæpissime maculas illas similes puncturis, & morsuris pulicum, quas uulgò petechias uocant, hæc, ut dixi, est potius præseruatio, de maculis nunc nihil dicam, quæ fere semper apparent. Et quoniam maiorem habebimus occasionem in sequenti casu, in quo maculæ apparuerunt, ut audietis, docebimus quomodo fiant, quid sint maculæ, & quomodo curandæ sint, non amplius in his immorabimur. istæ sunt indicationes à causis, & essentia morbi curandi, quæ indicant quid agendum, nec possunt mutari, quæ sunt perpetuæ ueritatis in quocunque tempore, in quocunque loco, & regione: in quocunque corpore semper hoc faciendum est, ut ad tollendum morbum anteà remoueantur causæ, respiciendo essentiam morbi semper hoc tenendum: sed sunt,

quau-

quantum, quomodo, quando, ubi agendum: quæ cum ab eſ ſentia non oriantur uariantur, & faciunt uariari eas, quæ ab eſſentia ſunt, quandoque limitant, & diminuunt; quandoque prohibent. Notate inuenimus quid agendum, non ſufficit hoc ſcire, oportet ſcire etiam limitantia hanc noſtram actionem, & ſunt quantum, quomodo, quando, & ubi. Si iſta neſcietis, non curabitis ægritudinem, & ſi quid agendum ſciatis exquiſitiſsime: ea enim ſunt quæ uariant indicationes eſſentiales, quæ ex ſe non poſſunt mutari. Ex quo ægritudo talis eſt, eſtq; in Philiſco, qualē audiuiſtis, & quod remouenda ablatis cauſis ipſius: uerſati ſumus circa illas tres cauſas, & uidimus quid agendum, quibus remouendæ ſint ſingulæ cauſæ, ut totam habueritis, quantum ad has indicationes attinet curationem; oportet ut habeatis limitationes quomodo hoc faciendū? À quonam ſumemus modum agendi? À moribus ægritudinis. Nam mores aliqui ſunt maligni, & deteſtandi, Græcè dicuntur, κακοήθεις, praui, proſternentes uirtutem; aliqui non maligni ſunt: alio modo procedimus, quando proſternunt uirtutem, atque aliter quando non ſunt maligni, nec deijciunt uirtutem. præterea uidendus eſt habitus corporis, aliter curamus pinguem, aliter gracilem, non muſculorum: tempus aliter in principio, aliter in ſtatu: in tempore anni aliter hyeme, aliter æſtate. Debemus etiam conſiderare ætatem, temperaturam, regionem, exercitium, & cætera huiuſmodi: ab his etenim oritur modus operandi, & curandi. Debemus igitur in curatione qualibet primo contemplari morbum, & mo-

res

res ipsius morbi. Hic habemus mores κακοήθεις prauos, & malignos. Audiuistis in prima statim die fuisse febrē cacoethicam, acutam, & malignam: indigebamus euacuatione humorum, qui huius erant causa. Et quoniam modus repletionis indicat modum euacuationis uidebatur euacuandum esse: audiuistisq́; quod materia intra uenas erat putrida, biliosa, crassa cum sanguine mista, ideo indigebamus mißione sanguinis per regulam Gal. sed quoniam materiæ putridæ erant, & corruptæ, malæ, propterea à moribus morbi accipiebamus, ut exhiberemus exiccantia, absumentiaq́; superfluam humiditatem; odoratam propter imbecillitatem uirium, & paucitatem spirituum à putredine magna, ut ipsam confortarent deiectā, & debilitatem restaurarent: quæq́; haberent uirtutem propriam resistendi putredini à formali sua ratione. Et ut possemus euacuare per phlebotomiam, præmittendam diximus esse lenitionem alui: dedimus decoctum Thamarindorum, in quo decocti essent pulueres cordiales simul cum syrupo rosato solutiuo. Ex Thamarindis haberetis omnia bona, exiccant, refrigerantq́;: confortaretur uentriculus, euacuarentur humores putridi, qui sunt in primis uenis, & habent confortare cor: & sic extinguent calorem febrilem. Ex syrupo rosato solutiuo haberemus ex rosis quod refrigerarent, confortarentq́; cor, & corroborarent spiritus; euacuant humores adustos inflammatos, qui efferuescunt cum euacuantur, euacuanturq́; intestina fecibus, & omnibus excrementis: educuntur materiæ à primis uenis, qua præmissa lenitione

pos-

possumus tutò accedere ad phlebotomiam. Et ita habetis modum, & typum operandi in hac curatione. Quantum modo euacuandum sit, & quoad usque agendum sumitur tum à uirtute, tum à multitudine materiæ euacuandæ: multitudo materiæ indicat multitudinem euacuationis: hic erat multa materia. ergo copiosa debuit esse euacuatio, et multum quidem euacuaremus, si solum respiceremus materiam, nihil aliud esset inspiciendum; sed uirtus imbecilla non tollerabat multam euacuationem, & limitabat nostram operationem. Quis esset ille, obsecro uos, qui copiosè euacuasset in tanta uirium penuria, et infirmitate? ut qui non potuerit sustinere usque ad septimam defunctus est in sexto. non erat igitur facienda copiosa mißio sanguinis, ut uirtus posset tollerare. idcirco oportet ut parum euacuemus: suntq; hic duæ indicationes oppositæ, & omnino contrariæ: altera quidem à uirtute, altera à materia, utrique satisfacimus, ut tamen uirtus superet, atque præualeat, Euacuamus propter materiam, parum propter uirtutem. De tempore quando agendum medici quoque tempora seruant: Temporibus medicina nocet, data tempore prodest, dicebat Poeta.
Oportet ut obseruemus tempora. Quando agendum, à quo sumitur hæc indicatio, & limitatio? A coctione, & cruditate materiæ, à signis coctionis, & cruditatis hoc habemus: exempli gratia, hic non est materia concocta: ergo debemus expectare coctionem: cognoscemus factã coctionem ex signis ipsius coctionis, quum primum concocta fuerit, euacuetur. Nam si tentaretur euacuatio cruda,

da, non concocta materia agitaremus materiam, & uirtutem debilitaremus. Et præter hoc quod nõ haberemus id, quod intendimus, peius faceremus, agitaremus materiam, & uiolenter agitatam præcipitaremus ad aliquam partem nobilem, & principalem: unde fieret aliqua inflammatio. Sed in hoc casu, quia erat ægritudo acuta, & maligna non debemus expectare signa coctionis; statim euacuanda est? Si non euacuaremus in principio, non daretur amplius intentio ad euacuandum, nisi euacuassetis in alio mundo, hoc est aut apud inferos, aut apud campos elisios, siue superos: nec enim alio in seculo locus datur alius: in inferno forsitan potuisset purgari. postea in sexta mortuus est. Erat ægritudo acuta, non dabat inducias, oportebat facere, quod faciendum fuit in principio morbi: in acutis passionibus eodem etiam die operari oportet. Est & alius Aphorismus; in acutis. Si quid uidetur mouendum, moue in principio: non poteris postea mouere. Erat igitur necessarium lenire aluum, & per missionem sanguinis euacuare: quia expectanda non erat concoctio, propterea poteratis materiam mistam cum sanguine euacuare per euacuationem illam, quæ non expectat coctionem, & quæ euacuat materiam subtiliorem, & adhuc mistam cum sanguine: talis est mißio sanguinis. Secamus itaque statim uenam non expectata coctione, prius tamen lenita aluo, quæ est euacuatio non multũ trahens à longinquo, quæ euacuat ea solum, quæ continentur in primis uenis: quæq; euacuari possunt sine ulla coctione. ideo medici non debebant in hoc casu expectare

con-

concoctionem, ideſt ſigna coctionis in urina, quia interim mortuus eſſet: bene, & commodè ſine ullo nocumento poterat fieri nec euacuatio ſecta uena, lenita aluo: Debetis ſemper in acutis aggredi euacuationem etiam eodem die. itaque bene intelligatis Hip. & Gal. non ut ſonant uerba, ſed mentem eorum percipere, repetere ſcripta, et complicare omnia ſimul, & rectè intelligere non more barbarorum, quoniam Hip. habet principia Artis uera, et ſecundum principia docet. Hæc de tempore euacuandi, & aggrediendi curationem. De ubi quid dicemus. À quo ſumitur hæc indicatio? hæc ſumitur, quando particularis fuerit ægritudo à loco affecto, in quo eſt: Locus affectus eſt, qui indicat, ubi applicanda ſint remedia, quia illã uocamus ægritudinem particularem, quæ eſt in aliqua parte determinata. ubi ægritudo, ibi remedia applicantur. At ſi fuerit morbus uniuerſalis, ut eſt febris, quæ totum corpus occupat, tunc non debetis eſſe ad modum ſolliciti de loco, ubi agendum: Ex quo totum corpus laborat. in Philiſco præter febrem uniuerſalem erat inflammatio in liene, locus erat lien inflammatus: & ſic lieni debebãt applicari, quæ remouerent inflammationem, & inflammationi reſiſterent à principio: Quia erat inflammatio in principio adhuc materia fluebat, non erat concocta. oportebat igitur refrigerantibus uti, & illa lieni applicare. Et medici ducti ſolum experientia in inflammatione à principio procedunt cum his, quæ reprimant, & refrigerent, ne augeatur inflammatio fluente materia: qui dicunt in principio repercuſsiuis ùtendum. Conſentaneum ergo

rationi fuisset, ut remota febre, uel saltem præmissa eius curatione, ut reprimeretur inflammatio particularis, ne cresceret, & fieret sæuior ægritudo: quæ cum esset in liene, debebant remedia lieni applicari refrigerantia, & reprimentia in principio: et ita lien locus inflammatus indicabat ubi agendum. Habetis totam curam perfectam huius febris: de reliquis indicationibus quomodo, quantum, quando, et ubi copiosius etiam dicemus, nunc tantum ipsas proposuimus, nō omnia sunt uidenda in uno casu, ut superius dixi, sitq; terminata curatio propter uos, & propter commodum uestrum, & aliorum omnium: cras de casu Sileni tractabitur.

SILENVM qui in Platamonis ædibus prope filios Eualcidis habitabat, ex laßitudinibus, potationibus, & exercitationibus intempestiuis ignis corripuit &c. Iste est, quemadmodum uidetis secundus æger, qui in ea constitutione, quæ fuit tertia in Thaso, ægrotauit in ipsa, quēadmodum Philiscus antecedens. Quo genere ægritudinis laborauerit, & quæ perpessus sit symptomata nos semper cum Hippoc. & seorsum per discursum considerabimus. Habetis ergo primo hystoriam quandam, qua narratur casus huius uiri: dicit quod silenus, qui habitabat circa ædes Platamonis incidit in febrem ex comestionibus, & potationibus, atque intempestiuis exercitationibus &c. Circa quod debetis scire, quemadmodum illa est uaria opinio quod Hippoc. non bene, sed uanè, & superflue meminit de loco, in quo erat Silenus, sicut uanum fuit posuisse in Philisco, Videtur quod uanum sit ita meminisse de lo

cis particularibus in ciuitate, in quibus habitant ægroti, quia nihil ad curationem faciunt. Dico non immerito hoc dixisse, connumerauit locum, in quo erat Silenus, non ut distinguat ægritudinem, quia nihil facit ad curationem, nec ad cognitionem ipsius: sed ut distinguat unum Silenum ab alio, ne confundantur, qui legunt hos casus. Si recte aduertatis uos inuenietis Hippoc. in hac eadem tertia sectione primi libri dicere alium quoque Silenum ægrotasse in tertia constitutione, qui in sexta mortuus est. Fuerunt & alii Sileni præter hunc, qui in xi perijt, hunc ut ab alijs distingueret, qui in eadem constitutione anni ægrotarunt, quos etiam ipse curauerat, ne confunderentur, & cum de uno loqueretur, putaremus de alio, propterea per locũ, in quo habitabat separauit, & dixit Silenum corripuisse febrem, qui habitabat in ædibus Platamonis apud filios Eualcidis. nunc cognosceremus qui esset Silenus: sed dicere simpliciter, Silenus ægrotabat febre non potuisset à nobis distingui. Meminit igitur de loco non propter ægritudinem, ubicunque habitasset febre laborasset, sed propter personas, ut distingueret ægrotos, ut cognosceretur quis Silenus fuit, qui hac febre correptus est ab alio Sileno: sed hoc nihil, uel parum facit ad artem, neq; aliter curabimus, quàm si esset alius, sciẽtes locum, in quo habitabat: sed quia faciebat ad distinguendos locos, & nos etiam id admonuimus de loco, nõ quia multum referat, sed propter quosdã Sophistas, qui putarunt uanum esse aliquid, & superfluum, ut id quod de loco dictum fuit. quid facit? isti non intelligunt: antiqui, ut dicit Gal. cognoscebant homines distin-

ſtincte, quando ſciebant, quo in loco habitarẽt: Et Silenus, ut dicit Hippoc. qui febre ægrotabat propter quas cauſas ægrotauit? audietis nunc ab Hippoc. deinde diſcurremus per ea, quæ ſunt notanda. Ægrotauit à potationibus, comeſſationibus, exercitijs intempeſtiuis, & immoderatis laßitudinibus: iſtæ fuerunt cauſæ febris, & hic eſt caſus propoſitus, oportet omnia recte conſiderare, & ſingula ſpeculari, ut medullam rei intelligamus. primo quantum ad laßitudinem, ex laßitudinibus dixit. oportet ut aliquid dicam de laßitudine, & quodnam ſit ſuum genus, ut eius eſſentiam percipiamus, genus laßitudinis propinquum eſt exercitium, habet hoc aliud genus, quod eſt motus: oportetne, ut dicamus de motu, de exercitijs, deinde de laßitudinibus? maximè: ut uideamus quomodo laßitudines dependeant ab exercitijs, & quam occaſionem prebent ægritudinum, ut uideamus quomodo ex laßitudinibus, & exercitijs immoderatis incidit in febrem. Quantum ad exercitium debetis ſcire, ut notauit Gal. in ſecundo de tuenda ſanitate cap. ſecundo quod motus labor, & laßitudo hæc ſunt tria, quæ à ſeipſis inuicem diſtinguuntur: quoniã motus eſt, ut genus magis uniuerſale ad illa duo laborem, & laßitudinem, ideſt, ad exercitium, ut melius loquar, & laßitudinem; & eſt tanquam principium, ad quod ſequuntur ambo, ut niſi præcedat motus, illa non ſequentur. Motus autem, ut ibi dicit Gal. eſt agitatio corporis in loco, ita ut corpus moueatur de loco ad locum alium. oportet igitur, ut ſit motus localis uel ſecundum partes, uel ſecundum totum, ſi debet à nobis conſiderari quoquomodo fiat.

Sed exercitium est quidem motus non quilibet motus, sed uehemens motus, ad quem sequitur mutatio anhelitus. Quando mobile ita mouetur uehementer, ut anhelitus in suis differentiis mutetur, & fiat maior, & crebrior, tunc uere fit exercitium: neque est adhuc exercitium, nisi habeat hoc, ut mutetur anhelitus. Vnde male illi medici faciunt, qui consulant exercitium faciendum usque ad sudorem, uel mutationem anhelitus: male in hoc determinant recentiores nostri, quia iste non est terminus exercitij ad omnes, sed tantum ad aliquos homines. Vario enim modo exercitium considerari debet, ut uarij sunt homines, qui exercentur: sed dicimus exercitium esse usque ad mutationem anhelitus formaliter, quia non dicitur exercitium, nisi ratione huius formæ. Nam tunc secundum formam appellatur exercitium, quando motus corporis eò deuenit, ut sit mutatio anhelitus, neque dicitur exercitium prius, quam habeat suam rationem formalem, quæ est, ut mutetur anhelitus. Quod cum ita sit non tamen propterea sequitur, quod in quolibet homine exercitium debeat fieri ad unum hunc terminum simpliciter, idest, ad mutationem anhelitus, hoc dicere est ignorare essentiam, & formam exercitij, & hominibus minime consulere sanitatem. Varij sunt termini, & debent esse exercitij, prout uidentur homines exercentes requirere. Nam, ut bene inquit Gal. exercitium est motus factus in corpore propter aliquem finem, idest, propter sanitatem, ut etiam dicit Ari. qui finis refertur ad hominem, qui se exercet: & pro uarietate hominum, ac personarum, qui se exercent, uariatur etiam exer-

ercitium, aliquando ad maiorem mutationem anhelitus debet terminari, prout uariæ personæ, & uaria corpora requirunt. Vnde Gal. diuidebat exercitia in ualida, & debilia: magna, ac parua, intensa, remissa; longa, et breuia, & sic dereliquis, ut potestis uidere in illo de tuenda sanitate. Sed de his non est nunc nostra intentio: satis sit uobis habere hoc pro confesso, quod exercitia uariantur pro uarietate corporum, & non habet semper unum terminum: in quolibet tamen homine si debet esse exercitium necesse est deuenire ad mutationem anhelitus, si debet fieri exercitium. iste est rectus conceptus exercitij, infra quem consistere non licet, sed bene superare. Quopropter habetis quomodo exercitiū differt à motu, ut à suo genere, cui ut species subijcitur, cum exercitium sit motus uehemens usque ad mutationem anhelitus, & etiam sua ratio formalis. & sic quodlibet exercitium motus est, non quilibet motus est exercitium: sed uehemens motus. Labor uero, & si melius diceretur laßitudo, quoniam ita dicunt græci, & textus græcus Hipp. ita habet ἐκ κόπων, non autem ἐκ πόνων, Ex laßitudinibus, non ex laboribus, ut bene interpres transtulit: laßitudo, uel labor est effectus ipsius exercitij, quandocunque exercitium non fuerit factum secundum artem, & modum exercendi, uel quoniam non est occasio ad exercendum, uel quia hora intempestiua, nec idonea, nec in tempore fit exercitium, quomodocunque fiat exercitiū semper sequuntur laßitudines, uel propter extensionem horæ, uel inordinationem: in quocunque peccatum fiat, semper fiunt laßitudines, & istæ sunt tot, quot affectus

poteſt pati corpus ex inordinato exercitio, & intempe- ſtiuo. affectus autem quos pati poteſt corpus, ſi ſimpliciter conſideremus eorum formas, ſunt quatuor: quod ſi tantum ſimplices, illi ſunt tres, & ita tres ſimplices laßitudines: una & eſt quarta miſta. ſi abſolute conſideremus earum formas quatuor omnino reperiuntur. Nam quando homo ualde exercitatur, uel intempeſtiuè exercitatur fiunt laſ- ſitudines, prætermiſimus hic unum neceſſarium, Eſt prius uidendum hoc unum, quod dimiſeramus, poſteà redibimus ad laßitudines. prætr conceptum, & rationem formalem, et ſuum genus quod eſt motus, ante quàm eius affectiones dicamus, uideamus in qua hora, & quo tempore fieri de- beat exercitium, ut ſciamus tempore idoneo exerceri, & qua hora facto exercitio ſequatur labor, & laßitudo, ut ui deamus utilitates, quæ poſſunt haberi ex exercitio tẽpeſti uo: quæq; affectiones ab exercitio nõ tempeſtiuo. Exerci tiũ eſt motus uehemens corporis. Ex uehemẽti motu quid ſequitur utile? tria ſequuntur utilia ſecundum naturam rei. ſi conſidereremus naturam exercitij neceſſariò haben tur tres utilitates, ſequitur primum ex natura exercitij, quod ſolida corporis membra indureſcant, fiant ſeipſis du riora, quomodo ſequitur hoc? ſequitur quoniam motus ca lefacit, & exiccat: Vnde ſiquis humor fuerit in membris collectus, in muſculis, & partibus ſolidioribus, ut peccent frigidi, aquei humores propter inertiam, & torporem exercitium corrigit eos & exiccat: ex uehementi motu exercitij conſumũtur, qui cum eſſent in membris laxiora & molliora ipſa reddebant. Quod ſubtilius eſt in humo- ribus,

ribus, resoluitur, & pinguedo absumitur. ex quo sequitur durities membrorum, & compacta fiunt magis exiccata, duritiesq; sequitur necessariò ad siccitatem ipsorum. deinde motu excitatur calor, quoniam motus, & lumen adiuuant ad calefaciendum, imò ut dicebat Arist. hæc duo sunt causæ proximæ caloris, non quod motus, & lumen formaliter sint calida, & calefaciant, ut ignis calefacit: sed quoniam effectiuè calida sunt, possunt actu calefacere per uirtutem non eodem modo, quo dicimus aliquem calefieri quando applicatur igni, uel quando ponitur in balneo, ista cum actu calida sint: uel quando corpus in radijs solis immoratur calefit, non eo modo calescit propter motum, sed augetur calor ex agitatione, & ex illo motu per uirtutẽ, quam habet, ut agitando calefaciat, & augeatur quodam modo à seipso. ergo calor secundo excitatur, & ualidior redditur ex motu. tertio ex motu exercitij spiritus ipsi, qui nihil aliud sunt quàm corpus, & subiectum caloris nõ intelligendo de qualitate, sed de substantia, quatenus fluunt dicuntur spiritus, quatenus quiescunt, & dant uitam omnibus membris dicuntur calor, qui subiecto sunt idem, ratione formali differunt, ut aliàs abunde disputauimus. si per motum calor augetur, & calor à spiritibus non differat, spiritus quoque agitati mobiliores redduntur, & fiunt magis apti ad mouendum, & ad fluendum. Et ita ex motu tria acquiruntur: primum utilitas est, quod solidiora membra duriora fiunt, quàm prius essent, deinde calor excitatur: tum spiritus cum maiori impetu mouentur in corpore humano, membris duritiem, calori augmentum,

& intensionem, spiritibus impetum acquirit exercitium; hæc tria consequuntur. Quid modo acquiritur ex his tribus & quænam sunt horum trium utilitates? primum fuit, quod ex motu, & exercitio acquisiuerunt membra solida maiorem soliditatem, & duritiem: ex qua solidita te, & duritie membrorum duo sequuntur utilia. primum homines, quorum musculi sunt indurati propter duritiem maxime apti sunt ad exercitia, & ad laborandum, neque ita facile incurrunt laßitudines, quia si habent musculos, & membra duriora difficilius resoluuntur. durum enim resolutioni maxime resistit. ergo magis durant ad operandum, & longo tempore possunt persistere in operatione, & sunt robusta ad laborandum, & ad mouendum, non ita citò defatigantur, nec tam citò contrahunt laßitudinem. deinde ex duritie membrorum homines acquirunt robur, & fortitudinem in laborando, & exercendo. nam robustiora sunt, & fortius exercentur corpora duriora, ut sunt habitus Athletarum, quàm mollia corpora, quæ inepta sunt ad motum, & citò defatigantur. neque uerò sunt ita robusta, neque tam fortia in exercitio ut dura, sed laxa, minimeq; compacta, ac facile resoluuntur. Ex motu igitur, & exercitio duo consequenter habemus per soliditatem membrorum, atque duritiem: primum est quod nõ defatigamur citò, sicut quando manemus in otio, uos quotidie uidebitis homines otio uacantes siue otiosos non diu posse tollerare laborem, pigrosq;, & torpidos ad omnem motum, ac citò defatigari. deinde habemus ex motu, quod robustiores, & fortiores sumus ad mouendum, & ad exerci-

ercitium. qui degunt in otio debiles: & infirmi ſunt, ut ferè non poßint laborare. Ex ſecundo quod eſt augmentũ & excitatio caloris naturalis, aucto calore quid ſequitur? ſequitur, ut cum caliditas æqualiter aucta ſit per totum corpus, totum etiam æqualiter nutriatur. exercitium ergo iuuat nutritionem. Declaro, primum attractiones ad ſingulas corporis partes fiunt robuſtiores, & meliores: caliditas eſt quæ iuuat attractionem, imò eſt illa, quæ omnes conficit operationes: quæ attractio eſt materia ad nutritionem uniuſcuiuſque membri, & eſt una ex quatuor actionibus naturalibus, quæ fiunt in quocunque uiuente, & ſi hæc deprauetur, aut diminuatur fit, ut corpus non nutriatur quantum, nec quomodo oportet, ſed diminutè, & imperfectè alatur, ac diminuatur diminuto calore. hoc igitur præſtat nobis exercitium, ut totum æqualiter nutriatur quãtum, & quomodo oportet: quia meliores fiunt attractiones ad ſingulas corporis partes, quod eſt longè utiliſſimum: deinde facta optima attractione alimenti meliores quoque fiunt concoctiones: facta optima concoctione cum nihil aliud ſit, quam aſſimilatio alimenti cum alito ſequitur, ut fiat nutritio actualis membrorum, & ita membra nutriuntur optime: adhuc facta nutritione ſequitur, ut uirtus reddatur fortis, & robuſta. Quo fit etiam, ut hac ratione robuſtiora euadant corpora. Nam ut recte dicit Galenus in ſecundo Therap. Virtus conſiſtit in ſanguine, & membris ſolidis cum bona fiat attractio alimenti, & illius aßimilatio, ac optima concoctio de

bet etiam esse maxima copia sanguinis, & bene nutrita membra solida, uirtutesq; in singulis corporis partibus debent esse ualidiores: quæ nec nutriuntur, nec humectã tur illo humido substantifico tenui, & subtili, & Græci dicunt πλαυὺ, sed humido solidiori, & condensato pro= pter calorem concoquentem, qui concoquendo semper incrassat. unde non ita facilè resoluuntur, & magis resi stunt extrinsecus, & intrinsecus alterantibus. præterea humores, qui sunt in corpore excrementa à calore atte nuantur, concoquuntur, & separantur à bonis succis, et consequenter præparantur ad expulsionem. Quare au= cto calore exercitium iuuat omnes actiones naturales at tractionem, concoctionem, & nutritionem, & exceremẽ torum expulsionem. quod si ita est maxime facit ad sani= tatem, tandiu sanum est animal, quandiu optimè fiunt, in ipso operationes, & excrementis uacuum est. Videte quantam habeamus utilitatem ex secunda principali utili tate. Accedit modo tertium emolumentum, impetus spiri tuum, quem ii acquisiuerunt ex motu, & calefactione fa cta ab exercitio, ad impetum maiorem spirituum sequi= tur, cum habeant humorem attenuatum à calore, & se= paratum à bono nutrimento, quod aperit poros corpo= ris, & ipsius cutis, & ualide expellit, quod præparatum est ad expulsionem, & reddit corpus transpirabile, ut calor possit euentari, ne accedat putredo. Vnde sequitur sanitas: propterea ex his omnibus ab exercitio corpus sanum redditur. ideo bene dixit Aristoteles, quod exerci= tium, & causa sanitatis in duplici genere causarum, & fi nalis,

nalis, & efficientis: Efficiens quidem est, quia effectiuè ut uidistis hactenus, causat sanitatem: Finalis quia finis ipsius est sanitas: Exercemur enim propter sanitatem. Istud est exercitium rectum, quod est causa sanitatis, si hoc rectum scimus, poterimus etiam cognoscere obliquū. si est causa sanitatis moderatum: ergo immoderatum est causa morbi. Nam ut etiam dicunt dialectici, non cognoscitur obliquum, nisi prius cognoscatur rectum, q̄ sui iudex est, & obliqui. Quotiescunque illi, qui exercentur superarint, & excesserint hanc metam, & eas conditiones, præter naturam est exercitium, & est causa morbi, dispositionis oppositæ sanitati: sequuntur alii effectus cum superabundant. Ex his dictis sequitur quænam sit hora exercitii idonea, & quod exercitium fiat in hora minime idonea. Quando exercitium factum fuerit, cum repletum est corpus plurimis, & crudis humoribus præter naturam, est & malum exercitium: quia si sint multi, & peßimi humores intra uenas, non habet eas utilitates, quas debet habere, ut est rectum exercitium. Notate, hoc est ex natura exercitij. Natura exercitij, & utilitas ad quam ordinabatur fuit, ut membra solida fierent duriora, & solidiora: sed si fiat exercitium eo tempore quid contingit. Non modo non fiunt membra dura, sed etiam laxiora, & magis mollia, quam prius essent, cum in mēbris sint plurimi humores crudi, & praui, quia motu exercitij non exiccabuntur, nec fient duriora solida membra non exiccata, humores potius colliquantur ab exercitio, & carnes molliores, atque pinguedines, colliquatiq;

humo-

humores diffunduntur, & penetrant solida membra. ex quo magis etiam humectantur, & fiunt laxiora, & molliora, sequitur imbecillitas totius corporis, & laßitudo, & quandoque febris, ut alias declarandum est. Et calor innatus, de quo nunc loquor, debebat ab exercitio augeri, & corroborari non modo non augetur, nec excitatur, ut præstabat inter alia moderatum exercitium, sed magis debilitatur, & obtusus redditur. Nam calor naturalis à motu quidem debuit excitari cum subtilis, & uaporosus sit ab illo humore multo suffocatur, & retunditur à superflua eius humiditate, & cruditate, uel frigiditate: & ei quidem contingit, quod contingit igni, quando aqua proijcitur super ignem. uel quemadmodum quando igni apponitur glacies, & aqua congelata à calore ipsius dissoluitur, & colliquatur, quæ colliquata ignem extinguit, uel saltem minuit, & obtundit: ita propemodum quando humores praui, & crudi colliquantur obtundunt, & remittunt calorem naturalem. Præterea spiritus debebant acquirere impetum ex ipso exercitio, & ad motum fieri promptiores, non acquiritur impetus, imo magis refrangitur humor crudus, aqueusq; colliquatur, colliquatus obstruit, & occludit meatus, factis obstructionibus non possunt libere pertransire spiritus eo, quo debebant impetu, sed & magis impediuntur à suo motu, nec tanto impetu mouentur. Vnde sequitur segnities, & captura quædam, ac si non possent impetere, ut sua natura postulat, non possunt excitari, ut debebat fieri, quemadmodum diximus sequi ad exercitium moderatum,

& non possunt liberè transire propter humores colliquatos. ideo uidetis quæ incommoda sequuntur exercitiũ non naturale, & immoderatum non debito tempore factum, omnia opposita efficit, quæ facit exercitium naturale: & hoc apparuit ex natura exercitij. Ex eadem ratione sequitur, quod non debet fieri exercitium post cibum repleto uentriculo cibarijs: sed debet fieri ante cibum, ieiuno stomacho dicũt nostri nouitij, quoniam si fiat exercitium statim repleto uentriculo, nondum coctus fuit cibus, attrahitur chylus imperfectus, & inconcoctus ad ambitum totius propter expansionem caloris, distribuiturq́; per totum: attracta materia ad hepar non concoquitur perfectè, sed diminute, & ita cruditas multa aggregatur, quia sententia Auicennæ, & omnium medicorum primam concoctionem diminutam sequitur etiam secunda diminuta: & cum tollitur prima concoctio, non emendatur secunda. Oportet ergo quiescere post cibũ, & quiete concoctio perficiatur, si exerceatur sequitur attractio materiæ crudæ ad hepar, & chyli inconcocti, aggregata cruditate sequeretur, ut membra relaxarentur, & molliora fierent: consequenter & imbecilliora, uel in aliquam caderent ægritudinem: calor diminueretur, spiritus à motu & fluxu impedirentur genitis per totum obstructionibus, et tandem omnia fierent inconuenientia, quæ fuerunt in exercitio stantibus crudis humoribus, & deprauatis intra corpus humanum. Vnde optime Galenus in quarto illo de Tuenda sanitate dicebat, & præcipiebat, ubicunque esset cruditas succi in uentriculo,

ſiue in uenis totius ambitus, (de utraque loquitur, ut poteritis uidere) nihil faciendum eſt, non oportet moueri, ſed quieſcere. Dicit ipſe, non mouendum, non cibandum, non fricandum, non inungendum, ſed quieſcendum, & dormiendum eſſe. Quando ergo cruditas in corpore fuerit, mementote ſemper huius memorandi præcepti, nec unquam a mentibus ueſtris excidat, nihil faciendum eſſe, ſed à cibis abſtinendum, & ab omni operatione, & exercitio quieſcendum, ut interim calor occupetur circa eius concoctionem, & perfectam digeſtionem. Qui exercentur diſponuntur ad uarias corporis affectiones, & ut dixi, per cruditatem intelligatis ſecnndum Galenum utrãque tum eam, quæ in uenis eſt, tum quæ in uentriculo.
Quo poſito bene ſequitur non eſſe bonum, uel naturale exercitium poſt cibum: id quod non ignorans Hipp. ille diuinus, ſi unquam alius uir, adnotauit in ſexto Epidemiorum, ſectione ſexta, commento ſexto, inquit Hipp. Labor, cibus & potus, ſomnus, uenus, omnia moderata. Quid breuius obſecro, in quidue melius potuit dicere Hippocrates? id conſiderans Galenus in ſecundo de Tuenda ſanitate cap. ſecundo, à principio dicit quod his uerbis Hipp. mira breuitate notauit nobis ordinem omnium iſtorum, ſimul & modum ſeruandum, ut tueamur corporis ſanitatem: Dixit in fine Aphoriſmi. Omnia mediocria, & moderata. per hoc breuiter dedit intelligere modum, debere omnia eſſe moderata: per ſermonem deinde ſuum, & ordinem orationis aßignauit ordinem faciendorum pro tuenda ſanitate: Dicit primo. Labor, quia debemus

mus prius, & ante omnia exerceri, & per laborem, inquit Galenus, hoc loco intellexit exercitationem: Cibus deinde post exercitium cibari. Ecce ante cibum esse exercitium, non post cibum. Potus, postea potare, non bibere ante cibum, sed post cibum. Somnus: deinde dormire oportet, ut est consuetudo apud nostros. Postremo Venus: debetis post omnes istas actiones exercere Venerem post exercitium, cibum, potum, & somnum, ut prius dormiatis antequam coeatis. Non autem saturi, ut sues consueuere accedere ad coitum. mala est & fugienda hominum consuetudo, qui post cibum statim coeunt, & accedunt ad suauitatem. ista notauit breuiter Hipp. ordine, & modo facienda ad tuendam sanitatem. Et hoc non tantum Hipp. notauit, sed erat etiam antea sententia Homeri de Nestore loquentis, inquit Homerus, ipsum post somnum lauasse prius ante omnia, deinde sumpsisse cibũ, postremo dormiisse. Galenus exponit Homerum, & dicit per lotionem Homerum intelligere exercitationem, lauatus est, quasi dicat, exercuit se prius, postea cibasse, & dormiisse, ordinem eorum notauit ordine uerborum. Non temere dixit lauatus est, quod exercitiũ præcedat omnia: ista erat sententia Homeri, ac si fuisset medicus optimus, & peritissimus, dico Homeri, qui sciuit omnia. Et hæc dicenda erant de exercitio, & hora exercitii, quæ necessaria fuerint, ut nisi ista sciuissetis, non intellexissetis Hippocratem quando dicit in textu EX INTEMPESTIVIS exercitiis, quia fiebant in hora nõ debita, & quia maiora, & longiora, quam conueniret.

quo-

quomodo intellexiſſetis, quæ eſſent intempeſtiua exercitia? & quomodo ſciuiſſetis quid uelit Hipp.? intempeſtiua erant, quia multæ erant cruditates in corpore huius uiri, in uentriculo, cibus quando poſt cibum exercebatur, & quia crudi, & deprauati humores abundabant in uenis. ex modo etiam exercitii: quia modum, & tempus excedebat: erant exercitia intempeſtiua, ergo & omnia incommoda, quæ ad ipſa ſequuntur, & factus eſt morbus. uidetis quomodo erant intempeſtiua ex natura recti exercitii: ideo coacti ſumus de hoc obiter dicere, Hæc una erat occaſio morbi. Deinde ſunt laßitudines. EX LASSITVDINIBVS &c. Nunc modo uidendum eſt, quod erat uidendum de laßitudine, quidnam ſit? exercitium uidimus, nunc uideamus quid ſit laßitudo, ut etiam poßimus cōſiderare quemadmodum fieret cauſa huius ægritudinis. Dico igitur quod laßitudines ſunt quidam affectus, quædam paßiones humani corporis, quæ ſequuntur ad exercitia intempeſtiua: quæ cum ita ſint, dicimus modo, quod ſunt genere quatuor omnes cō plectendo, ſicut ſunt quatuor affectiones intempeſtiuorum exercitiorum. Vt quando aliquis mouetur, & exercetnr intempeſtiuè, & ſi unum ſemper ſit exercitium intempeſtiuum, & immoderatum: tamen ſecundum naturam ſubiecti, & materiæ, quæ eſt inexercitata diuerſos producit effectus, & diuerſas laßitudines, ita ut omnes quatuor laßitudines fiant ab exercitio immoderatō ſecū dum diuerſitatem materiæ redundantis: hoc non eſt inconueniens. Nam & in naturalibus uerum eſt, quod ab

eadem

eademmet causa fieri possunt diuersi effectus propter subiecti diuersitatem, & materiæ, in quam agit causa, idem semper facit causa, diuersa apparent ratione materiæ: idẽ radius solaris duo facit opposita ceram colliquat, & mollefacit: lutum indurat, & congelat : quia cera aliam habet materiam à luto. si opposita producit eadem causa naturalis, quanto magis diuersa . idem calor numero diuersa facit propter subiecta diuersa, cum tamen ipse eodem modo agat calefaciendo: ita dico in proposito unum, & idem semper est exercitium intempestiuum formaliter, quod si habet eas conditiones, quas numerauimus, & semper idẽ facit: sed fiunt diuersæ paßiones, & diuersæ laßitudines propter diuersitatem corporum, in quibus fit exercitium, & secundum quod in ipsis uarij dominantur humores. prima itaq; paßio, quæ fit in corpore ab exercitio intemperato, quæ est? Est quando in corpore alicuius abundat humor crudus, frigidus ut pituita: uel acris calidus, ut est bilis, & exerceatur intempestiuè, & immoderatè: quid sequitur ex illo exercitio? illud quod dicebamus superius se qui ad exercitium crudis humoribus in corpore existentibus: ex illo motu corporis humores exagitantur, & ex agitati colliquantur, & si sint in quantitate mediocres colliquati penetrant musculos, & membra solida: unde fit lassitudo ulcerosa, & dicitur ulcerosa, quia sentitur sensus ulcusculorum, fit quoniam ille humor à calore ipso attenuatur, calor excitatur à motu exercitij, nã attenuatus humor penetrat, & peruenit ad musculos, & ad cutem, & facit sensum ulceris, pungit, & mordicat musculos, & cu

tē siue sit crudus, & frigidus, siue acris & calidus: quoniā frigidum ita mordicat, & pungit; ut calor: Frigidum inimicum neruis, quia mordax est: dicebat Hippoc. Diuersa tamen ratione utrunque pungit. Si humores sint mitiores, & in pauca quantitate tenuiores perueniunt ad cutem, & cutem solum mordicant: sed si grossiores, & acriores fuerint penetrant interius ad carnem musculorum. ideo illi, qui habent redundantiam humorum uel acrium, uel crudorum sentiunt mordicationem carnis, & musculorum, deinde quoque & cutis, ac si acu pungerentur, & haberent ulcuscula parua. Quotiescunque contigerit lassitudo ulcerosa, & sensus huius mordicationis, iudicabitis primum, ac cognoscere poteritis, quod hi sunt intempestiuè exercitati stantibus humoribus uel crudis, uel acribus in eorum corporibus: & non modo cognoscetis exercitium fuisse intempestiuum, uerùm etiam, qui humores abundent ex modo mordicationis num frigidi, an uero calidi? si fuerit mordacitas cum sensu frigiditatis, frigidi peccant humores, & crudi: si punctio est cum calore, tunc est materia calida, & acris. Et ita uidetis quemadmodum humores quando fuerint mediocres in quantitate, & qualitate excedant uel frigiditate, et cruditate; uel caliditate & acrimonia colliquatis, & ad musculos peruenientes faciunt primam speciem lassitudinis ulcerosam, licet ut plurimum fiat à calidioribus humoribus, quàm à frigidis. Vt omnia explanemus, nullaq; remaneat in mentibus uestris dubitatio, & propter affinitatem materiæ huius dicamus etiam breuiter, quando fiunt rigores

res, & quando ſpaſmi: magnam etenim habent communicationem in cauſis hæ affectiones. Debetis diſtinguere, ne incidat aliqua difficultas in mentibus ueſtris, & uidere, quàm diuerſis modis fiant iſtæ paſsiones. Ab eisdem proueniunt cauſis laßitudines, rigor, tremor, & ſpaſmus: ſed diſtinguendum eſt. Nam humores mordicantes, & qui faciunt punctionem aut ſunt pauci, & mediocres in quantitate, & ita faciunt laßitudinem ulceroſam: aut multi ſunt, qui in quantitate maiori perueniunt ad muſculos, & faciunt punctionem maiorem. unde faciunt tremorem, uel rigorem; muſculi cum percipiant magnam mordicationem humorum inſurgunt ad expellendum, quod ſibi nocuũ eſt, ſi pauca eſt rigor: ſi maior, concutiantur membra, & titillatio: ex quo efficitur tremor. Et notare quoniam Latini carent uero nomine huius affectionis, & propter paupertatem nominum, & inopiam rem intricatam, & multiplicem cauſatur error, & confuſio maxima. Græci fælicius dicunt ρίγος, habent propriũ uocabulum, quo exprimunt hanc paſsionem. Nos Latini appellamus rigorem, ut nomina ſint affinia, quaſi quod Latini detraxerint nomen ſuum à Græcorum uocabulo: ῥίγος, ac rigor uidẽtur affinia: ſed nos proprie loquendo longe aliud intelligimus per rigorem, habet aliud ſignificatum uerũ ſibi propriũ: dicimus ea eſſe corpora rigida, quæ propter frigiditatem congelata, indurata uidentur permanere, & immobilia. Græci autem per ῥίγος uolunt operationem oppoſitam, & dicunt rigorem, quam nos compulſionem, tremorem; ſic quoque compulſionem membrorum, & muſculorum

inæqualem. Ego itaque Latine, ubi Græci dicunt ῥῖγος dicerem potius compulsionem inæqualem, quàm rigorem, ne propter nominum affininitatem putemus res easdem: cum tamen contrariæ sint, cum rigor apud nos sit immobilitas corporis à summa frigiditate indurante, ῥῖγος apud Græcos sit concußio inæqualis corporis, ut etiam describit Gal. in libello de tremore &c. Ah, scio quod insurgeret hic aliquis sophista; qui quidem non considerauerit, sed tantum uiderit aliquam autoritatem in Hippocrat. in quinta particula Aphoris. Aphorismo 17. Dicit ibi Hippoc. Calidum, ubi quis sæpius eo utatur, hæc mala affert carnium effæminationem, neruorum incontinentiam, mentis torporem, profluuia sanguinis, animi defectiones: hæc, ad quæ mors. Frigidum autem conuulsiones, distentiones, liuores, rigores febriles. Ergo uidetur quod in eo Aph. Hippoc. opponat calori id, quod appellat ῥῖγος, igitur ῥῖγος & rigor adhuc idem erunt magnum frigus in corpore, ut in febribus existit. Quando hoc adduxerunt homines, putant aliquid dixisse, dicunt mille nugas, faciunt dubitationes, & suas ponunt contradictiones, dicunt. Gale. sibi contradicit hic & ibi, intricant ex malo intellectu rei, errant, & decipiuntur; nesciunt se extricare, et alios etiã confundunt. Ego dico quod forma, & uera ratio ipsius rigoris est concußio inæqualis, quæ non pertinet magis ad calorem, quàm ad frigus, nec magis ad frigus, quàm ad calorem, ab utrisque tamen potest prouenire: neque in hoc est aliqua differentia, semper rigor est, dum est concusſio corporis inæqualis, fiatq; uel à calore, uel à frigore nulla

la est differentia: hæc est sua forma, per quam rigor est rigor, concußioq; inæqualis. Rigorem appello propriè quod Græci ῥῖγος dicunt uocabulo abutor, non est mihi nunc curæ hoc: Hæc est differentia rigoris, ut sit inæqualis concusſio, ac fiat aut à frigore, aut à calore, nihil refert, semper est rigor, dum fiat inæqualis concußio. Hippoc. uero dicit, ut ibi exponit bene Gal. si ad uentriculum, & ad superiora humores moueantur, & calor ascendat sequitur concußio: si frigiditas sequitur ab humoribus frigidis sine concußione dicitur frigus. Quod si fiat ab humoribus acribus, uel frigidis inæqualis totius corporis concußio, rigor est. Et ideo bene distinguit Gale. febrem quotidianam à tertiana; & rigor, qui fit in utraque, non eodem modo fit: quoniam quando est quotidiana, quæ dependet à pituita sentitur frigus, ac si esset in hyeme: at in tertiana non non fit rigor, quomodo fit, quando à pituita generatur, et in quotidiana, uidentur in niue esse, & frigent, ac si essent in niue. At cum in tertiana rigent, interius membra tanquam acubus multis pungentibus mordicari sentiunt, semper tamen est rigor & in quotidiana, & in tertiana: & si in hac fit diuersus humor, quàm in illa. potest ergo fieri rigor tum ab humore frigido, tum à calido facta inæquali totius corporis concußione. Quod etiam ibi Hippocr. affirmat, non dicit aliquid contra nostram sententiam: quando in superioribus mouetur humores fit ῥῖγος: quando in inferioribus fit febris, non dicit calor, sed dicit græcè πύρ: nos interpretamur febrem calidam, ita consueuit appellare Hippocr. febrem, maxime si notabilis sit, non dicit

πυρέτος, sed simpliciter πυρ: ignis febris calida: estq; Hippoc. peculiaris loquendi consuetudo, ut nunc etiam uidebimus in hoc textu, in quo febrem Sileni ignem appellat πυρ. Non opposuit ῥίγος calori, ac si ῥίγος esset simplex refrigeratio, sed si humor ad superiora moueatur uel calidus, uel frigidus facit rigorem ad inferiora ignem, uel febrem. Et ideo uidetis, quòd non intelligunt isti homines, quid uelint docti uiri, errant, faciuntq; dubitationes, ac ne ipsi quidem intelligunt rem, & faciunt quam græci dicunt μολυνσὶν, inquinationem nostri, quæ fit in concoctione minime perfecta: sic ipsi non perfecte assequuntur, sunt pleni humoribus crudis, & inconcoctis, qui essent expellendi, uel potius concoquendi. Hactenus habuistis quomodo fiat rigor, & quomodo nomina non habemus, rigoremq; improprie uocamus affectum oppositum nominis significationi, deberemus dicere inæqualem concußionem totius corporis, non habemus unicum nomen proprium. Diximus quot essent laßitudines, ac unam exposuimus, tres alias consideremus, quas perficiemus cras, & declarabimus textum, ut omnia sint explicata, ac pateant omnibus.

NVNC autem cum esset necessarium, ut cognoscetis species omnes laßitudinis, si recte esset intelligẽdus ipse Hip. in textu, & in curatione Sileni, ob id in hesterna nostra expositione post exercitia declarauimus, quid esset laßitudo, diximusq; laßitudinẽ esse quandã affectionẽ corporis consequentem exercitationes immoderatas, et intẽpestiuas: deinde uidimus quot essent numero, & secundum na-

naturam rei inuenimus esse quatuor: quod nunc ostendemus, licet una sit impropria. inceperamus singulas declarare. primùm cum aliquis plurimum laborauerit, & intẽpestiue, quando plurimos habuerit humores crudos frigidos pituitosos, uel biliosos, acres, & erodentes, dicebamus quod ex intempestiuo exercitio semper idem fit, cum una tantum sit causa, calorem excitari, corpus incalescere, & spiritus agitari, & acquirere impetum ex ipso motu. Vbi uero est humor crudus, uel acris in corpore exercitato fit agitatio, & liquefactio illius humoris: agitati humores, & à calore attenuati perueniunt ad cutem, & ad musculos: non exhalant, quia non sunt ita attenuati, nec ita subtiles, ut difflari poßint, in musculis, & carne permanent, & moti per membra faciunt sensationem tristem, sensationem ulceris, pungunt, & mordicant tanquàm si in ipsis essent quædam ulcuscula dispersa: ex quo fit laßitudo, quæ inde dicitur ulcerosa, non sunt in tanta copia, ut motus poßit excitari, sed tantum sentitur acrimonia, & mordacitas illius humoris. Qui si fuerit in maiori abundantia non modo facit sensum tristem, uerum & motum: & ita fit non amplius laßitudo; sed concußio inæqualis, sed ut prius dicebamus, quem Græci propriè dicunt ῥίγος, Latini improprie nescio quo modo rigorẽ appellãt propter nominum affinitatem, proprium nomen non habentes. sed si fuerit humor adhuc craßior, qui non poßit expelli ad cutem perueniunt materiæ ad musculos, & ad principia musculorum, replent, & faciunt frigus in capitibus musculorum: sicut contingit in principio febrium:

unde fit ſpaſmus, & eſt ſpaſmus, qui fit à repletione, quoniam eſt alius quoque ſpaſmus ab inanitione: muſculi ſentientes frigiditatem, et principia ſua repleta, quæ ſunt nerui contrahuntur ad capita; contrahuntur ad principium proprium, fitq; conuulſio partium, in quibus ſunt, contorquentur, & conuelluntur contracta ad ſua principia, & eſt maior affectio, quàm rigor, aut laßitudo. Oportuit igitur hactenus propter affinitatem materiæ distinxiſſe generationem horum affectuum, ut admoneremus, quod iſta tria ſymptomata ſunt conſequenter ſubſequentia, laßitudo ulceroſa, ῥῖγος, ſpaſmus: fiuntq; ab eiſdem cauſis, & humoribus: differunt ſecundum magis, & minus: laßitudo quidem fit propter humorem attenuatum, qui ad cutem penetrat, & facit punctionem, & mordicationem carnis, non autem concußionem, uel motum, facitq; ſenſum triſtem, ſed non incitat muſculos ad expulſionem, ut moueantur: ſi uero & maior, & acrior fuerit humor in muſculis permanet, & excitat ad expulſionem, ita fit ῥῖγος & concußio inæqualis: ſi adhuc magis humor inhæreat muſculis, & capitibus muſculorum fit ſpaſmus, ſemper à pauco ad maiorem affectionem procedendo, ut rigor ſit proximus laßitudini, deinde ſpaſmus ſi rigor augeatur. Volui iſta dicere, quia faciunt ad diſtinctam tractationem laßitudinis, ut ſciatis illam diſtinguere à reliquis paßionibus. De laßitudine ſolum dicemus: propterea quod uiſa eſt prima laßitudinis ſpẽs, quæ fit pp humorẽ uel acutũ, uel frig. uel cal. acrem, qui ad cutem perueniuut, et pũgunt, et mordicant, ac ſi eſſent ulcuſcula parua: neque eſt aliqua diffe-

ren-

rentia num forent calidi, an frigidi? ita fit ratione frigiditatis, ut caliditatis: quia utraque pungant, & hæc est prima species laßitudinis ulcerosa, quæ ita dicitur propter causam dictam. Alia est species laßitudinis, quæ dicitur extensiua, uel tensiua: quando musculi extenduntur post immoderatum exercitium, ut cum aliquis intempestiue exercetur quoad musculi extensi fuerint. extenduntur autem, cum acquirunt maiores dimensiones, quas habent per fibras. Musculi nanque habent fibras diuersas, ut scitis ex anathome, duas secundum longitudinem, duas secundum latitudinem, & has aut per obliquum, aut per transuersum tendentes. Cum extenduntur musculi, extenduntur fibræ ipsorum musculorum, & incaluerunt extenduntur, & dilatantur, cum sint extensæ propter humores, qui ad musculos peruenerunt, si moueat homo non poßunt extendi, aut flecti, & ita non possunt redire ad suum situm, cum interiaceant materiæ. ideo si moueatur dolet, eo quod extensi non poßint motum adiuuare. homines non audent moueri: si moueantur, dolent, non possunt contrahere musculos, nisi summo dolore, non possunt redire ad suum situm naturalem: sicq; si motum tentent dilacerantur. Et ideo dicitur laßitudo tensiua, quia membra ita tensa remanent. Causa quare hoc est, quoniam, ut dicit Galenus, fibræ tensæ remanēt post motum, & exercitium intemperatum, & hoc quia humores craßi perueniunt ad musculos, & replent spacia fibris interiacentia, ut non poßint postea contractu sine dolore maximo membrorum: et hæc paßio est species

tetani, non dicam uere tetanus, sed est ueluti procemium Tetani, & iam significat proximè futurum Tetamum, si causa augeatur, non quod sit species uera tetani, ita ut tetanus de ipso prædicetur, sed principium quoddam mediatum ipsius, si sæuiora fiant accidentia, & causa potentior fit uerus tetanus: tenduntur musculi, ita ut non modo cum dolore, uerum nullo pacto moueri poßint, humores craßi, ac frigidi coagulantur, & simul aggregantur in membris, quæ maxime replent: ex repletione ita tensi manent homines, ut flecti minime poßint, augeturq; laßitudo, & tensio fibrarum. unde sequatur uigor ipsius laßitudinis, & spasmus, & ita causa laßitudinis est eadē cum tetano, differt tamen quia in tetano est potētior causa, quam in simplici laßitudine: & hæc species secunda laßitudinis, quæ est longe deterior prima: ratio est, quoniam tensio fibrarum, & musculorum longè peior existit, quam quando cutis tantum extenditur, & humor solum est in superficie. in hac secunda humores craßi continentur in musculis, & membris sensilibus, et sic deterius habent homines, quam in ulcerosa, non possunt moueri, & propinqui sunt spasmo, qui est maior affectus. Tertia laßitudo fit quando quis redūdat plurimis, & quidem bonis humoribus sanguineis, ut etiam notauit Galenus, qui ait hanc laßitudinis speciem peculiarem esse corpori sanguine pleno, quod Græci πληθώρικον à πληθώρα repletio bonorum humorum. in plethoræ igitur dispositione homines tantum non afficiuntur hac specie laßitudinis, si corpus plethoricum exerceatur immoderate,

te, & intempestiue, incalescit, agitantur humores, qui ad musculos & penetrant, & carnem musculorum. Neque credatis, quod sit materia ita mordax, ita maligna, ut in prima illa specie ulcerosa: neque ut in secunda est maior in quantitate, maior tamen in quantitate, partes corporis ita repletæ intumescunt, incalescunt, rubefiunt, & inflammantur, quæ omnia sunt symptomata ueræ inflammationis. idcirco uidentur omnia membra laborare inflammatione, uel apostemate, propterea illam recentiores appellarunt apostemosam; id quod nos Latini apostema dicimus secundum nouos, & Barbaros appellantes propriè inflammationem diceremus inflammata membra, uel apostemata. Ex quo apostemosa diceretur laßitudo φλεγμονοδὴς, nos inflammatiuam, ut ita dicam, appellabimus, quoniam membra tumefiunt, & uidentur inflammata, ac si per totum corpus esset unum apostema calidum. Hæc est peior species, quam aliæ duæ sint: deterius est enim cum materia occupat musculos in tanta copia, & calida, ut facere uideantur apostema calidum: non possunt euitare, quin incidant in febres, ita ut quandoque sequatur febris acuta. Vnde bene dicebat Galenus in quarto de tuenda sanitate, si recte memini, capite undecimo. Quod illi, qui patiuntur laßitudinem φλεγμονοδὴ, non modo non possunt per aliquot dies expectare, quin incidant in febres acutas, sed neque possunt expectare per aliquot horas, quin etiam inflammentur. ideo non tantum incidunt in febres, sed etiam in acutas febres, quod etiam exposuit, quia humores calidi inflam

mati

mati ſunt, & ſunt agitati extra proprium locum. humores autem cum exierunt locum proprium putreſiunt, ex putredine fit febris, & quidem febris acuta, non mera febris. Quare uidetis tertiam hãc eſſe laßitudinem, quæ fit quotieſcunque humores plurimi exeunt uenas propter intempeſtiuum exercitium, faciuntq; affectionem ſimilem inflammationi. Et habetis hactenus tres laßitudines: una eſt, quam modo declarauimus, altera in qua poſt exercitium humores penetrant carnem, & muſculos, qui ita repleti tenſi remanent, quæ tenſiua dicitur, uel humores ſunt attenuati ita, ut perueniant uſque ad cutem, non modo ad muſculos: & cum ſint mordaces pungant partes cutaneas, & faciunt ſenſum ulceris. ex quo etiam ulceroſa dicta eſt. Secundum ergo quod ſunt humores in corpore abundantes, qui à motu, & exercitio agitantur, & faciunt tres affectiones, ita tres fiunt laßitudines, quæ ſunt ſimplices, & propriæ laßitudines. Eſt modo alia impropria, quæ eſt quarta in ordine, quoniam fit quartus affectus in corpore ex immoderato exercitio, & tot ſunt laßitudines, quot ex ipſo ſuccedunt affectus, ut dicebamus à principio: iſta quarta laßitudo eſt non proportionata ad materiam, ut inquit Galenus non propter aliquem humorem abundantem: ſed quando deeſt etiam magis materia, quam oportet, ut in exiccatis, & macris corporibus, & macilentis: ſunt aliqua corpora gracilia inanita humoribus, quæ ſi exerceantur exiccantur: ex motu reſoluente humiditates exiccati muſculi tenduntur, & ita fit tenſio muſculorum, non ex repletio-

ne,

ne, ſed ex nimia euacuatione, & exiccatione, ut non poſ ſint moueri, & rigidi maneant: quia adeo ſunt extenuati, & exiccati, ut contabeſcant. Hæc eſt laßitudo omnium peßima, quæ fit ob priuationem materiæ, & humorum defectum, ita ut niſi arte ſuccurratur, incidat in tabẽ: proxima eſt ipſi tabi. Ne ergo ad tabem deueniant occurrendum eſt, cum ſit tenſio dura, completa, relaxatio ei contraria eſt. ergo calidis, & humidis, quæ deperdunt tenſionem ſubueniendum eſt: calida, & humida relaxantia, quæ Græcè dicuntur ἀνώδυνα in hac dura tenſione applicanda ſunt, quia emolliunt, & remittunt id, quod in tenſum eſt, quia contraria contrarijs curantur, ut aiũt medici. relaxabitis igitur, ut non incidat in tabem. Hæc laßitudinis ſpecies eſt illa, quæ correſpondet ſpeciei tertiæ impropriæ ipſius ſpaſmi: quemadmodum enim una ſpecies ſpaſmi impropria eſt, quæ fit ſine materia, ita una ſpecies laßitudinis, quæ à noſtris dicitur non proportionata ad materiam propter exiccationem. Nam ut dicit Hipp. in Aphoriſmis duæ ſunt propriæ ſpecies ſpaſmi, altera à repletione facta, altera ex inanitione. Eſt modo quædam tertia ſpecies impropria, non proportionatus ſpaſmus ad materiam fit ab aliqua qualitate, non à materia; non tamen propterea ab inanitione fieri dicendum eſt, ſed à ſola qualitate mordicante, acri: uel à frigore cõtrahuntur muſculi, & nerui ad ſuum principium, & fit ſpaſmus improprius, ut ſæpe contingit in ſingultu, quando aliquis comedit piper, ſynapi, uel alia huiuſmodi acria mordicantia: efficitur ſingultus ſine materia, qui eſt ſpecies

cies

cies ſpaſmi: quemadmodum dicit Galenus ſæpe ſibiipſi cō tigiſſe ex guſtu piperis, & aliorum acrium. Quia cum primùm piper, & acria medicamenta deguſtantur, contangunt os uentriculi neruoſum, & maxime ſenſibile, mordicantur nerui, mordicati retrahuntur ad ſuum principium, natura inſurgit ad expulſionem illius acrimoniæ & ita cauſatur ſingultus, & ſpaſmus non propter repletionem, nec propter inanitionem, ſed propter merã, & ſolitariam qualitatem mordicantem. ideo à noſtris dicatur ſpaſmus non proportionatus ad materiam: quia non eſt ab inanitione, tamen non fit à materia. Et hæc eſt quarta ſpecies laßitudinis impropria, ut tertia ſpecies ſpaſmi, quæ fit à ſiccitate corporis, & priuatione materiæ humidæ, quæ in omnibus correſpondet ſpaſmo improprio. ideo & ipſa dicitur non proportionata ad materiam. Iſta hactenus dicta de laßitudinibus, ut haberetis quid uelit Hipp. cum dicit, ex laßitudinibus incidiſſe in febrem. His ita uiſis, ut habeamus quid Hipp. per laßitudines, & exercitia intelligat intempeſtiua, nunc uideamus quæ ſequuntur, & primo de potationibus. POTATIONIBVS. Declaremus primo quid ſint potationes: deinde exponemus, quomodo ſint in cauſa ægritudinis, ut in textu dicit Hipp. per potationes non intelligit ipſe moderatas potiones, quoniam moderatus potus confert, attenuat humores, & conſumit, & reſoluit per halitum, & humectat exiccata membra, & omnia bona facit, ut recte dicit Hipp. in ſexto Epid. ſectione ſexta, capite ſexto. Labor, cibus, & potus, ſomnus, uenus, omnia

mo=

moderata, oſtendens, & docens tueri ſanitatem præſen tem. Potus ergo moderatus iuuat, & facit ad tutelam ſanitatis mediocriter ſumptus. Porro per priuationes intelligit immoderatos potus. dicamus de his, qui ſunt po tus intempeſtiui, & præter naturam immoderati. Quapropter debetis ſcire, quod potus immoderatus dupliciter eſſe poteſt, aut propter intenſionem & uigorem ui ni potentis, aut propter quantitatem & extenſionem po tus uini, quando multum uini bibitur, aut propter utrun que ſimul & potentiam, & quantitatem uini. Probabile eſt in Sileno utrunque fuiſſe, & quod bibit potens uinũ, & multum, ſicq; nimis potauerit. primo quod biberit ui num potens probabile eſt, & ſatis ueriſimile, imò fermè neceſſarium. fuit in Thaſo inſula una ex Cycladibus, in quibus fiunt uina potentiſsima, & fortiſsima, ut nunc quo que ad nos ex illis deferantur, maxime tamen in Thaſo, in qua inſula fiunt laudabiſsima. ideo & uinum Thaſium inter uina ab Hyſtoricis, & poetis laudata, non in ſecun dis reponitur: atque apud Galenum quoque uinum Thaſium reperietis eſſe inter potentisſima uina. Quod cum ita ſit, probabile nihil eſſe uidetur, quod Silenus iuuenis potauerit uinum potentiſsimum. Neque credatis, quod modicè biberit, bibit potens, & multum in quantitate, quomodo ſi parum bibiſſet, incidiſſet in febrem? quia potens uinum moderate ſumptum calefacit corpus, ſpiritus auget, & uirtutem corroborat, excrementa pur gat, & ipſorum expulſionem adiuuat. Si plus, quam quam par ſit bibatur inflammat ſpiritus, calorem auget

&

& intendit, ita ut generentur multi humores biliosi, calidi, adusti, & melancholici: quando multum de uino potenti aßumitur, ita tamen, ut calor adhuc superet ipsum uinum, & reducat ad propriam substantiam, ex intensione caloris inflammantur, & aduruntur humores. Si præter modum bibatur, ita ut non amplius à calore superetur, suffocat calorem, infrigidat, & omnia facit opposita. unde etiam Gal. dixit de illo puero pictoris, quod semper bibebat uinum potens, cum incidisset in febrem acutam super potato uino potenti in maxima copia ita inflammatum est ipsius corpus, ut mortuus sit. Semper proculdubio uinum calefacit, dummodo in certa quadam quantitate sumatur, quod si superet calorem innatum, suffocat, refrigerat, generat morbos frigidißimos, & peßimos, quibus moriuntur: & hoc est, quia uinum non est actu calidum, ut calefaciat applicatum corpori, est in potentia calidum respectu corporis, à quo debet reduci ad actum, & est sicut ligna se habent respectu ignis, ligna generat ignem, & sunt calida. Quando generãt ignem? generant quando ab igne superantur, & in eius naturã, & propriam uertuntur substantiam, nisi inflammentur, & ab igne comburantur, non sunt calida: dicuntur calida, quia igni applicata, & inflammata incalescunt, & maiorem facient ignem: ita uinum non est actu in re calidum, ut applicatum calefaciat, sed potentia calidum, & respectu corporis assumentis: quia assumptum in corpore humano aptum est, ut inflammetur, & cum inflammatum fuerit, & ad actum redactum calefacit, & inflammat

mat corpus, nisi prius inflammetur non calefacit. calor enim augetur, & intenditur etiam in infinitum, quanto magis uertit ad sui naturam, atque substantiam alienam materiam: ita etiam uinum inflammabile potest augere ipsum in infinitum, si calori aßimiletur per actionem ipsius. sed quando exhibetur confertim uinum, ita ut à calore superari non poßit: cũ is non poßit agere, nec cõuertere ipsum in propriam naturam quid contingit? tunc quidem fit id, quod in igne cum igni multa ligna superponantur, ita ut à multis lignis suffocetur, & omnino extinguatur: licet enim ignis augeatur à lignis, quando eorum substantia augeat, et multiplicet ignem per mutationem in substãtiam, & naturam ignis, tamen hoc fit quando ligna proportionem habent cum igne, ut poßint ab ipso superari; alioquin si fuerint igni disproportionata oppositũ faciẽt; & non modo non augebunt, sed etiam superabunt, et suffocabunt. debent itaque proportionari: quia à proportione maioris inæqualitatis prouenit actio, ut medici, & philosophi dicunt: à proportione minoris inæqualitatis non prouenit actio, quando agens debilius fuerit passo: oportet semper agens posse supra passum, ut agendo superet uim ipsius paßi. Vinum ergo in quantitate debet proportionari corpori assumenti, si debeat calorem augere. unde si plus, quàm par sit uini potetur, ut disproportionatum sit calori innato, non modo non calefacit, sed refrigerat. cnius signum est, ut dicit Hippocr. quod illi, qui plurimum bibunt, & potatores multi uini incidere solent in multas, & sæuißimas ægritudines frigidas: laborantq; Epilepsia,

podagra, tetanis, paralysis, spasmis, apoplexia, & cæteris morbis, qui fiunt à frigiditate: quia, ut dictum est, licet uinum calidum sit ad actum reductum, tamen in multa quãtitate sumptum non potest à calore superari, extinguitur calor, & corpus refrigeratur. præterea qđ refrigeretur hinc habetis, quod isti bibitores plurimum dormiũt non alia de causa, nisi quoniam uinum refrigerat cerebrũ, & principium omnium sensuum: hoc est quod dicit Hip. somnus est refrigeratio primi sensorij siue modo sit cerebrum, siue cor. Et uos experimini quotidie, quanto plus bibitis, tanto magis proni estis in somnum, & multum dormitis: propterea si uinum plus, quàm oportet potetur, & præcipue potentißimum infrigidat corpus, & suffocat calorem innatum, quoniam non potest à calore superari, nõ uictum non intendit, sed extinguit ipsum. Quare sicut illi, qui bibunt uinum in debita quantitate, & qualitate augent calorem innatum, si habuerit cum corpore proportionem, ut non excedat, neque deficiat, nutrit, & facit ad tuendam sanitatem, & sic mediocris potus sanitatem efficit, & conseruat: ita potest esse improportionatum corpori quantitate, aut qualitate ratione ætatis, aut temperaturæ, aut regionis, aut reliquorum consimilium, uinum potentißimum iuueni potenti est non proportienatum, & illum offendit, seni tamen proportionatum, quem propterea adiuuat. Sileno uinum erat improportionatum ratione ætatis, & respectu regionis, & corporis ægrotantis tum propter quantitatem, tum propter qualitatem, cum esset in regione calida, ætatis iuuenilis, circa ætatem

20.annorum,robustißimi corporis,& optimæ tẽperatu ræ calidæ,in uiro hoc inflammata sunt omnia ex potatio ne immoderata uini potentis, generati multi humores bi liosi,calor innatus debilitatus.et ideo multiplicati sunt hu mores craßi crudi,& frigidi,& pituitosi multiplicata po tatione uini,qua iam calor suffocabatur,& corpus refri- gerabatur. Vnde uidebitis posteà,ut notauit quoque Gal. in commento huius aphor. uidebitis inquam quod in hac ægritudine fuerunt duæ causæ materiales permistæ, duo humores diuersi,humor craßior & frigidior,deinde hu- mor calidus,biliosus,inflammatus;hos duos humores ag- gregauerat Silenus:& ita uidetis quomodo habebat ista tria,in quibus maxime deliquit. primo potabat plus,quã oporteret ,& par esset corpori iuuenili bene temperato, & peccabat in quantitate potus:quia nimium bibebat;tum in qualitate,quoniam fortißimum erat, & calidißimum ui num:non seruabat secundo tempus in exercitio,sed intem pestiuè exercitabatur:non seruabat modum in quantitate, quia immoderatè exercebatur , & præter modum , dum se eo modo intempestiue exercuisset,incidit tertio in laßi- tudines;quia,ut dixi sunt affectiones immediatè sequentes ipsum exercitium.Laßitudo est quoddam prænuntium;et procœmium morborũ:spontaneæ laßitudines morbũ præ nunciant,ut dicit Hip.aggregabat ergo materiã non mo do per potationes,uerum etiã per exercitia intempestiua accumulabat humores adustos,& biliosos aggregatos a- gitabat,& præparabatur corpus ad morbum ex his oc- casionibus,quas ipse dicit. Vnde post potationes, & exer-

citia intempestiuè, uideatis quid contigerit; incidit in laßitudines, quæ sunt proœmium, et dispositio ad morbum, uel affectus præcedens statim morbum. Ex his ergo duabus causis incidit in laßitudines; laßitudo modo est affectio sequens illas, & præcedens morbum. Ex his omnibus tribus (inquit Hippoc.) Silenus correptus est febre, ex potationibus, immoderatis exercitijs, & laßitudinibus: non æqualiter tamen, nec eodem modo omnes fuerunt causæ huius ægritudinis. Ex primis quidem duobus exercitijs, & potationibus correptus est tanquam causis effectiuis: ex laßitudinibus uerò, non ut effectiuis causis; sed ut a medio colore fit extremus: quia laßitudo est quædam media affectio ad morbum procedens, ab hac fit transitus ad ægritudinem, non est ægritudo. nam ut ex medio quopiam colore fit niger, sic ex laßitudinibus affectus est febre: sicut quoque dicimus iter factum esse Vicentiam Patauio: quia Patauium medium est, quando uenimus Venetijs, primo uenimus Patauium, deinde Vicentiam tendimus, & dicimus nos Patauio uenisse; ut etiam medium colorem dicimus causam extremi, quia ex uno extremo albo fit processus à fusco puta colore ad nigrum, non ut causa efficiente: ita morbus iste factus est à potationibus, & exercitijs ut efficientibus causis; ex laßitudinibus, ut ex medio. licet ergo copulatiue omnia enumerauerit, tamen ita intelligatis, quia copulatiua non copulat hoc loco modum causandi, sed tantum numerum causarum præcedentium quæcunque sint. primo potauit multum, potatio auxit materiam biliosam adiectam, deinde frigidam, deinde exercitium immo=

moderatum agitauit humores, & propter motum uehe-mentem dedit maiorem occasionem augendi causam materialem: deinde laßitudo acceßit non causa morbi, sed potius initium, uel nuntius morbi, & uia in morbum: copulatiua ordinem istorum consequentium copulauit. Quæritur modo hic iterum unum antequàm ulterius accedamus, ne quid remaneat obscuri, an ipsæ potationes, et exercitia intempestiua generauerint materiam, ex qua facta est posteà febris, ita ut ante non esset materia, quam potationes, & exercitia generarint? an dederint occasionem solum, ut contingit in his extrinsecis causis, quæ occasionem præbent materiæ præexistenti, ut faciat morbum, non quod de nouo generent materiam, sicut quandoque contingit deambulare per solem, & uehementer sub radijs exercitari, & potest hæc ambulatio, uel exercitium excitare febrem aliquam malignam: sed ut effectiua causa, & ut occasio, non quod generet materiam febris, quia non potuisset febris excitari, nisi fuissent in corpore humores mali aggregati, quibus præparatum erat corpus ad febrem: agitati modo, & moti ab exercitatione, & deambulatione fecerunt febrem, habuerunt quoddam initium à motu, & inflammatione ex motu. Vnde dico quod causæ externæ dederunt solum occasionem humoribus, ut excitarent morbum: non autem quod fecerint morbum eo modo, ut generarint materiam ipsius, quia si non adfuissent, exercitatio non excitasset febrem, excitauit quia agitauit, & inflammauit humores præexistentes. Debemus'ne dicere hoc ita fuisse in Sileno? An

uerò quod potationes, & exercitia intempestiua non modo dederint occasionem morbo, sed & humores generauerint, & materiam febris auxerint? Nam uidetur esse probabile, & ratio manifesta persuadet, quod auxerint materialem causam febris: quoniam quando aliquis plurimum potat, generantur in illo plurimi humores mali, biliosi, & adusti: si plus adhuc potauerit, & uino magis se repleuerit calor innatus suffocatur, & frigidi humores generantur pituitosi, & crudi. ergo potatio immodica non solum dat occasionem ad producendum morbum, uerum etiam multiplicat materiam ipsius morbi, cum utrunque poßit esse, ut potatio & sit occasio febris, & multiplicet materiam ipsius febris. in hoc Sileno uidetur probabile, quod dedit occasionem ad febrem excitandam, quoniam & antè potationes immodicas fuerunt humores in corpore, & illud signum est, quoniam post exercitationem intempestiuam, & potationes prima statim die apparuit morbus, & symptomata sæuißima: quod quidem indicauit humores multos præextitisse in corpore Sileni, qui non fuissent generati ab una immodica potatione, nisi dicamus, quod in hoc uiro fuit longa potatio propter quam etiam humores fuerint generati: ex quibus facta est febris, & ita materialem dederit causam. Galenus in commento tenet, quod solum dedit occasionem febri, non autem fuerit in causa, ut materia augeretur, uel hoc, uel illud non est multum curandum, quia etiam parum faciet ad curationem morbi, siue dicatis dedisse occasionem, siue ambo & materiam, & occasionem. Satis

est aduertisse Galenum ita uelle: quia si non esset corpus dispositum ad ægritudinem manifestæ causæ, quæ dicuntur procatarticæ diariam tantum febrem producerent: sed iam humores erant mali in corpore generati, quod patet ex signis malis, & ex principio morbi: quia dictum est, quod præcessit lassitudo, quam secuta deinde est febris, & plures sint lassitudinis species, quot audiuistis. Quæritur modò quænam species lassitudinis præcesserit, & de qua lassitudine intelligat Hippocr. quod ex lassitudinibus facta fuit febris. Num ulcerosa fuerit? Videtur quod fuit ulcerosa, & hoc credendum est fuisse, quoniam, ut Galenus dicit in fine commenti, ubicunque aliquis uehementer, & intempestiuè exercetur post potationes multos humores acres generat biliosos, & siqui fuerint in corpore colliquat, & ad membra sensibilia deducit, ut faciat lassitudinem, quã dicimus ulcerosam: sed uir iste abũdabat his humoribus biliosis. ergo probabile, & consonum rationi esse uidetur præcessisse ulcerosam lassitudinem. ex quo ut est fundamentum Galeni potauit, & intempestiuè se exercuit: ad ista multiplicati sunt humores acres, pungentes, & ita facta ulcerosa lassitudo. Ex alia quoque coniectura probabile est fuisse tensiuam lassitudinem. Ex quo signo & indicio habes hoc? Habeo ex hac coniectura uerissimili, quod primo statim die, ut dicit Hippoc. erat tensum collum, quod nihil aliud est, quàm lassitudo tensiua: ex alio habetur, quod affuerit etiam φλεγμονώδης inflammatiua. Hoc apparet ex eo, quia primo die pulsabant hypochondria, & omnino inflamma

ta ergo erant tres ſimul laßitudines: Et ego credo, quod iſtæ omnes fuerint in Sileno complicatæ, ut uidetur quoque aſſentire Galenus: & hoc peßimum eſt, quando omnes ſunt ſimul coniunctæ laßitudines ulceroſa, tenſiua, & inflammatiua. Quod autem fuerint omnes hæ tres in Sileno copulatæ, ſequitur ex his, quæ habentur in textu conſequentia neceſſaria. Non ſunt chymeræ. primo quod fuerit laßitudo inflammatiua ſeu apoſtemoſa, ut dicunt iſti, ex eo poſſumus colligere, quod ait Hippoc. in primo die lumborum inflammatio fuit. Cæpit ſimul ex lumbis laborare. Addit deinde & capitis grauitate tenebatur, collumq́; contendebatur. Signum manifeſtum eſt incidiſſe in laßitudinem tenſiuam, poſtea ſequitur. Primo die aluus biliosa, mera, ſpumoſa &c. Habuit prima die aluum fluentem, bilioſam, ideſt, ea quæ excernebantur erat ſola, & merabilis. Audiuiſtis quod laßitudo ulceroſa fit, quando humores acres, bilioſiq́; redundant, & pungunt muſculos, ad quos perueniunt, ut faciant ſenſum quorundam ulcuſculorum in cute. igitur cauſa eſſent in Sileno humores multi bilioſi, quod patet ex egeſtionibus, dico quod ex intempeſtiuis exercitationibus neceſſarium fuit laßitudinem quoque ulceroſam congenerari: et ita ex ſymptomatibus enumeratis ab Hippocrat. habetis hactenus, quæ omnes ſimplices, & propriæ laßitudines in Sileno fuerunt coniunctæ, quantum ex textu ipſo aſſecuti ſumus, non fingendo ſecundum noſtram imaginationem: & poteritis modo intelligere Hip. quid uelit, quando inquit. Ex laßitudinibus

bus incidit in febrem: per laßitudines intellexit omnes species laßitudinis, non unam tantum. resumendo igitur dicimus, quod potauit Silenus immoderatè, & intempestiuè se exercuit: ex quibus factæ sunt paßiones, & laßitudines omnes complicatæ, quemadmodum ostendimus; quoniam habuit diuersos humores malos, acres, biliosos, & crudos, frigidos, crassos, pituitosos, sanguinem multum, & copiosum: erat homo temperatus, iuuenis: exercitationes intempestiuæ, & immodicæ causarunt, ut statim febre corriperetur. ideo non est mirum si in uarias incidit laßitudines, & affectiones ex eadem causa exercitatus est intempestiue, ex acribus humoribus ulcerosa facta fuit laßitudo, ex craßis, & frigidis tensiua. unde & dolor capitis grauatiuus erat, quia pendebat à materia crassa frigida; à sanguine inflammatiua: inflammatio lumborum erat à sanguine calido; ex quo proprie fiunt inflammationes. Cum potauerit, et immoderatè fuerit exercitatus, ex his incidit in uarias laßitudines, & redundabant plurimi, ac diuersi humores præter naturam in corpore, postremò quoniã cõmoratus est Silenus in ea constitutione aeris pestilenti, non potuit euadere à peßima ægritudine. ideo mirũ nõ est, si incidit in malignã febrem, qualẽ uidebimus fuisse, & eam quidem pestilentẽ.

Audiuistis paulò antè ex quibus occasionibus Silenus inciderit in ægritudines, modo audietis, quæ fuerit ægritudo ita tamen, ut prius, & antequam audiatis quænam fuerit essentia huius ægritudinis, dicam symptomata.

primum quæ contigerunt circa hunc ægrum, tam ea inquam ſymptomata, quæ in toto progreſſu, & in toto tempore morbi uniuerſali perſeuerarunt, quàm ea, quæ ſingulis diebus apparuerunt, ut ex his in cognitionem eſſentiæ ipſius ægritudinis deueniamus, ut conſueuimus, & ut debent medici rationales procedere, Dicit Silenum, qui in Platanionis ædibus prope filios Eualcidis habitabat, ex laßitudinibus, potationibus, & exercitationibus intempeſtiuis ignem corripuiſſe. Hip. autem ſenſus talis eſt, quod Silenus, qui habitabat prope filios Eualcidis ex laboribus, compotationibus, & intempeſtiuis exercitationibus incidit in febrem acutam. Eſt hyſtoria, & caſus in his proponitur ſine ratione, tantum inquit Silenum febriſſe, hoc eſt dictum quoddam uniuerſale, & ſenſus eſt, quod ex his cauſis ægrotauit, nihil aliud: cum hoc dixerit uniuerſale, debebat poſtea enarrare omnia ſymptomata particularia, quæ ſingulis diebus uariata contigerunt à primo die uſque ad ultimum, in quo mortuus eſt. Vbi debetis aduertere, quod quando Hip. dicit ex laßitudinibus, & laboribus, & potationibus, exercitijsq; immoderatis Silenus incidit in ignem. primo dicit ex potationibus, & exercitijs tanquam cauſis factam febrem, pòſt enarrat ſymptoma, quod præceßit morbũ, & poſt ipſum incepit febris, cum dicit. Ex laßitudinibus, ideſt, cum ex his duabus cauſis incidiſſet in laßitudines; ex hoc ſymptomate tranſiuit ad febrem malignam. Vbi debetis obſeruare pro interpretatione horum uerborum, quod Hip. dixit. IGNIS CORRIPVIT. non dixit febris: habet hoc pro

con=

consuetudine Hip. ut quando uult dicere febrem aliquam, maxime notabilem, acutam, & magnam, non dicit πυρετὸσ, idest, febris, sed πυρ, idest, ignis: uidetur enim habere maiorem uehementiam. Quia igitur in Sileno erat febris mala, uehemens, & notabilis, acuta propterea dixit ignis, non febris. Corripuit ergo Silenum ex illis causis febris acuta. Cum proposuerit casum incipit modo enumerare symptomata, & principium febris: quoniam non statim corripuit febris, si præcesserunt laßitudines, præcesserunt etiam aliqua symptomata. Enumerat particularia accidentia, quæ fuerunt antequam inciperet febris, ex quibus sensim transiuit ad ignem, & inquit. COEPIT SIMVL ex lumbis laborare, & capitis grauitate tenebatur, collumq; contendebatur &c. Primo habuit hæc symptomata, ut antequam in ignem incidisset, cœperit laborare, & dolere in lumbis: ante febrem dolebant lumbi, & partes circa lumbos: habuit et grauitatem capitis, & dolorem grauatiuum capitis, & tensionem ipsius colli: hæc tria accidentia sunt, quæ præcesserunt febrem, & febris principium. Videbimus postea quænam symptomata secuta fuerint, & contigerint singulis diebus, omnia quæ enumerabit, secuta sunt principium morbi. Ista uero tria symptomata præcesserunt, quæ facta fuerunt ex laßitudinibus, idest, cum pateretur laßitudines, necessario his laborabat accidentibus; et quod laßitudo fuerit horum causa audiatis. primum dicit quod laborabat dolore lumborum: dolor lumborum quid aliud est, quàm laßitudo inflammatiua? Huius signum e-

ui-

uidens est, quod addit Hip. ex dolore lumborum secutum est aliud, habuit diaphragmatis inflammationem: et ratio est, quia in habentibus symbolum facilior est inuicem transitus, ut de calido in calidum, cum habuerit inflammatiuam laßitudinem in lumbis, facile potuit transire ad ueram inflammationem illarum partiũ; puta diaphragmatis: nihil aliud enim est inflammatio, quàm magna laßitudo inflammatiua: & laßitudo inflammatiua, Græcè φλεγμονώδης, nil aliud est, quàm principium ueræ inflammationis, ut cum fuerit in corpore laßitudo ista inflammatiua, nisi citò, & optimè succurratur transit in ueram inflammationem, ut dicit Gal. Cum itaque in lumbis esset dolor, & inflammatiua laßitudo non est mirum, si facta fuerit posteà inflammatio diaphragmatis proximi. Sed cur in lumbis potius facta fuerit laßitudo, quàm in alijs partibus? puto fuisse propter copiam sanguinis calidi ibi existentis, qui facilè potuit extrà uenari post exercitia immoderata, quoniam in lumbis, & circa illam partem est uena magna, in quà sanguis multus continetur, & ibi est hepar, quod est principium, & officina omnium humorum naturalium præcipue sanguinis. ideo in hepate multa copia sanguinis habetur. Est & proximus lien, quod est receptaculum excrementorum, & in quo abundant humores, propter hæc omnia non est mirum maximè quod locus debilis esse debebat: non est mirum inquam, si post exercitia immodica facta sit laßitudo inflammatiua in lumbis, & posteà etiam uera inflammatio diaphragmatis. Habuit unum aliud symptoma, nempe ten=

tensionem colli, & grauitatem capitis, quod est propriũ symptoma laßitudinis tensiuæ, quæ fit, ut inquit Gal. quando membra intensa sunt, ut non poßint recte moueri, collum ita contenditur, ut flecti non poßit, nisi cum dolore, & ita in collo erat tensiua laßitudo propter humores crassos ad musculos decumbentes: cuius signum etiam est, quod habebat grauitatem capitis cum tensione colli, quæ fit propter humores crassos, frigidos, & pituitosos, & hoc est etiam in commen. Gal. grauitatem à crassa materia causari, & tensionem non nisi à crasso, & copioso frigido humore, non à calido bilioso. Cum ergo laboraret laßitudine tensiua in collo, abundabat craßis, et frigidis humoribus: ex laßitudine habemus signum quod erat materia, & humor commistus, frigidus, crassus, pituitosus, & alius acrior, biliosus calidus: ex quo habuit coniunctas, & simul copulatas omnes laßitudines, quæ ab his efficiuntur humoribus: ista ex laboribus, & potationibus euenerunt. proposuit primo quod fuit febris uehemens, & magna, quæ acceßit propter exercitia intempestiua, & compotationes: ex laßitudinibus proposuit hoc per compendium, ut uobis ordinet textum, quo proposito, inquit, modo erat grauitas capitis: quæ signa erãt harum laßitudinum, quemadmodum dicebamus, tensio colli, & apostema circa hypochondria, ubi dolor erat, hæc omnia contigerunt postea, ut accidentia consequentia ad laßitudines, non ad febrem: quibus sic positis accedet modo ad symptomata particularia febris. in textu habitum est Silenũ laborasse circa lumbos, ut habeatis omnia, faciam

ciant uos animaduertere. iste qui transtulit Hip. in latinum dicit: Cœpit laborare in lũbis: ualde obscure trãstulit, qđ interpretabor, ut intelligatur mens ipsius Hipp. quoniam laborare est nimis uniuersale: propterea oportebat ipsum uertere, Cœpit dolere circa lumbos: dicere quod laboraret in hypochondriis est obscurum, & remotum, non intelligitur omnino id, quod uult Hip. per hæc uerba. Quod rationabiliter uertendum sit dolere, non laborare, ostendo, quia & si in textu græco habeat Hipp. πονεὶν, quod est apud nos laborare: unde πόνος, labor; tamen accipitur πονεῖν pro dolere, & πόνος pro dolore, imo hæc est Hip. consuetudo perpetua, ut ferè semper cum uult dicere dolet, dicit laborat; hoc sæpissime habetis, & in secunda particula Aph. Aph. 46. ubi inquit δυοπόνων ἅμα δειγνομενῶν. &c. Hoc est: δυοπονῶν. Duobus laboribus, idest, Duobus doloribus ponit πονον pro dolore, & si laborem significet, ἅμα δειγνομενῶν: simul incumbentibus eidem membro, uel loco. Iste est uerus sensus Hip. quem non ignorauit Leonicenus uir doctissimus, & peritissimus ita interpretatur Aphor. Duobus doloribus simul eundem locum infestantibus uehementior alterum obscurat. Videtis consuetudinem sermonis ipsius Hip. Oportebat ergo etiam hoc loco interpretem uetere, πονεῖν: Cœpit laborare dolebat, uel cœpit dolere, non laborabat: uos ita apta uestrum codicem. Erat dolor inflammatiuus, quia in illis partibus, & regionibus habebat lassitudinem inflammatiuam; deinde etiam inflammationem, quæ fit ab humore

calido. ideo dolebat circa lumbos: inflammatio fit defluentibus humoribus ad membra inflammata, quemadmodum declarat optime Gal. tum in libello de inæquali intemperie, tum in eo, qui est de tumoribus præter naturam: ubi ita dicit. Quando sanguis, uel humores exeunt maiores uenas, & transmittuntur à maioribus ad minores, deinde successiuè ad minores, & à minoribus ad minimas capillares, usque quo deueniant ad membra ipsa, & occupent spatia intermedia, & poros, qui interiacent membris, repleant, & ita partes illas extendant, extensæ doleant, et id propter inductã intemperiem præter naturam. hoc modo contigit in hoc casu defluente sanguine ad diaphragmatis partes extendebat, & intemperiem inducebat: extensa parte inflammanda soluebat continuum, et ita soluebat continuũ, q. sequutus est dolor statim à defluxu humoris tum propter intemperiem, tum propter solutionem continui: quia utraque causa doloris est, ut alibi ostendimus, & in posterum ostendemus, quando maiorem nacti erimus occasionem. propter qualitatem itaque humoris, & extensionem dolor præcessit inflammationem, quæ proxime dolori inflammatiuo successit: non immerito cœpit dolere ante, quam inflammatio confirmaretur circa lumbos. Circa lumbos, bene intelligatis: debetis intelligere sic, quod dolor inflammatiuus, & lassitudo erat circa partem superiorem lumborum, non circa lumbos, ut in aliis, sed circa partem superiorem, ubi est diaphragma, circa furculam stomachi: cuius signum est, quod habuit etiam inflammationem uerã in diaphragmate,

te, ut audietis postea: nunc incipiebat fluere materia. ergo ubi inflammatio futura, ibi debuit esse dolor præcedēs inflammationem, inflammatio in diaphragmate. ergo & dolor: sed diaphragma est supra lumbos. ergo circa superiorem partem dolebat, ita intelligatis, sicut & græcus codex habet. Vnde interpres Latinus elegantiæ potius studens, q̃ rei uoluit uertere alio modo, dicitq; circa præcordia, uel circa lumbos: utrunque dicit in hoc textu, non oportet grammaticam docere, & decipere scholasticos. duo igitur cōmisit in his uerbis primo dixit laborare: nos, ut textus græcus dicit, dolere: circa lumbos, circa diaphragma, præcordia aliud est, oportet attendere sensui Hippoc. non elegantiæ: cœpit dolere circa diaphragma, uel circa partem superiorem lumborum. Hactenus de his quæ præcesserunt ægritudinem, & de ægritudine. inuasit Silenum febris acuta ex lassitudinibus, & compotationibus, et exercitijs intempestiuis: prius tamen cœpit lumbis laborare, dolere circa diaphragma, in quo posteà fa = facta est inflammatio, grauitate capitis, & colli tensione tenebatur propter omnes laßitudines complicatas, quas simul patiebatur, præfuerunt omnia ista symptomata, postea, secuta est febris acuta cum symptomatibus, quæ quomodo secuta sint eã, audietis. PRIMO DIE postq̃ acceßit febris acuta. ALVVS BILIOSA mera, spumosa, affatim multa reddidit &c. Notetis quod singula uerba à nobis diligenter sunt perpendenda propter interpretem, & propter ipsum Hippoc. Dicit quod egessit

sit

ſit bilioſa, primo die excernebat bilem meram, copioſam, & ſpumoſam: ſignum eſt quod abundabat humor, & erat maxima copia materiæ. Regula enim eſt Gal. & medicorum, quod quandocunque excernuntur humores meri, & copioſi per egeſtionem alui, uel quampiam aliam excretionem, ut urinam, uel ſudorem in principio morbi nulla præcedente concoctione, in corpore eſt multa copia materiæ, & ualet argumentum, uel conſequentia: eo primo die materia excernitur cruda, non cocta. ergo multitudo humoris eſt in eo corpore, quam natura non poteſt regulare, ut exoneretur à tanto onere, inconcoctam & crudam cogitur expellere ſymptomaticè, non regulariter. Cum igitur fuerit excreta tum copioſa materia in primo die cruda ſine ulla coctione oſtendit, quod redundabant multi humores, erat bilioſa, ſyncera, non permiſta. Circa hoc notetis, ut ſciatis quid hoc referat, & cur addiderit in textu ſyncera, pro quo legatis Galenum in ſeptima particula Aph. Aph. 23. a deiectione ſyncera difficultas inteſtinorum, dicit Hippoc. quod Gal. in commento declarans quid per deiectionem ſynceram intelligat, dicit Hippoc. nominare deiectionem ſynceram, quando ſyncerus humor impermiſtus ſæroſæ, uel aquoſæ humiditati per ſeceſſum excernitur, ſiue ſit bilis, ſiue alius humor, ut melancholia. ideo à bile ſyncera deiecta difficultas inteſtinorum ſequitur, & eſt deiectio præter naturam: quoniam ſecundum Galenum bilis ſyncera non permiſta ſeroſitati propriæ erodit, exedit, & mordicat, non eſt naturalis. nō eſt ergo mirum ſi in tali egeſtione inteſtinum aliquod ex

edatur, & corrodatur. Quod de bile, idem de cæteris humoribus intelligatis. Nam ut dicit Gal. in secundo de facultatibus natur. Bilis tunc est naturalis, quoniam est permista suo ichori, & serositati aquosæ, cum duæ sint partes bilis naturalis serum, uel ut Græci ἰχὼρ, & substantia propria solida humoris, quoties serum, & partem tenuiorem amiserit præter naturam fiet. Nam ex permistione ichoris redditur bona in substantia, & colore fit, ut Græci fæliciter dicunt ὄχρα, ὄχρος color inest bili naturali: Nos possumus satis recte dicere, pallida: habens colorem paleæ hordeaceæ, uel citrina, quia habeat colorem citri, lutheum in albo, uel album in lutheo; lutheum clarum lucidum, ualde apertum, minime obscurum, ut alias docebamus in prima fen primi Auic. annis præcedentibus, capite de humoribus. Debetisq; audire omnino illum librum, habetis uirum doctum, qui legit ipsum. Bilis ergo naturalis permista est suæ serositati; ex qua commistione fit color ὄχρος pallidus, ab istis citrinus dictus, lutheus clarus: si separetur à serositate non habet amplius naturalem colorem: ex quo fit pallida per commistionem ipsius cum bile, quæ de se in substantia sine ichore crocea est, naturalis colorem habet ad croceam tendentem, sed non croceum propter aquosum serum, lucidum, album. ideo diximus describentes, esse colorem album in lutheo. si contingat igitur quod per calorem separetur, & absumatur ichor remanet substantia bilis crocea: si aduratur, & magis absumatur humiditas subtilis tanto magis amittit luciditatem, & fit æruginea, & tandem fit nigra; quanto magis aduritur, tanto magis

gis acquirit nigredinem. Et bilis mitis, ac benigna est, quando habet serositatem, acris, mordax, & non naturalis fit, quando syncera, & impermista, non præsente ichore, qui acrimoniam retundit. Humores ergo, ut de bile, ita de alijs dicendum est, omnes secundum doctrinam Galen. synceri tunc esse dicantur, quando fuerint separati à suis ichoribus, impermisti, & mera substantia ipsorum seiuncta subtili humiditate: Fœlicius dicunt Græci ἄκρ τος quasi merus, & seiunctus, simplex, sine alia parte humidiori, & aquosiori: Latini non bene dicunt synceros humores impermistos, quoniam syncerum illud proprie dicimus, quod sine uitio, sine dolo, & fraude existit; ut homo syncerus est & dicimus uirum esse syncerum, qui uitio caret, & quacunque fraude, non fraudulentus, sine macula. sed bilis quando est impermista, pura sine ichore mala est, acris, præter naturam, & uitio plena; imò quanto magis syncera est, ut dicunt Latini, discreta & impermista, tanto uitiosior, & fraudem maiorem, atque malitiam, & acrimoniam continet. ergo non debet dici syncera: quia nõ exprimitur proprie, quod uolunt Græci, quando dicunt εἰλικρινῆ, uel ἄκριτον: non. non: εἰλικρ νης dici potest syncerus, sed ἄκριτος non est syncerus, est impermistus, separatus, ut inquit Hippoc. in textu, & in eo Aph. 7. particulæ. Melius ergo dicamus, quod Græci dicunt εἰλικρινής, Latini syncerum uocant; Hip. uerò dicit non εἰλικρινῆ, sed ἄκριτον, sine mistione, non contemperatum, cum deriuetur à uerbo κεράννυμι, uel κεραννύω, quod est misceo, à quo etiam κρᾶσις deriuatur, ut dicunt philosophi, idest, mi-

 stio

ſtio, contemperantia, uel miſtura, ἄκριτος eſt impermi-ſtus. optime igitur Hippoc. græce dixit aluus bilioſa de-ijciebat, ἄκριτα, impermiſta quo modo, et Leonicenus uir doctiſsimus in eo Aph. interpretatus eſt, potuiſſemus, & nos inuenire ſatis idoneum uocabulum, ſed quia iſti ita uer terunt, ſyncera nunc dimittamus, de uocabulis nobis non ſit cura multa, dum de re conueniat: & intelligatis quid intelligat Hippoc. ſiue dicatis hoc, ſiue illud. Quare con-cludamus quod illi ſunt ſynceri humores, qui non habent seroſitates ſuas, & ſunt ſine ichoribus impermiſti, non compoſiti, ſicut docebamus in prima primi: ubi uidebamus omnes humores habere proprium ichorem, & ſuam ſero ſitatem cum ſubſtantia miſtam: humores inquam ſi debent eſſe naturales, & quod non ſunt naturales, quando non habent ſerum, neque poteſt inueniri humor naturalis abſ que ichore. ſicut quatuor ſunt humores: ita ſunt quatuor i-chores, & unuſquiſque proprium habet, imò oſtendeba-mus hac ratione melancholiam, quæ eſt fæx ſanguinis ſub tiliſsimam eſſe; quia habet ichorem miſtum, ratione cuius redditur tenuis, & ſubtilis. unde facile pertranſit per ua-ſa etiam paruula ad quod notandum eſſe uidetur, oſten-dimus ita eſſe ex natura rei per autoritates Galen. et ꝑ multa ſigna: quanto ſubtilior, tanto magis naturalis, et ma iorẽ habet copiã ichoris, & ſyncera, craſſa, terreſtrisq́; præter naturam exiſtit, & magis præter naturam, quo ſyncerior, imo dicam uobis unum uniuerſale, quod habe-tis ab Hip. in ſecundo Prognoſticorum, Apho. 45. 48. 46. 44. & 38. Non modo melancholia, uerum etiam cæ

teri

teri humores non naturales, & peiores ſunt, quo ſynce-riores, & minus permiſti ſunt ichoribus præter ſangui-nem, qui eſt proprium totius corporis alimentum. ideo ibi loquens Hip. cum Gal. de ſcreatione, & uomitione di-cit peiorem eſſe ſcreationem humoris ſyncerioris, quicun que ſit uel bilis, uel pituita, uel melancholia, & periculo-ſa magis, quàm ſcreatio humoris permiſti: quia peiores, & magis præter naturam ſunt humores quando imper-miſti ſunt, quàm quando permiſti, humores dico, qui ſunt ut excrementa ſanguinis, non principale alimentum cor-poris. Solus ſanguis, quo animal nutritur, eò melior eſt, quò minus permiſtus: peior autem eſt, & præter natu-ram quanto magis permiſtus eſt cæteris humoribus, & propriæ ſeroſitati, quia ſyncerus melius nutrit, q̃ permi-ſtus. alii uero humores permiſti, ſi quam habent malitiã ex permiſtione obtunditur. iſta dicebat omnia Gal. expo nens Hip. quæ erant aduertenda, & uobis afferenda, ut habita ueritate non incideretis in laqueos, & ut cauere-tis uanas contradictiones recentiorum: ibi etiam habebi-tis quod dixi, impermiſtum humorem ſyncerum dici ſine ſero. Vnde ex his quæcunque obijcientur euitabitis: et pri mo, quoniam uidetur oppoſitum dicere Hip. huius in ſu-periori caſu in Philiſco, quem expoſuimus, quando dixit quinto parum ſanguinis, idque merum ſtillauit: ἄκριτον inquit ipſe ſicut, & hic, & ſecundo Prognoſt. quomodo uerum eſt, quod dixiſti, ſanguinem impermiſtum bonum eſſe, tamen expoſuiſti ibi, quod peßimum fuit ſignum, & ſemper malum eſt, quandocunque excernitur ſanguis ſyn

cerus, qui ſignificat aduſtionem, & magnum eſſe calorẽ, uidetur eſſe contradictio in Hip. Non eſt contradictio, quia magni uiri ſciunt, quo modo loquuntur, ſed eſt æqui uocatio, quæ naſcitur ex malo hominum intellectu, aliter de ſanguine intelligit hic, atque ibi. Nam Gal. in ſecundo Prognoſt. et Hip. cum dixerunt quod ſanguis ſolus quanto impermiſtior fuerit, tanto meliorem eum eſſe: intellexerunt per ſanguinem maſſam ſanguineam, quæ continet quatuor humores naturales, & ex illis conſurgit, quæ habet pituitam naturalem, bilem pallidam, & nigrã unà cum ſanguine, qui eſt primus inter omnes humores. maſſa porrò hæc ſanguinis habet proportionem quatuor humorum, qui ita miſcentur, ut ſanguis à prædominio denominetur, nec actu poſſunt inuicem ſeparari, ſed ſemper ſunt complicati; & ubi unus, ibi alij copulari ſunt: potentiáq; diſtinguuntur, ut elementa in miſtis, quemadmodum declarat Hip. in lib. de natura humana, & poſteà Ariſtoteles confirmauit; licet aliqui aliter ſentiant. cum Ariſt. dicimus, quod neceſſariò copulantur omnes humores, nunquam ſanguis merus ſine aliorum permiſtione reperitur, qui ſi ſepararetur, non ſtaret uita animalis, non poſſet uiuere: de hoc ſanguine dicit Hip. quod impermiſtus bonus eſt, permiſtus uerò peior. quomodo eſt permiſtus, & impermiſtus? Eo modo, quo diximus in prima primi cum Auic. ex doctrina Hip. & Gal. Vbi diſtinguebamus humores, & dicebamus alios eſſe naturales, et hos quidem quatuor humores conſtituentes maſſam ſanguineam pro nutritione, & ſuſtentatione animalis, & qui

ita

ita miſcentur,quemadmodum dictum eſt: Alij uerò ſunt humores præter naturam,qui non generantur ad animalis utilitatem,ſed quia aut materia eſt improportionata, aut calor uel excedens,uel deficiens; aut ex permiſtione, ut & Auic.dicit. His ſtantibus bene modo uerũ eſt, quod dicebatur, ſolus ſanguis,ideſt, maſſa ſanguinea humorũ naturalium impermiſta humoribus non naturalibus melior eſt,quàm ſi permiſtus ſit,aut cum bile uitellina,aut bile atra,uel pituita ſalſa: quoniam quanto magis eſt his permiſtus,tanto magis adulteratur, & peior redditur, quia ſunt naturæ rebelles: iſti uero contrarium patiuntur. Nam humores præternaturales ſynceriores ſunt deteriores,quàm cum excernuntur permiſti. ideo Hip. de his intelligens dixit ſcreationem, & uomitionem utiliſſimam eſſe,quæ permiſta eſt; periculoſam, quæ impermiſta, & ſyncera exiſtit. Sanguis ſyncerus,impermiſtus humoribus præternaturalibus bonus,cum his permiſtus malitiam acquirit, & fit præternaturalis: quia quo purior, eo magis nutrimentum affert animali. At ſanguis naturalis nullo modo poteſt à naturalibus humoribus ſeparari, nunc accipio ſanguinem non pro toto aggregato, & tota maſſa, ſed ut eſt humor quartus contradiſtinctus cæteris tribus pituita, bile, & melancholia: hoc modo ſanguis impermiſtus naturalibus humoribus in uiuente reperiri non poteſt, alioqui ſtatim periret: ſunt neceſſarij ad nutriendum,quemadmodum oſtendimus alibi. Si ſeparetur euadit præter naturam, & ita ſi ſanguis ſyncerus excernatur malum: Hoc modo exponit & intelligit Ga-

lenus,quod dixit Hip. Merum ſtyllauit. quod eſt nigrũ terreſtre impermiſtum ſuis naturalibus humoribus, & priuatum ab ichore proprio.ergo malum; debetis ſcire, quod ſanguis naturalis bonus cum eſt permiſtus ceteris tribus ruber,floridus eſt, & calidus,mediocris in ſubſtantia, & modo ſubſtantiæ, clarusq́;: quia habet multos in ſe ſpiritus,ut etiam dicit Gal. Si fiat impermiſtus, & ab aliis ſeparetur fit præter naturam, & ſeparatur à ſpiritibus,qui ipſum reddebant clarum, & floridum: ſecernitur ab ichore, & ita fit craſſus corpulentus, & niger. idcirco non eſt mirandum id,quod aliàs dicebamus, quod ſanguis ſyncerus, quartus humor in ſeipſo acceptus, ut eſt ſine ſpiritibus, & ichore,ac cæteris humoribus craſſus eſt,frigidus, & ſiccus,terreſtris, corpulentus,niger, obſcurus, & ego loquor de propria ſanguinis ſubſtantia ſecundum Ariſtotelem,in ſecundo de partibus animalium: credo. cap. ſecundo,non eſt meum figmentum.Cũ ichor adiungitur, & ſpiritus in ipſo continentur floridus redditur,ruberq́;, & mediocris eſt in omnibus,in temperatura calidus & humidus,quia ſpiritus ſunt calidi, & de hoc dicunt medici,quod ſanguis naturalis eſt calidus, & humidus; ſine ichore, & ſpiritu terreſtris eſt,inimicus naturæ, & eſt merum uenenum corpori humano: & hæc eſt ſententia, & doctrina tum Gal. tum Ariſt. à quibus non recedimus. Concludendum igitur eſt,quod cum ſanguis dupliciter accipiatur uno modo intellexit Galen. in hoc caſu,alio modo in Prognoſticis: hic uult ſanguinem merum excretum priuatum ſpiritu, et ichore,ſeparatũq́;

à naturalibus humoribus malum ſemper eſſe, & maximã ſignificare aduſtionem. in ſecundo Prognoſt. dixit ſanguinem depuratum ab humoribus non naturalibus bonũ eſſe, malum cum permiſtus eſt, quia & ipſe redditur præter naturam. ideo nulla eſt contradictio, eſt æquiuoc tio terminorum propter malum intellectum hominum, qui faciunt contradictiones & paralogizant, & intricant uos: magni uiri non ita facile ſibi contradicunt, oportet intelligere decipiuntur propter paralogiſmos, & ignorantiam logicæ neſcientes diſtinguere: & quod eſt multiplex unum facientes, ſicut & ſæpius faciunt. Hippocr. nunquàm ſibi contradicit, & ſi multi propter ignorantiam exiſtiment contradicere. intelligatis itaque ex his, quomodo bilis ſyncera impermiſta ſine ichore contemperante peßima eſt, calida, ſicca, acris, mordax, & maximè inflammata, & à calore præpotenti aduſta, à quo abſumptus eſt ichor, & humiditas ipſius bilis, permiſta mitior, & benignior eſt. Hic uir habuit primo die aluum bilioſam meram, egeßit puram bilem, quæ aduſta erat, & præter naturam; quæ quidem periculoſa egeſtio erat, & peßime habuit Silenus: ſignum erat præpotentis caloris, & maximæ aduſtionis: quandoquidem eſſet abſumptus ichor, a quo retundebatur uis acrimoniæ. Fuit peßima egeſtio: & primo propter hanc primam conditionem, quia erat bilis ſyncera, & mera præter naturam; habebat & aliam conditionem, ſpumoſaq́; erat bilis ſyncera: ſpuma eſt ſignum agitationis, & mutationis, de qua deinceps tractandum eſt.

Inceperamus superius prosequi de symptomatibus, quæ singulis diebus contingebant in Sileno: uidistis quod primo die incepit laborare febre, & quidem acuta, quoniam cum dicimus, quod silenum ignis corripuit, dicimus quod laborauit febre acuta, quæ est ægritudo proposita, cum hoc sit quoddam confusum. ideo Hippocr. incepit distinguere symptomata particularia, quæ singulo die apparuerunt circa ipsum, ut ex his possemus cognoscere essentiam ægritudinis; dico symptomata singularia, quia proponet postea alia firma, & uniuersalia. Dixit quod primo die exibant excretiones biliosæ meræ, spumosæ, affatim multæ. Vbi erat à nobis prænotandum, quod fueram oblitus, quia dixit, biliosæ, non autem bilis mera, nolebat nos circa id decipi, ne putaremus, quod fuisset bilis illa russa pura, & simplex, sed utraque, uoluit ambas complecti, ne intelligeretur, quod esset una bilis. feces erant biliosæ meræ, idest, utraque bilis præter naturam permista, syncera tamen sine ichore, & alijs humoribus. Vnde egestiones biliosæ denominabantur, quia bilis utraque exibat diuersa ab altera, dißimilantur tum in substantia, tum in colore: si dixisset bilis, potuissemus existimare unam tantum fuisse bilem: at dicere biliosa de hac, & de illa intelligimus. postea per hoc quod dixit, mera, significauit impermistam esse ab alijs humoribus, & à suo ichore, & per hoc consequenter innuit, & diffiniuit malitiam materiæ morbi. significabat primo cum essent egestiones biliosæ, quod erant plures humores uno: & sic maligni, & mala materia, quanto plures sunt humores, tanto peiores in mor-

morbis tam acutis, quam chronicis: si sint plures humores excedentes non maligni, tamen longitudinem morbi efficiunt, & quidem longiorem, quàm quando unus, uel pauciores excesserint, uultis hoc uidere? audiatis, quanto plures humores non naturales peccauerint, eo magis homo recesit à proprio temperamento, ut qui sit in tanta discrasia, & distemperantia, ut multos & diuersos generet non naturales humores: sed curatio est reductio ad temperamentum: quo ergo magis recesit à temperamento, tanto longiori tempore poterit ad ipsum restitui. præterea & alia ratione faciunt longiorem ægritudinem, quia si sit unus, uel pauci humores citò concoquuntur: si sint plures indigent longiori tempore ad hoc, ut concoquantur, qui nisi concoquantur, morbus curari non potest; at si plures & diuersi sint humores non naturales, natura magis laborat, indiget longiori temporis spatio, & ita longitudo morbi saltem significatur: si modo non solum sunt plures, uerùm etiam deprauati, maligni, adusti, & multum à naturali statu recedentes non tantum longitudinem morbi efficiunt, & materiam deprauant, sed & pesimas generāt febres malignas, acutas, detestandas, & lætales; ita ut semper multitudo humorum non naturalium pesima sit, quomodocunque sint humores; uel non maligni, & ita longitudinem: uel maligni & acutiem morborum producant. Hic ergo homo in primo die per aluum egesit recrementa biliosa, syncera, non simplicem, & meram bilem, sed utranque, & synceram, impermistam, malignam. Vbi debetis scire, quid intelligatur per syncerum humorem: Bilis

enim

enim ſyncera dicitur ex Hippocr. & Galen. dogmatibus quando priuatur ſuo ichore naturali, & ſeroſa humiditate, a qua mitior redditur, atq; benignior. bilis autem maximè naturalis eſt, quando miſta eſt cum ſuo ſero, ſicut & quilibet alius humor naturalis, ut bene declarat Gal. in ſecundo de facul. nat. cum priuantur humores ſua ſeroſitate acriores efficiuntur: ergo & bilis, quando ab ichore ſeparata fuerit, & impermiſta acerrima, mordax, & erodens redditur, quia priuatur humiditate acrimoniam retundente. in Sileno primo ſtatim die egeſtio bilioſa fuit, duæ ſpecies ipſius bilis meræ, & ſynceræ impermiſtæ ſuo ichori. ergo maligna materia, & ualde rebellis ipſi naturæ: hæc eſt interpretatio Gal. non mea, & hoc probatum eſt tum ratione, tum authoritate, quod ſyncera materia bilioſa ita eſt, ut iam audiuiſtis; & ideo maligna tum quia multa, tum quia maligna, aduſta, & ſyncera, nihil deerat ad malitiam, quin efficeretur ægritudo acuta peßima.
PRIMO DIE aluus bilioſa mera. Hoc iam declaratum eſt hactenus, ſed præter hoc, quod erat bilioſa ſyncera impermiſta, aduſta, maligna, & uaria multa, accedebat unũ aliud ad malitiam perfectam egeſtionis, quod fuit ſpumoſa, hoc quoque erat peßimum ſignum. SPVMOSA. Et ut iutelligatis rectè omnes quid ſignificet, & portendat egeſtio, quando ſpumoſa apparet non modo in hoc caſu, ſed in qualibet acuta ægritudine, in quibus maxime ſolet apparere, ut quotidie experientes poſſumus teſtari, et quàm deteſtanda ſit ſpuma, quando uidetur tum in egeſtionibus, tum in urinis, oportet hic pertractare de cauſis

ſpu-

ſpumæ, quæ apparet in egeſtionibus, & urinis, & uniuerſaliter in quacunque re naturali; quod facere non poterimus, ut cauſas eius intelligamus, niſi & naturã prius ſpumæ cognoſcatis. Declaremus ergo quæ ſit eſſentia, & natura ſpumæ. audiatis: ſpumæ ratio formalis eſt ipſa permiſtio aquæ cum aere, uel melius, aeris cum aqua: quoties nanque aer permiſcetur cum aqua, tunc uere fit ſpuma, & hæc eſt ſpumæ ratio formalis, qua ſpuma ineſſe conſtituitur, & ſpuma denominatur; & ubicunque eſt, ibi eſt ſpuma: hæc eſt una cauſa. Cauſa efficiens eſt uiolenta agitatio utriuſque ſimul aeris, & aquæ. Dicitur notanter uiolenta agitatio utriuſque ſimul, ad differentiam permiſtionis naturalis: quia cum naturaliter non uiolenter aer & aqua ueniunt ad miſtionem, ut aer naturaliter miſceatur aquæ, ut unum agat in aliud, tunc non ſequitur forma ſpumæ, nec ſpuma conficitur, ſed aliud quippiam. Ex permiſtione naturali horum elementorum ſequitur forma olei, & efficitur oleum: quid enim aliud eſt oleum, quàm aer cum aqua commiſtus. unde à prædominio aereum eſt: ex qua permiſtione ſpuma oriri non poteſt: quia ſpuma eſt quoddam miſtum præter naturam. ideo ut excluderetur ab actione, & miſtione naturali diximus, quod cauſa efficiens ſpumæ eſt miſtio, uel potius agitatio uiolenta ipſius aeris cum aqua: non naturalis, quia fit ui. Cauſa ergo efficiens eſt hæc unico nomine expreſſa: quæ cum talis ſit, uiolenta agitatio aeris cum aqua, inde ſequetur modo unum, quot erunt efficientes agitationis, tot erunt etiam ſpumæ: quoniam ex his primo fit agitatio, ad hanc ſuccedit ſpuma

ma. Agitatio fieri potest uel propter aliquid mouens, & agitans: uel propter calorem, quando calor ingreditur materiam, commiscet aerem cum aqua: & in hac commistione fit conquassatio, & agitatio propter calorem dilatantem: & ita calor efficit spumam, licet & calor primaria causa non sit ipsius, nunquàm efficit spumam, nisi primo agitetur materia; ex qua agitatione miscetur aer cum aqua, & fit spuma, & hac permistione utriusque uiolenta. Ex quo uideretur, quod tandem una esset causa efficiens ueræ spumæ motus, uel agitatio uiolenta: quod si calor causet spumã immediate facit, non immediate: quia primo agitat. Et forsitan una est causa. Quapropter agitatio ista uiolenta, ad quam immediate sequitur spuma uel fit immediate ab aliquo uiolenter agitante aquam cum aere baculo, quando quis mouet aquam cum baculo, uel huiusmodi alijs instrumentis fit spuma, sicut uidemus in fluctibus maris fieri quotidie, quando uenti ualidi insurgunt, ac agitant mare: ex qua agitatione partes aeris cum aqua permiscentur, & fit spuma propter uentum uiolẽter agitantem, & mouentem mare. idcirco quando flant uenti, apparet multa spuma in mari: quotiescunque ergo permiscentur partes aeris cum aqueis uidemus quod fiat spuma: permiscentur ex motu primo, ut uidistis, deinde agitatio utriusque simul fit à calore, & à calore: unde fieri spuma, ut apparet in lebetibus, quando lebetes saliunt, fit spuma nullo mouente, solum calore agitante aquam: quoniam caloris proprium est rarefacere. calor ergo rarefacit aquam, & in aerem uertit, ambosq; simul commiscendo uertit in spumam:

mam:in propoſito quoque idem dicebat Alexander primò de quæſtionibus naturalibus cap.vi. in ea quæſtione, quando aqua incaleſcit,rarefit, & tendit ad naturam aeris:ideo aqua calida eſt aer in potentia, dico aer ſubſtantialiter,& uia in aerem:quia medium inter aquam puram, & aerem,ſicut & aqua frigida craſſa à frigore congelata eſt uia in terram;glacies eſt terra in potentia, & ſapit naturam terræ:quia media inter aquam, & terram: nec eſt uera aqua, nec adhuc terra.cum igitur aqua bulliat,& incaleſcat in lebete propter calorem ipſius ignis,agitatur & permiſcetur,& fit ſpuma in ſuperficie aquæ: ergo uideretur quod calor ſit cauſa ſpumæ. Nam aqua calida rarefacta eſt primo à calore,calidi eſt rarefacere, creuit in dimenſiones,non poteſt dilatari,& fundi, cum non poßit ſe explicare,ſi ſit maxime rarefacta concutitur, & ſimul agitatur: ex agitatione naſcitur ſpuma. Et ita iſtæ duæ ſunt cauſæ ſpumæ efficientes,& ſi una tantum primaria, & immediata eſſe uideatur agitatio utriuſque elementi, tamen quia & calor facit uiolentam agitationem,& ad hãc ſequitur ſpuma, propterea uidetur, quod calor agitando faciat ſpumam, & ut cauſa concurrat ad generationem ſpumæ.Duplex eſt cauſa agitationis,& ſpumæ: una quidem eſt motus,& agitatio:altera uerò calor,& ſpiritus ſubintrans aquam,rarefaciensq́;,& ſimul commiſcens agitando aquam cum aere, non quod proprie ſit cauſa ſpumæ,ſed quia agitat:ex agitatione fit ſpuma. motus uerò ſine aliquo efficit ſpumam,ut quando baculus,uel aliquid aliud mouet aquam:iſtæ ſunt cauſæ efficientes. Materialis eſt

est dicta, sunt illa duo, aqua & aer. Habetis itaque hacte-nus causas omnes formalem, efficientes duas, materiales duas: Causam finalem non inquirimus, quoniam multoties audiuistis à me, quod in his, quæ sunt præter naturam, & præter intentum naturæ non inuenitur aliquis finis: spuma est effectus non intentus à natura, ut dicebamus: finis inuenitur in his, quæ perfecta sunt, & bona, quia ratione boni natura mouetur ad agendum: in spuma nulla est perfectio, ratione cuius particulariter intendatur, sed est solum quædam forma inducta consequenter ad actionem earum causarum, quæ dictæ fuerunt, cum non habeat perfectionem, caret fine, & hoc est uniuersale in rebus non naturalibus. Cum considerauerimus iam spumam quid sit, et omnes eius causas, propriamq; naturam, & hoc non sufficiat, uideamus nunc ea, quæ consequuntur spumam ex principijs ipsius: quia ad rectam cuiuslibet rei cognitionē requiritur, ut natura, & consequentia naturam cognoscantur. Vidimus autem, quod spuma est permistio aeris cum aqua propter agitationem uiolentam utriusque simul factum uel à mouente, uel à calore: hæc est essentia tota, & integra spumæ. Audiatis modo consequentia: spuma primo habet ampullas, quæ consequuntur causas spumæ: ampullæ contingunt ipsi, ut accidentia, quæ uariantur, prout causæ diuersæ fiunt. Vel enim spuma ita est, ut in ea sint ampullæ raræ, & amplæ: uel spissæ, & paruæ: uidendum est cur hæ, cur illæ fiant; à quibus causis utræq; fiant: ex uaria habitudine earumdem causarum efficiuntur uariæ. Et hoc est pulcherrimum cognitu, & utilissimum:

mum: quia cum uiderimus ampullas in egestionibus, & in urinis, nos qui sumus medici rationales, & omnium causas perquirimus, sciemus iudicare, & cognoscere quid significent pro earum uarietate, & considerabimus quid iudicij nobis afferunt, quando sunt magnæ, & raræ ampullæ, ut sæpe contingit & in urinis, & in excrementis: uel quando paruæ, & spissæ: prout uarias habent causas, ita uarium iudicium dabunt nobis. istæ ampullæ sunt quidam affectus, quædamq; paßiones naturales consequentes essentiam, & causas spumæ: fiunt quidem raræ, & magnæ, amplæ, quando quod agit magnum est, & ualidum, sed nõ diu perdurat, breui tempore agit. Vnde uidemus quando ualde excitamus aliquod uiscidum, & tenax, fiunt in spuma ampullæ magnæ, & raræ: sed ubi diu agens in actione perseuerat, & længo tempore perseuerat, tunc fiunt spissæ, frequentes, & paruæ: non amplæ: et hoc secundum rationem fit, quando est agens magnum, & actio non diu perdurat cum parum agat flatus peruenit ad paucas partes aquæ, non potest tam citò ad omnes accedere. ideo paucæ excitantur ampullæ, & raræ, plurimum spatium est intermedium, & distant à seipsis: quia ibi fiunt, ubi flatus tantum continetur agitatus, qui agitans aquam eleuatur, ut ascendat, & faciat ampullas, quoniam uerè agens si magnum est ualde agitat, & multum flatum in paucas partes impellit, fiunt ampullæ magnæ, & cum sint magnæ non possunt esse multæ, nec possent contineri, flatus multus cum impetu uenit ad unam partem, ibi facit magnam ampullam; ita uenit in aliam, & facit aliam, non

possunt esse plures. Et ita ex agitatione magna breui fiũt ampullæ: magnæ quidem, sed raræ, quia ubi magnæ sunt non possunt esse plures: et contrà si sunt plures, non sunt magnæ, quia si sunt plures spiritus dißipatur, & deuenit ad omnes partes aquæ sine impetu, & leuiter, qui non põt eleuare in magnam molem ampullas: cuius rei etiam signũ est, quod si agitetur magis aqua ex longiori agitatione nõ possunt perdurare magnæ, dißipãtur & diuiduntur, fiũt paruæ, crescunt in multitudine, quia flatus ex agitatione accedit ad multas partes aquæ, & ita magnæ raræ fiunt, paruæ, frequentes: si breuis sit agitatio, & magna fiũt magnæ raræ: & uidemus quod quando pueri fistula cum flatu agitant aquam uiscidam, statim excitãtur ampullæ magnæ, & raræ: sed si aliquis baculo misceat ipsam, frangit ipsas, non possunt esse magnæ, fiunt paruæ, multæ, & tandem dißipat flatum, qui cum exiuit nihil est. Ex quo habetis quod cum uideritis ampullas, quæ sint paruæ, & spissæ, dicetis, sunt factæ ex longa agitatione, & paruo agente: quando id, quod agitat paruum est, & diu agitat, diuidit spiritum in omnes partes aquæ, & excitat plurimas ampullas paruas, non fiũt à quacunque agitatione breui: sed si magnæ, & raræ fuerint, fuit facta magna agitatio in breui tempore: ex diuersitate ampullarum in spuma habebitis uarietatem dispositionis ipsius agentis: hoc est primum symptoma accidens, quod contingit circa spumam. secundum accidens est, quod quandoque spuma pertinaciter adhæret, quandoque facile, citoq; dissoluitur, non multum adhæret, & hoc faciet distinctam cognitionem conse-

quen-

quentiam ſpumam. cur ergo modo facile diſſoluitur, modo pertinaciter adhæret, cũ ſemper fiat ab eiſdem cauſis, & eandem habeat naturam? non poteſt accidere niſi cauſæ diuerſæ ſint, aut ſaltem diuerſam habentes rationem: non eſt alia cauſa huius ſymptomatis, quàm uaria diſpoſitio materiæ: quandoque aqua craſſa eſt, & uiſcida, ſubtilis ſpiritus, uel ſpiritus craſſus, aqua tenuis non uiſcida: uel utrunque ſimul craſſum, & uiſcidum eſt: ſi alterum iſtorum fuerit craſſum, uiſcidumq́; & tenax quod cum alio permiſceatur, tunc fiunt ampullæ pertinaces, & ſpuma pertinaciter adhæret, difficile diſſoluitur: ſi utrunque: tanto magis quando aqua miſcetur cum aere craſſo, fit ſpuma tenax: ſi utrunque craſſum ſit, miſceatur, & agitetur ſpiritus, aer craſſus cum aqua tenaci pertinacius ſimul inhærent, & annexa ſunt, ut difficillimè poßint ſeparari: neque aer poteſt facile difflare, ita ut quando alterum eorum craſſum eſt, iſta eſt pertinacißima ſpuma. inde eſt, quod ſpirante Auſtro, & nebuloſo aere exiſtente in mari fiunt ſpumæ craſſæ, uiſcidæq́; & pertinaces, quæ non poſſunt diſſolui, tam bene commiſtæ ſunt: quoniam Auſter eſt uentus obſcurus, craſſus. Itaque homines ſpirante Auſtro fiunt grauiores ſolito ſeipſis, hebetanturq́; ad omnes operationes. Auſtri auditum hebetantes, caliginoſi, caput grauantes, pigri &c. dicit Hippocr. & hoc dicebat Galen. de Auſtro quod obtenebrat, & incraſſat aerem, qui poſtea alterat humana corpora ſecundum eius diſpoſitionem, quemadmodum ſuperius audiuiſtis. Nebulæ etiã craſſa faciunt aerem, quam ob rem tempore nebulo-

so,tenebrosoq́;,& Austro spirante (quia spiritus & aer crassus est, fiunt in mari spumæ, quæ maxime adhærent, aer crassus diutius in aqua retinetur,cum qua commiscetur,uix possunt dissolui,longoq́; tempore durant. Spirātibus uerò Aquilonibus,& Borealibus flatibus tempore sereno,aere claro lympido spuma parum perseuerat, citò & facile dissoluitur,eò quod aer tenuis est, non tenax uel crassus,facilè difflantur,& separatur ab aqua. Vos quoque uidetis circa ora equorum,circa frena, quādo diutius agitantur incursu ueloci spumam, quæ diu durat, aquea pars circa os cum aere commiscetur crassa, uiscida, & facit spumam pertinacem. Spumantia frena dicebat etiam Poeta:& ratio est,quoniam calor & spiritus agitatus propter labrum agitatum ex uelocitate cursus mouet, & uiolenter agitat saliuam in ore existentem,& expellit ad os materiam crassam,& uiscidam: flatus & spiritus cum ea uiscida materia aquea permiscetur : unde fiunt spumæ circa os, & circa frenum pertinaces, inhærentq́; ita,ut non facile dissolui possint. Vos uidetis quàm multū maneant antè,quàm dissoluantur. infinita ferè sunt alia exempla, permaneamus in his,& satis uobis sit habere rem ita esse. pertinacia ergo spumæ fit propter uisciditatem materiæ,ex qua fit spuma,uel alterius, idest, uel aeris,uel aquæ,uel utriusque simul non solum aeris, sed & aquæ. Hactenus habetis causas horum duorum symptomatum consequentium,cur quandoque magnæ ampullæ,amplæ,& raræ appareant in spuma: quandoque paruæ,& spissæ: deinde cur quædam spuma diu durat, & diffici=

ficilius dissoluitur, quædam facilius, & parum, leuiterq; adhæreat: deinde uidendum aliud est accidens: quædam spuma albicat, quædam nigricat. cur ex te quæro spuma alba est, uel nigra? Albedinis causa in spuma nihil aliud est, quam puritas aquæ, & aeris: propterea spumæ albæ non plurimum durant, facile dissoluuntur, eius rationem scietis aßignare ex his, quæ dicta sunt, diu durant, quando materia est impura, crassa, uiscidaq;, si sit pura, tenuis non continetur, nec uehementer uitium non potest diu sustinere, ut ita uiolenter copuletur: ideo separatur. Nos igitur uidemus quotiescunque aer, & aqua pura commiscentur, fit spuma alba, quod non est meum, id dicebat Aristoteles in secundo de generatione animalium. cap. secundo, si memini recte, quando alba & pura permiscentur, ex commistione ipsorum non fit nisi album, quòd dicebat Aristotel. illius non solùm hanc causam reddidit Galenus in secundo Prognos. text. sed etiã facilius, ac melius in 43. Aph. part. secundæ in quo dicit Hipp. Strangulati, ac dissoluti nondum mortui non referuntur, quibus spuma circa os fuerit: sed etiam Arist. ut dixi in secundo de generatione animalium cap. secundo, quod ubi corpora alba, & pura commiscentur, & permiscẽtur simul, necessario fit albedo in misto ex illis, quanto magis pura fuerint, lumen penetrat tantò melius per omnes partes misti, & ita fit lucidum: si sint impura, lumen pertransire non potest, nec ad profundum penetrare, nec insuperficie est, fit opacum: Differentia tamen est, quia corpora pura aut sunt tenuia, aut crassa:

ſi ſint tenuia lumen non impeditur in tranſitu, penetrat ad omnes partes miſti, & facit corpus eſſe lucidum, tranſparens, non coloris alicuius; quia cum ſit receptio luminis in terminata ſuperficie corporis, non poteſt generari ſi penitius receptatur: ſi uero ſint craſſa, quantò craſſiora, tanto magis lumen remanet in ſuperficie, nec poteſt penetrare ad profundum, & fit alicuius coloris. ideo aqua quo magis incraſſatur, eò magis acquirit colorem, & ſi multum luminis recipiatur in ſuperficie fit albedo; aer etiam purus cum tenuis eſt ex receptione luminis nullum habet colorem; lucidus quidem eſt, acolor tamen, & priuatus colore, cum eſt craſſus acquirit diuerſos colores ex uaria receptione luminis in ſuperficie. Aer igitur & aqua quando craſſefiunt, ut à frigore acquirunt uarios colores, & ſi pura ſint, multumq; in ſuperficie recipiant luminis albeſcunt ut nix; de qua deinceps erit dicendum: ſi parum & ſint impura, alios colores habent, & quãdoque ita incraſſatur aer, & diuerſicolor fit, opacus, ut uideantur eſſe animalia, & corpora mota, quæ poſtea à uulgaribus dicuntur dæmones, hoc eſt quia aer incraſſatur. Et ut in ſepulchris apparet, & hoc maxime circa cimeteria mortuorum aer incraſſatus propter craſſos uapores putridos eleuatos à cadaueribus, quod fit ex miſtione ipſorum, & in craßitie opacus, & coloratus diuerſis modis: uidentur poſtea mulierculis animæ mortuorum, quæ ex inferno illuc delatæ ſint. Monachi confirmant idipſum mordicus, & dicunt oportet dicere ſacra D. Gregorij, ſed hoc faciunt, ut lucren-

crentur, & ut bulliat eorum culina, qua destructa malè cum ipsis actum erit: neque enim alia de causa, neque quicquam apparet, nisi phantasma siue stultitia stultis. Ita quoque glacies aqua congelata albesit, cum prius aqua non esset alba, quoniam craßior est aqua, & aqua quanto magis habet de craßitie, tanto magis est densa, & terminata, lux non potest penetrare ad profundum: excipitur tantum in superficie, & fit albedo ex ratione coloris, est enim albedo, imò omnis color receptio luminis circa superficiem corporis terminati lucidi: luciditas est penetratio luminis per totum corpus lucidum. Cum hoc ita sit, habeaturq́; in condensatione depuratorum corporum, quando fit condensatio aeris cum aqua permisti, lumenq́; receptum non penetrat per totum mistum, ut per eius substantiam extendatur, sed in superficie remanet tantum, tum fit albedo. & quanto miscibilia puriora extiterint, tanto clarior fiet albedo, & mistum albius. Quando autem impura sunt, quæ miscentur, lumen non potest penetrare ad profundum: ex quo lumen tantum recipiatur in diaphanis, & diaphani sit quædam perfectio, nec multum in superficie recipitur, fit opacum, & opacitate nigredo. ideo quanto impuriora mista, tanto nigriora reddentur, & magis opaca: & sicut uario modo recipitur plus, uel minus, fiunt colori medii uarij in corpore, quoniam ex opaco, & nigro, ac ex lucido & albo medij connascuntur secundum uariam extremorum proportionem, prout magis unum superat alterum: hoc debetis didicisse a philosopho, non à medico nunc expe-

ctare: in hoc tamen & medici cõsentiũt. Verũ igitur est quod quotiescunque uidemus spumam diuersorum colorum, iudicare debemus corpora, ex quibus mista est in colore diuersa esse: si alba, indicium habemus, quod pura corpora permiscentur, in quorum superficie multum luminis recipitur: uel uidemus spumam habere alium quempiam colorem, & hoc est quia materia ita colorata est, uel ubi flatus coloratus, & aer ita permiscetur: uel ubi aqua, uel utrunque simul, cuius fuerint coloris ista, quæ miscentur, illius dico etiam spumam esse. & à posteriori, cuius coloris spumam uiderimus, eius etiam iudicabimus esse corpora, quæ miscentur, & ex quibus spuma consurgit, ut cum bilis habeat colorem citrinum spuma, quæ ex ipsa cum spiritu commista fit, citrina est: sic si materia fuerit nigra, nigra fuerit spuma, ut à melancholia: si rubra, rubra, ut à sanguine: si alba, fit alba, ut à pituita. Nam si aer, uel spiritus, & aqua, uel materia aquea pura fuerint alba, spuma alba est: si alterius coloris, sicut miscibilia sunt colorata, ita spuma coloratur. Hinc est quod nix, quæ est candidißima spuma, ut etiam dicit Aristoteles cum sit ex aere, & aqua purißima, albißima est cum primo cadit: & possumus dicere, spuma est alba: ergo & corpora, ex quibus generatur pura sunt, & alba: quod nix fiat ex aqua purißima apparet, & signum illud est, quod non fit nix tempore procelloso, sicut quãdo fiunt pluuiæ, nec quando fiunt fulmina, fulgura, & tonitrua, quia aqua tunc pura non est, & cum non est pura non fit nix. Et hoc dicit Galenus sexto Epidem. credo

quod fit ſectione quarta. Vbi inquit quod nix eſt aqua pluuialis ſubtiliſsima, & purisſima concreta, & cum aere, ac ſpiritu commiſta, & addit, quod tum fiunt niues, quando non ſunt tonitrua, neque procellæ ſunt pluuiarum, ſed Aquilo paulum ſpirat, uentus ſubtilis, purus uapores eleuatos attenuat, & depurat, rariores facit, et aer purus, non perturbatus, nec admodum nebuloſus, aut caliginem, cum aqua pura eleuata in uapores commiſcetur. & ideo fit in niue maxima albedo, & ualde intenſa ut candidiſsima ſit: & uidemus quod quando nix eſt in terra albiſsima eſt: ita ut uiſum diſgreget: loquimur quãdo nix de alto cadit, & quando uera nix eſt, non de illa, quæ multum permanſit in terra, & eſt etiam hoc aliud ſignum, cum in terra diu perſeuerat, fit nigra, & opaca: ſemper amittit albedinem, quoniam ſpiritus purus exhalat, & ipſam derelinquit, reſoluitur, & aqua pura permiſcetur, ſemperq́; uapores à terra impuri eleuantur, & multa ſunt, quæ continuè impuram efficiunt eã: certè hoc eſt indicium, quod fuerat commiſta ex aere, & aqua puriſsima. Dicet aliquis hæccine eſt contradictio in tuis dictis? Aduertas, quia paulò ſupra dicebas, quod quando aer purus, & aqua pura permiſcentur, ſpuma non pertinaciter hæret, non plurimum durat: uidemus tamen in niue oppoſitum, nix habet candorem, candoris cauſa non eſt alia, quam puritas aeris, & aquæ in niue, quæ eſt ſpuma permiſcentur aer & aqua pura, tamẽ diu perdurat, pertinaciter hæret, & quandoq; durat per multos dies, & per menſes. quomodo ergo ſtabat iſta inſimul? Aduertatis quod nix detinetur alia in terra non

propter ſubiectum, & ſubſtantiam propriam, uel etiam propter ſpumam, quatenus talis eſt, ſed propter congelationem factam à frigore. & ideo non durat ſpuma iſta, niſi quando eſt maximum gelu, nix eſt ſpuma congelata, & propter gelu diu detinetur, quantum ad eius naturā facile diſſolueretur propter cauſam, quam diximus: nec eſt contra nos, quòd per aliud fiat pertinax, inhæreatq́; diu ſolo, nec per ſe, nec quatenus nix, & ſpuma perſeuerabit, ſed diu durat quatenus congelata: unde nix à calore ſtatim diſſoluitur, ut ſi fiat nix Auſtris flantibus uentis calidis, etiam ſi eſſet maxima copia niuis, non diu durat, diſſoluitur quandoque in ſpatio etiam duarum horarum: nondum cecidit (ut ita dicam) quod diſſoluitur, uidemus ſæpe fieri in hyeme, quod cognoſcentes iſti, qui habitant in Marchia hac Flaminia, nunc dicta Romandiola cum uident ningere flante Auſtro, ſciunt quod ſtatim diſſoluetur nix, non multum adhærebit, quia in niue eſt aer ſubtilis, & aqua tenuis commiſta, non uiſcida, non tenax, parum reſiſtit diſſoluenti, quantum de ſe eſt nix parum adhæret, ſed congelatio facta à frigore eſt illa, quæ retinet diu ſimul niuem & aquam, niſi eſſet gelu, citò diſſolueretur; non durat propter pertinaciam, neque ratione ſubiecti ſpumæ, ſed ex frigore congelante, non autem ut in aliis ſpumis, quæ ſunt pertinaces, ita res ſe habet, ut in ſpuma maris. Nam ſpuma maris pertinaciter adhæret, nec facile diſſoluitur propter uiſciditatem, & craßitiem materiæ: in niue non eſt uiſciditas, aut craßities: & ita uerum eſt, quod dixeramus de cauſis pertinaciæ, nec hoc falſum eſt, nec il

li contrarium: quia non est ratione eiusdem causæ, sed alia ratione. Quantum attinet ad materiam de spuma, tantum ea quæ sunt necessaria, hoc anno haud institui uniuersaliter dicere, nisi quæ ad medicinam spectare uidentur. breuis igitur ero & in hac materia, & in alijs physicis, quia hoc anno non est meum institutum philosophari: si quandoque philosophabor parum, tamen breui sermone ad rem nostram attinentia pertingam. Restat modo unū dubium. Dicunt Aristoteles, & Galenus, quod ex aqua, & aere commistis fit crassius, quod ex ipsis consurgit, quam aqua, & aer: hoc uidetur nunquam posse esse, ex corporibus tenuibus fieri crassius, & maxime propter niuem acquiri crassitudinem, nunquam probatur hoc, sed simpliciter dictum, estq́; dubium: oporteret prius probare, uideturq́; oppositum esse debere. Nam dicit Arist. de semine, semen componi ex duabus substantiis elementaribus aquea, & aerea, & crassius reddi à spiritu, qui in ipso continetur: cuius rei dat signum, quando priuatur spiritu, amittit crassitiem: ex quo spiritus est causa crassitiei. Vnde uidemus quando semen eijcitur adhuc calidum permistum cum spiritu congelatum, & crassum est, consistit in substantia: si diu eiectum maneat in terra, fit tenuius, & fluit, non consistit, refrigeratur, & colliquatur, ex colliquatione & liquidius, & subtilius efficitur. Dicit quod semen est crassum propter spiritum nec reddit causam, dat tantum signum, quod semen refrigeratum, & spiritibus priuatum colliquatur, & fit tenue: hoc non est reddere causam maximè in re dubia, et

quæ

quæ opposito modo esse uideatur: & ita uidetur dicere unum impoßibile propter rem tenuem fieri semen craßius, neque stat simul fieri ex re tenui, & craßius esse. Verum aduertatis, ut defendamus Galenum, eundem accipimus in testimonio, qui dicit semen à spiritu craßius effici propter optimam complicationem aeris, & aquæ: quãdo spiritus continetur in semine, suspensam tenet aquam, & retinet secum, ut non poßit diffluere ad proprium locum, sicq; aer ab aqua continetur, ut ab ipsa reparari nõ poßit, nec ire ad suum locum difflando, & ascendendo: utrunque simul optime miscetur, & utrunque retinet alterum, non poßũt disiungi, & tendere ad suum locum. ideo ex hac complicatione tumet semen, & craßius redditur, spuma etiam craßior, quam aqua pura, ob idq; cum erit spnma quodam in loco, ubi quiescat illud spumosum, partes commistæ disiunguntur, & à seipsis separãtur spiritus, inquam ab aqua, & quod crassum est uidetis recedere ad fundum, diffundiq;, ut tendat ad locum aquæ; cum recesserit aqua, aer ascendit, & redit ad naturalem situm: separata redeunt ad naturalem statum, & tenuiora fiunt tum aer, qui exhalat, quam aqua, quæ remanet: sed ubi simul fuerint in eodem loco contenta, & complicata fiunt craßiora, & fit craßities quando utrunque nõ patitur diuisionem. Aliud non possumus dicere, quàm quod est hæc causa craßitiei tum in semine, tum in spuma uniuersaliter. Aliud dubium est, quod si ponatis in loco calido humido, bullianteq; aliquod siccum consurgunt ampullæ: Si accipiatis plumbaginem, quam etiam noceant

mo=

molybdænam, pulverizetur, & aduratur ſecundum con ſuetudinem adurendi: (eſt autem plumbago ex auro, & argento) aduſta ponatur ad ignem in oleo feruenti, quan do oleum ebullit, facit ampullas in oleo conſurgere, cum tamen plumbago aduſta, & ſicca ſit. Vnde eſt hoc? oportet ſcire cauſam: eſt quidem hoc utile ſcire, quomo= do componantur medicamenta, ut ſciamus conficere me dicinas, ne decipiamur. Debetis ſcire, quod cum ponitis rem aduſtam ut plumbaginem tritam, & aduſtã, uel ali= qua alia ſiccata, & aduſta in aqua, uel in oleo prope ignẽ, ſtatim efferueſcunt oleo bulliente, & ſpiritus efferueſcẽs eleuatus, & generatus propter rem aduſtam impoſitam quærit exitum, ut erumpat: nihil eſt aliud quam exhala tio calida, & ſicca ex materia aduſta impoſita in humida efferueſcente, ut calce impoſita in aqua bulliente exha= latio, uel ſpiritus quærens exitum, ſi inueniat, unde erũ pat, facit ſtrepitum: quandoque faciunt ſtrepitum exe= undo, & uidentur eleuare aquam, & maiorem reddere attollentes, & facientes ampullas: cuius rei ſignum eſt, quod poſteaquam iſti uapores exierunt, fit craßior aqua: ſi eſt oleum, etiam fit craßius remanente illa parte adu= ſta: quam rem uidentes illi, qui faciunt atramẽtum ſuto= rium, quo ſcribimus literas, cum primum decoxerunt om nia, quæ neceſſaria ſunt ad compoſitionem atramenti, fa ciunt tincturam: atque gallas, & reliqua accipiũt oſtrea, comburunt, & pulverizata ponunt in illo decocto in fi ne ebullitionis, & hoc facit ad retinendum literas, & ſcri pturam ne fluat, & literæ fiant æquales. Cum autem de

co=

coctum prope ignem ebulliens imponant'ue pulueres horum ostreorum, statim ampullæ eleuantur, & multæ bullæ: qui pulueres adusti, sicciq; in humido positi dilatantur, & attollunt decoctum ita, ut exeat uas, cum superent superficiem uasis, tantum attollitur, si tunc accipiatur atramentum, & scribatur, dilatatur litera, fluit, non permanet, quia nimis tenue est: sed postquam efferbuerit, & bulla desierit, remanet decoctum crassius, quoniam exhalauit subtile factis ampullis, ex calido facta fuit exhalatio uaporum, & subtilium partium, & quæ remanent, crassiores sunt, si bene commiscentur. ideo si scribatis non fluit amplius: hoc est quia relinquitur in atramēto pars adusta pulueris sicca: subtilis, fluida, exhalauit contenta in ampullis. Habetis ergo causas omnium ampullarum, & spumæ. Tot sunt causæ spumæ, & accidentium in spuma, quot audiuistis, paulòpost ostendemus in Sileno, quid portenderint spumæ in egestionibus apparentes, & propter quas causas fuerint factæ, et uidebimus nunquid immerito de hac dixerit Hipp.

Reliquum est, ut accedamus ad eum explicandum, qui dicit, quod illæ egestiones erant biliosæ, syncerae, & spumosæ: spuma habet suas causas, & principia materiam quidem aerem, & aquam commistam, quæ si syncera fuerint, etiam spuma syncera erit: diximus duas esse causas efficientes, quamuis una uideatur ad aliam posse reduci, tamen satius est sensato artifici, ut inquit Gal. duas affirmare non prætereundo sensum: uel fit propter calorem

feruentem facientem ebullitionem in subiecto, uel ex motu ualido, & plurima agitatione permiscente, ex quibus spuma generatur: utrunque agitando uiolenter permiscet partes aereas cum aqueis; & hæc permistio est sua ratio formalis, per quam spuma inesse constituitur. Cum ergo Silenus egesserit spumosas feces, signum est quod in ipsa alterum duorum erat, uel utrunque, aut calefactio maxima, & efferuescentia caloris, aut motus, uehemensq; agitatio materiæ: ex quo spuma fit ex his duobus. Quod calor in Sileno fuerit, qui potuerit spumam generare ui distis, quod habuit febrem acutam, πυρ, ignem, idest, ardentißimam febrem, & calidißimam, in qua humores efferuescebant, & ebulliebãt; iste feruor maximus fuit causa spumæ in egestionibus: & credo omnino, quod hæc fuerit una causa: propter feruorem humanum febris quoq; inuasit: ex quo humores ebulliebant in hoc uiro ex maxima caliditate, & ebulliendo putrescebant. constat igitur calorem fuisse manifestam causam spumæ: erat & alia causa coniuncta præter humanum feruorem, & caliditatem: nempe aderat agitatio uehemens ipsorum, mirum in modum humores agitabantur, & localiter mouebantur: ex motu locali & agitatione spuma facta est: erat agitatio humorum, quia fiebat apostema, inflammatio in parte sinistra, in diaphragmate propter præcipitationẽ materiæ ad locum. diximus humores expelli à magnis uenis ad minores, ut docet Galenus à minoribus ad alias paulò minores: deinde ad minimas succeßiuè, quoad resederint in spacijs uacuis membrorum extra uenas, & tu-

morem

morem faciant. Ex quo in Sileno fuit inflammatio agitati sunt humores ex illa expulsione uiolenta, & ex motu locali spuma generata est? ergo duæ causæ potuerunt ad spumam in hoc uiro concurrere: sed & tertia causa alia ab his duabus uidetur esse, quam possumus dicere fuisse in hoc ægro ex his, quæ habentur ab Hipp. Dico quod spuma fit sine calore, & sine motu, ea causa, quam memorat Galenus in septima particula Aphor. Aph. primo. Quandoque fit spuma in egestionibus, non quia ferueant humores in corpore, non quia agitentur, & localiter moueantur, sed quoniam cum egestionibus, quæ de se spumosæ non sunt admiscetur humor, qui spumosus est, & spumosus spumosas reddit egestiones: ut exempli gratia, quando fit fluxus alicuius humoris à capite ad uentriculum, & à uentriculo postmodum ad intestina, qui fluxus catarrhosus dicitur more nostrorum recentiorum quando alius fluit propter abundantiam materiæ à capite descendentem in egestionibus est spuma, cum tamen à calore non fiat, quandoque isti sunt sine febre, nec insignẽ habent calorẽ: nec ex motu: fit spuma, quia ꝑ uenas humores non agitantur, sed ex permistione materiæ spumosæ pituitosæ descendentis à capite. Verum si recte perspiciamus, uidebimus quod catarrhus, qui descendit spumosus est, quia in descensu mouetur localiter: ex motu spumam acquirit, & ita redimus ad idem, quod spuma fiat à motu uehementi. Et ideo non oportet addere tertiam causam spumæ præter duas ueras causas, & præcipuas motum, & calorem: cum hæc spuma etiam à motu, & agitatione

mate=

materiæ generetur: bene poſſumus dicere, quod egeſtiones in fluxu catarrhoſo ſunt ſpumoſæ non propter calorem ebullientem, non ex motu & agitatione, ſed propter admiſtionem catarrhi ſpumoſi deſcendentis à capite, non propterea ſpuma habet tertiam cauſam, quia in rei ueritate fiat à motu, uidetur eſſe tertia cauſa in egeſtionibus ſpumoſis: potuit etiam hoc eſſe in Sileno, maxime ex quo audimus in eo fuiſſe grauitatem capitis ante principium febris, quæ grauitas capitis, ut dicit Gal. in commento circa dimidium eius indicabat contineri maximam copiam humorum non quidem calidorum, &bilioſorum, ſed frigidorum, craſſorum, & pituitoſorum à prædominio: hæc materia craſſa, uiſcida potuit deſcendere à capite ad inteſtina, & in motu ſpumam acquirere, & ita in hoc uiro tres cauſæ efficientes ſpumæ concurrerunt calor feruen uentiſſimus, agitatio humorum, & admiſtio materiæ ſpumoſæ fluentis à capite. Idcirco bene Hippoc. addidit ſpumoſa. Quantum uerò attinet ad alia, utrum eſſent egeſtiones ſpumoſæ coloris albi? an potius alterius coloris? Probabile ſatis eſt fuiſſe citrinos: ex quo audimus recrementa eſſe bilioſa. Diximusq; quod ſpuma quanq̃ de ſe alba eſt, cum generetur ex aere, & aqua alba: tamen obſcuratur quandoque ex permiſtione partium terrearum obſcurarum, & opacarum: quandoque admiſcetur multitudo materiæ rebellis naturæ, quæ non eſt alba. Quamobrem uidetis, quòd ſpuma in colore uariatur, colorem habet à materia commiſta; cuiuſcunque ſit coloris, eius eſt etiam ſpuma: ut quãdo eſt ſpuma alba, et in eã incidat pul

uis, aut ſumus, & reliqua huiuſmodi obſcuratur: ita ſpuma in corpore obſcuratur, quando materiæ commiſtæ nō ſunt meræ, albæ, ſed commiſtæ rebelles. Quod autem ad magnitudinem, & multitudinem, atque tenacitatem ampullarum attinet, ſcitis materiam aliquantulùm uiſcoſam fuiſſe commiſtam: propter uiſcoſitatem igitur materiæ, rebellionem, & aduſtionem potuit fieri, ut forent ampullæ magnæ, & raræ: maxime cum agens ualidiſsimum eſſet, & agitans, & inflammans, & adurens: tenaces quia pertinaciter adhæret materia uiſcida, non facilè diſſoluitur: omnes iſtæ ſunt coniecturæ rationabiles, non certæ demonſtrationes, de quibus nihil dicit Hippocr. ex his tamen, quæ ſunt in textu colligi rationabiliter poterunt. Cum igitur egeſtiones iſtæ ſpumoſæ habuerint omnes cauſas efficientes ualidas, & materiam non deficientem non immerito fuerunt multæ AFFATIM MVLTA. Vbi debetis aduertere, quod iſte interpres Latinus deceptus eſt, & mentem Hippocrates non intellexit, inquit ipſe in textu. Egeſtiones affatim multæ, ac ſi unum eſſet per illud aduerbium auctum: Hippocr. tamen in Græco codice ita habet egeſtiones, καταχορέα πολλὰ &c. Vbi ſunt duo adiectiua nomina, non unum ſolum, ut male interpretatur iſte uir, qui ponit primo aduerbium uehementiæ, poſt addit unum tantum adiectiuum, ita ut unum adiectiuum uertat in aduerbium καταχορέα affatim, πολλὰ multa: ſunt duo adiectiua, καταχορέα πολλὰ, diſtincta in ſignificatione, non pro uno poſita, ſed ut diuerſa habeamus. Et idcirco ſequentes ſeriem

riem uerborum Hippoc. dicemus ita: egestiones alui meræ, biliosæ, spumosæ, καταχορέα, ad satietatem πολλὰ, multæ; ecce sicut illa erant distincta adiectiua; ita hæc duo diuersa sunt, ad satietatem multæ, usque ad satietatem. Erant quidem primo multæ in quantitate, καταχορέα uerò, uel quoad colorem attinet, uel quoad substantiam, uel quoad spumam, uel quoad synceritatem, ut tamen est intelligere quoad materiam, & substantiam excrementorum: spumam & synceritatem quoad colorem, quoniam superius de colore diximus subticuisse, quod ex his posset intelligi, quando dixit fuisse feces biliosas: ergo citrinas. de colore uidimus; biliosæ meræ, spumosæ: Videamus quo ad quantitatem & gradum fuerunt ad satietatem: ille homo dicit, affatim multæ, posuit hoc, ut aduerbium καταχορέα affatim unà cum illo adiectiuo πολλά. Vnde male interpretatus est non intelligens, quid uoluerit per hoc Hippoc. erant spumosæ καταχορέα πολλά. Debetis scire quod hic est mos peculiaris, propriusq; sermo Hippocr. quando uult dicere colorem puta bilis ualde intensum, & perfectum dicit, exempli gratia, ὀχρὸς color καταχορὴς: quasi dicat colorē palearē intēsum, quoad fieri potest in summo, & in ultimo gradu. Si uero uult dicere de spuma, quod multa sit in quantitate, & in maxima copia, uel de recrementis, addit semper hoc adiectiuum nomen καταχορὴς, est hoc proprium uocabulum Hippocr. quando intendit exprimere aliquid esse in summo, & tale, uel tale usque ad satietatem, ut dicunt Latini: propterea cum ad alia adiecerit seorsum adiectiuum, intelli=

gēdū eſt, quod egeſtiones erant quidem tales, & in ſum mo gradu, non mediocriter, uſque ad ſatietatem: quoniam habebant egeſtiones multum de ſpuma, erant plenæ ſpu= ma ita, ut ſaturæ eſſe uiderentur, nihil magis poterant eſ ſe, & hoc eſt ut plurimum in malignis morbis: in his.n. egeſtiones ita excernuntur, ut cum ſunt in uaſe receptæ, uideatur uas eſſe plenum ſpuma, ſuperat feces, quæ ſubſi dent, & ſi paucæ ſint, propter ſpumam tamen uidentur eſſe multæ: & quandoque tanta eſt ſpuma, ut cum diſſol= uatur, non remaneant feces uſque ad tertiam partem: & hoc eſt quod dicimus ſpumoſas uſque ad ſatietatem. Fiunt tales egeſtiones præcipue in febribus malignis, cōtinuis, & in quibus eſt maxima ebullitio humorum, & ubi ui= dentur, ſignum eſt quod citò terminabitur ægritudo uel ad mortem, uel ad ſalutem: eſtq́; maximus motus in cor= pore. & ideo ſæpe uidentur in acutis morbis, qui citò mo uentur, & perueniunt ad ſuum terminum: in hoc uiro in dicabant plurimum eſſe calorem, & fortiſſimum, & fer= uentiſſimum, qui faceret ebullitionem, & magnum eſſe motum, & propterea feces ſpumoſæ erant, ut in acutis febribus apparent. Erant igitur egeſtionesślioſæ, me= ræ, ſpumoſæ: deinde ſicut prius addit in græco textu ad iſta omnia: κατακορέα, ideſt, uſque ad ſatietatem, habe= bant omnia iſta in ſummo: quia hæc erat natura ipſarum, ut eſſent bilioſæ, ut diximus, meræ, & ſine ſuo ichore om nino, ſpumoſæ uehementes, ut uideretur ferè tota ſpuma: deinde addit ſeiunctim, πολλὰ, multæ in quantitate: Ex his omnibus indicium erat multitudinis materiæ exiſten=
tis

tis in corpore Sileni, & omnia adiunxit non ſine ratio-ne: primo quia dixit bilioſas, quod bilioſæ eſſent indicat ſpecies humoris peccantis: ſynceritas malitiam oſtendit ipſius materiæ, ut auditum eſt: ſpumoſæ per hoc etiam ſignificauit malitiam materiæ: deinde hæc omnia erant talia uſque ad ſatietatem, in ſummo talia, per hoc auxit malitiã materiæ, & cauſarum efficientium huius ægritudinis: etiam ita uidetis quomodo primo ſtatim die poteratis iudicare de malitia, uel bonitate morbi, q̃ eſſet malus, quod faciet pro prognoſtico: ſecutáq; ſunt alia ſymptomata.

VRINA NIGRA, in qua nigra ſubſiderent, conueniebat cum egeſtionibus; aliud, quod urina erat nigra, & quia dixit bilioſa, non ſolum fuit quemadmodum aduertebamus, bilis rufa, uel flaua, ſed etiam bilis nigra, utraque commiſta erat: qua ratione dicebamus dixiſſe, bilioſa, non bilem. Et quia aquæ, uel urinæ nigræ fuerunt? non fuit nigredo in egeſtionibus? quoniam erant aduſti humores in uenis, & melancholicus humor ſuperabundabat: ſed in uentriculo eſt bilis flaua, non eſt talis humor aduſtus niger, quinimò flaua bilis ex inſtituto naturæ ſagaciſſimæ, & prouidæ in rebus generandis erumpit à chyſte fellis, & per porum felleum, ut dicunt iſti, tranſmittitur ad inteſtina, ut ſua acrimonia ſtimulet, & incitet egeſtionem ſecum, alioquin non fieret debita excretio, atra uerò, & nigra bilis non tranſmittitur ad inteſtina, neque per aluum deijcitur, ut poſſit colorare feces, quo pacto colorat bilis flaua, ſicq; feces naturales tendunt ad remiſſam flauitiem, ſi egeritur eſt deteſtandum, & ſignum læ-

tale, continetur tantum intra uenas: propterea ſi redundauerit, cum urina ſit colamentum ſanguinis, ut docebamus alias eum colorem, quem habet humor peccans adipiſcetur. Quare cum in Sileno eſſet copia multa humoris melancholici intra uenas, non eſt mirum, ſi urina nigra fuit: egeſtiones uerò non nigræ: qua de re primo die erat urina nigra? non erat nigra, ut in ſubſtantia propria eſſet nigra, ſed cum materia melancholica redundaret, miſcebatur cum urina, & ita tingebat urinam ad nigrum. nigra igitur urina in hypoſtaſi tantum per admiſtionem humoris nigri, erat ſedimentum nigrum, ſicut oſtendimus etiam propoſuiſſe Hippoc. in Philiſco: primum dixit cum adiunctione urinam nigrã in hypoſtaſi: deinde uel melius ſecunda uice dixit. Vrina nigra ſine additione non amplius dixit in hypoſtaſi, quia non erat urina nigra per admiſtionem hypoſtaſeos nigræ, ſed iam ſubſtantia urinæ, & corpus ipſum totum erat nigrum: erat aduſta etiam aquoſitas urinalis, ita & in Sileno urina fuit nigra, in primo die tamen apparuit nigra cum hypoſtaſi nigra propter melancholiam: & ita habetis quare, & quomodo urina eſſet nigra. SITIBVNDVS ERAT, lingua arida, nocte nihil dormiuit. iſta erant apparẽtia ſymptomata, uidetis magnitudinem, & malitiam ægritudinis: primo ſitis, & lingua arida, nihil dormiuit, noctem habuit inſomnem: quæ cum ita eſſent, ſi fuiſſet æger debilis, mortuus eſſet in quarta non modo in ſeptima: quia habebat tam mortalia, & maligna accidentia in primo die, in ſecundo, ut uidebitis in tertio: & ſemper aucta ſunt, ſicq;

ex

ex ſymptomatibus debebat mori neceſſariò in quarta. ſed quomodo euaſit, & durauit? erat iuuenis, ab ætate fuit adiutus, & durauit uſque ad xi. erat iuuenis. 20. annorum: atque uires habebat robuſtas ratione ætatis, quibus ſuſtinebat tanta ſymptomata. Et primo die dicit linguam aridã, audiuiſtis ſuperius cum agebamus de Philiſco, quid lingua ſignificat, & habet indicare affectiones uentriculi, pulmonis, thoracis, & tandem, ut breuiter dicam, omnium partium ſpiritualium, oſtendit quidem primo affectus uentriculi: quoniam, ut uidebitis in corporibus incidẽdis, cutis, quæ eſt in ore contegens linguam, & totum os interius obducens continuatur, & eadem eſt in ſubſtantia cum cute, quæ contegit partem concauam uentriculi: idcirco lingua compatitur affectioni uentriculi propter maximam affinitatem, & propter ſitum: inter quæ eſt foramen rectum, oeſophagus, facillime poſſunt uapores quicunque eleuari à uentriculo, & tranſmitti, uel aſcendere ad os, & ad linguam: atque ſecundum eorum naturam inficere linguam, quemadmodum contingit in imperfecta concoctione. Cum igitur fuerit inflammatio in uentriculo, & febris, tunc eleuantur multi uapores fuliginoſi, & aſcendentes ad os ſecundum eorum naturam inficiunt os, & reddunt linguam nigram: ſi quidem fuerit feruor ſine aliqua materia, & calor uehementiſsimus aſcendens ad linguam exaſperat ſolùm ipſam, & ſiccam aridam reddit: ſi uero fuerint etiam humores, euaporant à uentriculo, & ſecundum naturam humorum, à quibus eleuantur uapores fiunt effectus & lingua his infecta demonſtra-

tur, hoc est quod dicebat Hippoc. quod declarat Gal. in illa quinta sectione .vi. Epid. in eo Aphoris. lingua lotium significat &c. Gal. in commento inquit, quod si fuerit sola intemperies exasperat tantum linguam: si qualitas, & intemperies fuerit cum humore redundante exasperat, & colorat: Hippoc. dixit tantum, quod est exasperata, exiccata, & calefacta, de colore ipse omisit dicere, debebat tantum aliquid dicere, quia aderat materia; & lingua colorata præter naturam. credo uos non latere, & hoc etiam nos admonuisse, quod consuetudo Hippocr. est, ut nunquàm addat ea, quæ ad alia consequuntur, & quæ ex præcedentibus intelligi possunt: semper enim delectatus est breuitate. Cum superius dixisset, quod bilis dominabatur in Sileno, propter ea aluus fuit biliosa: ad hoc consequebatur, ut à uaporibus biliosis coloraretur, & tingeretur colore bilis. ex eo igitur nobilia ingenia, subtilesq; intellectus, cum quibus semper loquitur Hippocr. habere potuerunt cuius coloris esset lingua. Accedit modo ad colorem exasperatio, ideo dixit, lingua exasperata: ut daret intelligere, quod aderat maximus feruor, & per hoc sciretis etiam, quod de colore dicendum erat: ambo tamen dixit: in egestionibus bilis copiosa esse ostendebatur: ergo humores: lingua indicabat maximum calorem, & feruentissimum, quo quidem habito tales adesse humores monstrante sic necessariò lingua repletur uaporibus, & accipit colorem humorum redundantium. utrunq; igitur habitum est, & quem habuerit colorem, & quam superficiem: & quod ita sit, & materia ascenderit per hoc indi-

cat quod dicit sitibundus erat, fit sitis ab eisdem uapori- bus fuliginosis, ut in alijs audiuistis. NOCTE NI- HIL dormiuit &c. Neque intelligatis hic, quod fuerit omnino expers somni, ut in superiori casu uidimus, non est probabile hunc uirum nihil dormijsse : quoniam di- citur in textu: grauitate capitis tenebatur. Dicebat Gal. ferè in fine commenti, quod iste dolor grauatiuus factus est ab humoribus craßis, frigidis, à quibus grauabatur. Cum ergo ex textu habemus, quod caput greuedinem pa tiebatur, & repletum erat humoribus craßis, impoßibi- le est, quin aliquantulum dormierit, non erant perpe- tuæ uigiliæ, & continuæ. Sed debetis scire hic quod est sententia, & principium Hippoc. & Gal. ista enim sunt omnia principia sua: quod quando caput repletur humo- ribus craßis, frigidisq́;, homines inclinantur ad somnum: si ulterius augeantur, & magis crescat plenitudo primo fiunt comatosi, hoc est, soporati: deinde & si febris fue- rit etiam lethargici: si biliosi humores abundauerint fiunt uigiliæ, & sunt homines expertes somni: si magis perse uerant, delirant, & phrenitici coguntur euadere ex apo stemate cerebri bilioso, quoniam phrenitis est apostema cerebri. Vel ergo dominatur humor crassus frigidus in capite, & homines efficiuntur καματώδεις, soporiferi, uel soporati, comatosi: secundo lethargici cum apostema- te frigido in cerebro existente: sed si bilis redundauerit fiunt uigiles: deinde si adhuc perseuerat, delirant, & fiunt phrenitici. Vnde bene Hippoc. & cum eo aduertebat Ga len. in primo Prorrhethicorum, qui sunt uigiles, & in

principio expertes ſomni fiunt, quoniam portendunt materiam in capite calidam maxime cum febre, periculum eſt, ne ex calore materiæ incidant in apoſtema calidum cerebri, & ita moriantur: iſte uir, ut uidimus, ex quo in principio teſte Gal. grauitate capitis tenebatur, & indicabat multam materiam craſſam, uiſcoſam, frigidam in capite, ſubſecutus eſt modo effectus. Nam circa quintam ut uidebimus, ſoporatus eſt, & comatoſus factus. ſi ergo ſubſecutus eſt effectus materiæ frigidæ, quæ in rei ueritate dominabatur in capite, quomodo nihil dormiuit, quomodo uigilauit, etiam ſi intelligas, non dormiiſſe, ideſt, parum dormiiſſe? Debetis modo ſcire, quod ubi materia fuerit ſimplex ſimplicem & unum producit effectum: ſi compoſita compoſitum, minime ſimplicem: ſi ſit pituita multa ſimplex, fit ſimplex inclinatio ad ſomnum: ſi bilis mera, & ſimplex uigiliæ producuntur: ſi pituita ſit mixta bili, & bilis ſit complicata pituitæ concomitatur duplex effectus miſtus ex uigilijs, & ſomno: ſomnus quidem fit à pituita: uigiliæ uerò à bile. in hoc uiro materia miſta fuit ex utraque, ex bile inquam, & pituita: quod fuerit primo biliosa apparuerunt ſigna conſequentia ex egeſtionibus, quæ fuerunt bilioſæ, ut audiuiſtis, & quidem ex utraque bile: deinde ex ſiti, lingua arida, ſicca, & ex eo quod non dormiuit: quod fuerit pituita habetur ex grauitate capitis, & ab effectu, qui conſecutus eſt ex comate: utraque miſta erat materia & bilioſa, & pituitoſa: ex quo & effectus nati ſunt miſti, & duplices: & pro hoc uideatis quæ dicit Hippoc. in primo Prorrhethicorum ſententia

pri=

prima, quam recte considerat, & ad longum ipse Galen. in commento dicit Hippoc. in textu. Qui comatosi inter initia fiunt cum capitis, lumborum, hypochondrij, colliq; dolore uigilantes, phrenitici ne existant &c. Quando aliqui in principio fiunt comatodes ex inclinatione ad somnum: & posteà enumerat signa indicantia materiam pituitosam abundare Hippoc. & quando comati sint permistæ uigiliæ sunt ne phrenitici? an aliquid aliud patiuntur? Dicitq; utrum, qui uigilias permistas habent cum somno phrenitici sint nec ne? Et notate quod sub dubitatione dicit; utrum? quia quando fiunt tantum uigiles in febribus manifestum est solùm fore signa, quod fient phrenitici: cum tantum comatosi et dormiunt, uel inclinantur ad somnum fient lethargici: de hoc minimè gentium dubitatur ab aliquo, sed quando non solum dormiunt, uerum et uigilant, utrunque simul patiuntur somnum, et uigilias, iure optimo de his potuit dubitare Hippocr. nunquid dicendi sint phrenitici, an uerò lethargici, hoc dubium est. Dicas quodcunque duorum uolueris habebis instantiam, quia inquit Hippoc. si dicas eos esse lethargicos? nequaquàm: lethargici dormiunt tantum, isti uigilant una cum somno: sin dicas esse phreniticos: cõtra, isti dormiũt, phrenitici non dormiunt, continuè uigilant: neutrum ergo potest saluari. itaq; iure, ac merito quæritur utrũ illi, qui habent uigilias multas cum somno phrenitici dicantur? Galen. in commento illius sententiæ dicit, quod cum Hippoc. dubium hoc mouet, optima ratione mouet, et est dubium rationale: quia quandoque uos inuenietis homines, quos

cre-

creditis dormire, qui manent oculis clausis prostrati, non dormiunt: sed tamen ita sunt, ut omnino inepti reddantur ad actiones, quæ fieri solent in uigilia cum impotentia uigilandi, non aperiunt oculos, non tamen possunt dormire: est potius impotentia dormiendi, quàm quod uigilent, et hæc dicitur ab Arabibus Subet Sara. Dicit enim Auic. et alij Arabes, quod tunc est subet sara, quando homines non possunt dormire, nequeunt tamen uigilare, aut oculos aperire: habentq; duas causas permistas et causam uigiliæ, et causam somni, bilem, et pituitam. itaque bene dicit Galen. quod isti possunt incidere in utranque dispositionem aut in phrenitidem, aut in lethargum. Et bene, inquit ipse, dubitat Hippoc. nunquid fieri debeat lethargicus, an uero phreneticus? quia si dices illum esse lethargicum: ego negabo, et dicam esse phreneticū: si phreneticū affirmes: ego contra lethargicum asseuerabo: cum utræque causæ, et affectiones phrenitis inquā, et lethargus sint commistæ. utrū ergo phrenetici nec ne. Determinat Gal. quod debemus expectare: quoniam cum hi duo humores ita sint permisti, unus alium superabit, et dominabitur, et faciet affectum simplicem uel phrenitidem, uel lethargum. Quocirca si pituitosus humor expellatur à natura, & remaneat bilis simplex sola, efficientur phrenetici absolutè, & uigilias habebunt continuas sine somno: si uerò oppositum fiet oppositum, si humor pituitosus relinquatur, & resoluatur bilis, diffleturq; fient simpliciter lethargici, & tantum dormient, non uigilabunt, nec poterunt excitari à somno, qui adeò profundè dormiunt:

miunt. Et utrunque uidebitis fieri indiſcriminatim in actu practico. Quotidie enim uidebitis ambo contingere eo modo, quo prædixi uobis, quod quandoque in febribus uidentur in principio dormire, poſtea ſubſequuntur uigiliæ, & uolunt è lecto ſurgere, fiunt phrenetici, & inflammati moriuntur. Contrariũ aliquãdo accidit, ut in febre fiant ſoporiferi in principio, dormiunt leniter tamen, ut facile expergiſcantur, uocatiq; ſtatim aperiunt oculos, & excitantur à ſomno: quæ paßio ab Arabibus dicitur ſimpliciter ſubet, & niſi medici prouideaut, & ipſi ſuccurrant, de ſopore tranſeunt in maiorem, & profundiorem ſomnum: fiunt lethargici, & cum apoſtemate frigido ipſius cerebri moriuntur. Hæc uidebitis indifferenter contingere in febre acuta, & maxime in peſtilentibus, cum in principio uideantur ſoporati, poſteà fiunt uel phrenitici, uel letbargici prout unus, uel alter humor relinquitur, & prout alter expellitur. itaque cum in his febribus uideritis ſomnum ita uigiliis permiſtum, quemadmodum dicebamus, ut ſit impotentia dormiendi, & hoc apparebit in prima die, debetis expectare quartam: quandoque licet ſit multa pituita, ratione cuius prouocatur ſomnus, tamen propter bilem cõmiſtam in principio febris fiunt uigiliæ: quia bilis calida & acris facilè & citò efferueſcit, & ſicut citò efferueſcit, ita citò reſoluitur: propterea bile reſoluta puta uſque ad quartam, pituitaq; ſola remanẽte fiunt ſoporati, & comatoſi: hoc modo contigit in Sileno in prima die uigilauit, non dormiuit. ſed uidebitis poſteà quam ſoporatus eſt tranſacta

quar-

quarta & mente constitit : erant omnia secundum ratio nem , quoniam quando uigilauit in principio , delirauit, mente non constitit: cum autem soporatus est post quartam constabat mente, & amplius non delirabat: ratio est quia in primo die habuit bilem cum pituita , quæ cum sit materia feruida, inflammata calefaciebat, et faciebat effer uescere cerebrum, non permittebat in eodem proposito hominem permanere. erat ergo bilis causa delirij , quæ etiam cum tenuis sit in substantia, facile dissoluta est , & remansit sola pituita: bilis euaporat, non erat causa delirij , cum pituita sit frigida firmat , & stabilitatis causa est. ideo mente firmatus est, & hac de causa modo uigilauit, modo soporatus est, modo delirauit, modo mente cõstitit in hac ægritudine. Nocte nihil dormiuit. Prima ergo nocte non dormiuit . Quanuis haberet humorem crassum, pituitosum, frigidum, humidum, qui post quartã debebat facere soporem, & reddere Silenum soporiferum, tamen uapores calidi, feruidi, fuliginosi à bile ascẽdebat ad caput, & retundebant frigiditatem, atque humiditatem pituitæ, & faciebant uigilias: deinde & delirium: hoc modo nihil dormiuit in nocte . Sed hic notandum est unum, quod & si in Sileno abundaret bilis simul cum pituita, ut uidimus: tamen erat etiam plenitudo uenarum in capite, erant uenæ capitis repletæ sanguine: quod magis etiam nobis patuisset, si præsentes fuissemus: quia uenæ tumidæ debebant esse in capite, & hoc non iniuria. Ex quo audiuistis , quod ille plurimum potabat uinum, ex quo sanguis generatur . Quare hoc dicis ? dico secun

dum

dum rationem, ut intelligatis, & si delirium fuit à bile, tamen & sanguis affuit: uultis hoc uidere? paulopost audietis in tertia die erat risus, & cantus, & multa uerba, erat delirium cum risu in principio ægritudinis. Delirium cum risu malum. Est hoc principium, & doctrina Hipp. & Gal. quod delirium cum cantu, & risu fit propter sanguinem, qui aduritur à calore, & efferuescit, sicut cum furor fit à bile flaua: & ita uenæ capitis repletæ erant materia sanguinea, quæ fecit delirium cum cantu, & risu: hæc sunt symptomata, quæ fuerunt in primo die. ALTERO DIE febris acuta. Ista modo sunt quæ contigerunt altero die, id est, secundo die. Et primo dicit febrem acutã, ut ostendat quod aucta est. Vbi notandum est, quod in prima die aliter locutus est, dixit πυρ corripuit Silenum, ignis, idest, febris ingens, & uehemẽs: nunc modo in secundo die aliter inquit, Altero die febris ACVTA: in primo die non dixisset, quod fuerit acuta, erat tamen uerum, quod erat acuta in primo die: uos audieritis, quam sæua habuerit symptomata. ideo dixit, πυρ, febris uehemens, ardens, reseruauit postea in secundo dicere, quod fuerit acuta, quia exacerbata, & exasperata. idcirco dixit, in altero die febris acuta per relationem ad superiorem diem, idest ad primum non absolutè, quia frustra hoc adderet, cum & in primo fuerit acuta, sed acuta, idest, aucta, & maior facta per comparationem. RETRIMENTA: idest excrementa: utuntur isti interpretes nostri nominibus insuetis & uocabulis, quæ non sunt usitata apud medicos. Vnde dicebat il-

le

le meus præceptor in philosophia Petrus Mantuanus, dictus Pomponatius, quod quando legebat Themistium illum traductum ab Hermolao Barbaro oportebat semper habere in manu Calepinum, & dum rei attendendũ, oportet studere Grammaticæ. Medici nostri non intelligerent dicere retrimenta, ut iste traduxit studens latinitati. Satis ergo sit uobis retrimenta intelligi excrementa alui, quæ deijciuntur post confectionem cibi in uentriculo. PLVRA: Comparatiuum est non sine ratione additum, primo dixerat multa: nunc secundo die plura, aucta fuit quantitas excrementorum. TENVIORA, Non erant ita crassa, sicut in prima, sed tamen spumosa. SPVMOSA. Erant quidem tenuiora in secundo, quia magis bilis mouebatur, & magis agitabatur, hoc est semper uerum, & perpetuum, quando tumores agitantur, humor, qui tenuior est alijs, magis etiam aptus est ad motum, & ad agitationem, sicut & in elementis, quod tenuius est, prius mouetur. Itaq; aer est primum qđ agitatur, post aqua, quæ succedit in tenuitate, & facilitate patienti. Aer enim est aptior & facilior ad patiendum, & ad agendum magis dispositus; quia calidus, magis actiuus est, quam aqua frigida, quia tenuior in substantia, est etiam magis affectus, atque dispositus ad patiendum, ad recipiendum quamcunque agentis impreßionem. ita bilis inter omnes humores ad patiendum est aptior, & ad agendum parata magis: ad patiendum quidem, patibilis est bilis propter materiam, & substantiam, modumq; substãtiæ, quia tenuior est cæteris humoribus: ad agendum uero

rò

rò propter caliditatem calida est, & acris acuta, ut facillime agat, & quia actio præcedit paßionem, bilis in primo die actionem magis ostendit, in secundo uerò apta fuit magis ad patiendum, ad expulsionemq́;: quia tenuior, & iam diximus humorem tenuiorem esse patibiliorem. quod sit uerum, patet, quia in quarto die non apparuerũt signa tenuis humoris, sed signa melancholiæ, bilis adustæ, & pituitæ, non amplius aderat bilis tenuis, magis parata ad expulsionem, sicut erat in secundo: sed adusta crassefacta, in secundo tenuior bilis, quam ob rem tenuiora exibant excrementa, & plura: quoniam facilius expellebantur, & spumosa æqualiter: & ita omnia erant aucta quo ad excrementa pertinet in illo die. VRINA nigra: feruor auctus etiam erat in secundo & plurimum de bile adusta, & melancholia: ex quo audiuimus, quod in secundo acutior fuit febris, quàm in primo. idcirco etiam aquositas urinalis fuit adusta, & factum est ob feruentißimũ colorem adurentem, ut urinæ nigræ essent in substantia: & hac de causa Hippoc. hoc loco absolutè dixit, urina nigra, non cum hipostasi, aut in qua nigra subsiderent, sicut in primo dixerat, urina nigra in substantia propria non ex admistione rei nigræ, & hic est secundus gradus urinæ. Videtis maiorem adustionem humorum. NOX grauis. Dicit nox grauis: aliter dixit in primo. Nocte nihil dormiuit: scitis rationem diuersitatis in loquendo? Ratio est, quoniam in prima & si expers fuerit somni, nox tamen non fuit molesta: in eaq́; nocte non habuit molestias, nec delirauit, nec se iactauit, & si expers esset illius boni

ſomni.in ſecunda nocte omnia erant aucta, idq; propter non ſolum non dormiuit, ſed etiam moleſtias perpeſſus eſt, & nox fuit moleſta, grauis. ALIQVANTVLVM deliraüit fuit grauis, quia ſe iactauit & delirauit, incepit eſſe phrenitis, & delirium, paraphrenitis: quomodocunque dicamus non ſit lis, intelligatis tamen quod non erat adhuc cum apoſtemate cerebri, & potius erat paraphrenitis, quàm uera phrenitis, & non erat uerum apoſtema, & ſi materia calida bilioſa, acutáq; aſcenderet ad caput: iſta ſunt ſymptomata quæ fuerunt in ſecundo. TERTIO cuncta ingraueſcebant. In tertio omnia quæ fuerunt in ſecundo tam ſæua debebant eſſe remota, ſed oppoſitum euenit, omnia ſymptomata ſæua grauiora reddita ſunt, moleſtiora, & exacerbata ſunt cuncta ſymptomata. PRAECORDIORVM contentio ſub mollis, utrinque promiſſa ad umbilicum. Diaphragmatis, uel ſepti tranſuerſi, nõ præcordiorum debebat uertere, quia diuerſa ſunt: in Sileno erat inflammatio in diaphragmate. Et ut bene intelligatis debetis ſcire diaphragma eſſe muſculum magnum, ſiue membranam, utrumque, quod diuidit partes naturales, quæ nutritioni deſeruiunt, a ſpiritualibus uitæ deſeruientibus, & medium inter membra naturalia, & ſpiritualia, et eſt proximum inſtrumentum anhelitus, facitq; ad formandam, & edendam uocem per tracheiam arteriam, in quo eſt ſedes propria animæ ſecũdum antiquos: credebant ipſi, quòd anima ſederet, ut in ſuo domicilio in diaphragmate nixi ſigno euidentißimo, quod maximam facit fidem, quandocunque in diaphragmate cõtin-

tingit affectio, in anima quoque fit affectio, & omnes affectus, qui in ipso efficiuntur, in anima quoque contingũt. Quocirca factum est, ut appellauerint diaphragma φρένα Latine mentem, & affectum, qui in ipso fit, φρενιτίδα. Gal. uerò & medici posteriores ueritatem magis cõprehendentes, & rei intellectum adæquantes dixerunt urinam esse in cerebro, ut proprio instrumento, nec lædi animam, nisi læsum sit cecebrum, sensata rationi concordantes: quia si affectio in mente contingat ad læsionem ipsius cerebri, hoc est per consensum, quem habet præcipuum cum cerebro, est septum transuersum pars neruosa: ac nerui oriuntur à cerebro, ideo læso diaphragmate, & neruis, qui sunt in ipso, offensis principium quoq; cerebrum offenditur: quo læso afficitur anima, sicut & læso uentriculo maxime neruoso dicimus per consensum fieri affectus in cerebro, ut uertigines, epilepsias, cerebrũ consentit per neruos uentriculo, ut in anatome uideri potest, imò est membrum maxime sensibile, & neruosum cõsequenter propter distributionem neruorum ad os superius, ut sensu comprehenditur. Non ualet autem afficitur anima affecto uentriculo: ergo anima est in uentriculo, quia læditur per consensum. A pari dicamus de diaphragmate non ualere, ut læso diaphragmate lædatur anima: ergo anima sedet in diaphragmate, quia per consensum hoc accidit propter neruos, qui à cerebro ad ipsum distribuũtur. Errabant antiqui, & decipiebantur paralogismo ad pauca respicientes, facileq; enunciabant, & tantam uim habebat, ut dixi hoc signum apud ipsos antiquos, ut ap-

pellarent ſeptum tranſuerſum φρένες, quod mens eſſet in diaphragmate. Hoc ſtante oportet ita uertere in diaphragmate, in Hypochondrio dextro apparuit inflammatio, & hoc modo explicauit in commento, & notauit Galen. erat primo dolor circa hypochondria, ut ſuperius audiuiſtis, & inflammatio fixa tenſiua, & inflammatiua laſſitudo, quæ præceſſerunt inflammationem: ſed quomodo intelligitur, & quomodo cognouit Hippoc. inflammationem præcisè eſſe in diaphragmate? optime dicit Galen. & oſtendit artificioſum, & diuinum ingenium Hippoc. qui etiam poſuit indicium per quod cognouit inflammationem eſſe in diaphragmate, contendebantur hypochondria non tumeſcebant, ſed tumor erat interius, non uidebatur erat quædam contentio, & tenſio ſine tumore cum febre, ita ut non poſſet bene reſpirare. Erat tenſio & contentio ſine tumore, quod fit quando ſeptum tranſuerſum inflamatur iſte uir traduxit, SVBMOLLIS, male tranſtulit, non debuit ita uertere, quia confuſum eſt: & aliquis poſſet intelligere, quod eſſet contentio quidem cum tumore, ſed tumor eſſet ſub mollis ad tactum, non durus: noluit hoc dicere Hippoc. aliter intellexit, & iſte decipit uos cũ uocabulis obſcuris, & æquiuocis. Dicit Hippoc. in græco codice aliud eſt, quàm ſubmollis, & Gal. in commento bene, & propriè expoſuit dicens eſſe ὑπόκενον, ideſt, ſubuacuum, & ut contentio hypochondrij ſubuacua, non propterea erat tumor, ideo hoc eſt quod dicit Hippocrates ὑπόκενον ſubuacuum, non autem ſubmolle: æger percipiebat quidem intrinſecus inflammationem, & tenſionem

nem habebat ad tactum subuacuam sine tumore; non autem submollem. Hæc enim est, ut inquit Gal. differentia, quando inflammantur diaphragma, uel hypochondrium: si uiscus inflammetur, ut septum trãsuersum percipitur quidẽ interius inflammatio, & tumor, sed non apparet tumor exterius, contenduntur tamen hypochondria. Si uero inflammatio est in hypochondrio non percipitur tactu tumor; estq; subuacuum, quod apparet non submolle, quia non adest tumor. Melius dicamus quando est inflammatio in hypochondrio tumor apparet, quando in diaphragmate non est tumor, sed hypochondrium subuacuum est non submolle, quia non est tumor, hoc modo inquit Gal. cognoscitur, & discernitur inflammatio diaphragmatis ab inflammatione hypochondrij. Cum in Sileno esset contentio subuacua sine tumore signum est, quòd inflammatio erat in diaphragmate; non autem in hypochondrijs: et hæc quidem subuacuitas, & contentio protendebatur usque ad umbilicum ab utroque latere, non aspiciebatur tumor aliquis, sed subuacua tensio, quoniam cum esset inflammatum diaphragma, trahebat utranque partem, & & ita remanebant contentæ: erat tamen inflammatio licet non apparebat aspectu tumor: sed subuacuum, & si tumor non adesset, propterea non tollitur, quin esset inflammatio: ita est quando inflammatur septum, uel uiscus internum: & ita intelligitis naturam apostematis, quale fuerit in hoc uiro, & omnia symptomata, quæ contigerunt in tertio, habebitisq; modo de quarto die.

ALVVS TENVIS *subnigra. Quæ ut continuemus cum præcedentibus, ficuti continuanda sunt, dicimus, quod cum fuerit inflammatio, uel apostema in diaphragmate & hoc cognitum sit per sua signa, nunc modo prosequitur* Hippoc. *reliqua, quæ in tertio contigerunt, & dicit de deiectionibus, quæ uariæ fuerunt à primis dicens, quod aluus lenis, tenuis, & subnigra fuit.* Hic *quoque errauit interpres, maledixitq; aluus tenuis subnigra, Græcus textus bene habet.* Excrementa *lenia: non aluus lenis diuersa sunt, uult latinitati studere, & decipitur in rebus non intelligit certe* Hippoc. *nec medicinam habuit.* Gale. *hoc interpretatur, & inquit fieri tantum aluum lenem in colliquatiuis febribus, quando colliquatur pinguedo, abdomenq; extenuatur, & cum tota colliquatur, musculi, & tandem totum abdomen fit tenuißimum, quod non est uerum de excrementis tenuibus, quia non solum possunt esse tenuia in acutis, uerùm & in chronicis longis, quando uidebitis uentrem, uel aluum totam extenuari, dicatis ægritudinem uel mortalem, uel saltem malam, & curatu difficilem iuxta sententiam* Hippocr. *in secundo* Aphor. 4. *ubi dicit in quouis morbo non solum acuto sed & chronico uenter tenuis nihil boni significat. si debet esse saluber morbus oportet, quod sit aluus minimè tenuis, & quod sub cute habeat carnem musculorum, non extenuatum sit omnino abdomen, quia uel non restituitur, uel difficile restauratur. idcirco quando interpres dicit, aluus tenuis, non benè traduxit, quia aliquis medicus putabit, quod dicat fuisse aluum tenuem, & colliquatam, & exic-*

catam;quod contingere in morbis, ut dixi, colliquatiuis, de quibus Hippoc.hic non intellexit. Aliud autem uult, nō oportebat uti tanta elegantia uerborum, & decipere homines: abstinendum erat à metastasi uocabulorum maxime in rebus tam differentibus: oportebat uti nominibus proprijs, & uniuocis quemadmodum dicit Auerroes, & Arist. non æquiuocis, præcipue in rebus maximi momenti. Hippoc. dicit quod egestiones, excrementaq; erant tenuia. Est ergo falsum, quod aluus fuerit extenuata: erāt feces tenues adustæ, eo quod in primo crassæ fuerunt: nunc uerò tenues. Debetis scire, q; lenitas, & tenuitas excrementorum potest effici a duabus causis, ut recte exponebat. Gal. in secundo de crisi cap. xi. & secundo Prognosticorum cap. tertio, & quarto. Dicebat utrobique Gal. quod feces redduntur tenues aut uentris uitio, aut circū stantium membrorum, ut quando obstructiones multæ sunt in uentriculo, & materia copiosa collecta uel in hepate, uel in liene, & multa sunt congregata excrementa, repleta non possunt attrahere, nec fungi suis officijs. quo fit ut cum redundent excrementis, & alimentum non possit distribui, cum uenæ etiam inter mediæ sint redditæ debiliores nec poßint attrahere simul cum fecibus alimentum excernatur, & chylus ita confectus exeat, & fit chyliaca paßio, fluxusq; stomachicus, ut dicunt nostri recentiores, & fluxus spleneticus, uel fluxus hepaticus, quando ista membra sunt affecta, uel lien, uel stomachus seu uentriculus, uel aliquod alind circunstans membrum. Quandoque dicit Galen. fiunt tenues, non quod passus sit

aliquid uentriculus, neque aliquod aliud membrum, quod ad alimentum distribuendum attineat ex his, quæ in uentre continentur. Sed quando à cerebro defluit catarrhus, aut ab aliquo alio membro, ut à thorace excernuntur excrementa ad intestina, & ista cum fecibus mista reddunt egestiones tenues, & fluit aluus, fit fluxus, qui catarrhosus dicitur à nouis & diarrhæa: qui quidem est fluxus, quando humores multi defluunt à toto ambitu corporis, & deueniunt ad intestina, uel ab aliquo magno uiscere transmittuntur: unde fit fluida aluus nihil affectis intestinis: istæ sunt duæ causæ, quas recitauit Gal. Est modo alia causa, quæ habetur in tertio epidi & in primo de crisi licet tacite, ut tantum modo innuatur, non declaretur, & est detestabilior omnibus causis, & fluxus omnibus deterior: quando uiscera non afficiuntur, nec sunt obstructa, nihil transmittunt, neque intestina affliguntur, neque uenæ debilitatæ, nullum membrum patitur, ratione cuius fieri possit iste deffluxus, sed illæsis intestinis colliquatur pinguedo, alimentum membrorum proximum, & caro musculorum, humores, uel humiditates; colliquata decurrunt ad intestina, & fit fluxus, qui à Galen. fluxus colliquatiuus, quia caro & humiditates colliquantur, & iste fluxus sequitur ad febres pestilentes, malignas, imò est ab illis inseparabilis, ut dicit Gal. tertio Epidi, qui ait nunquàm fieri febres pestilentes, quæ non habeant annexum fluxum colliquatiuum, qui est peßimus, & lætalis: & ita uidetis hactenus tres causas, propter quas excrementa enuia redduntur, & fit tenuis fluxus, uel propter aliquem

quem

quem effectum, & debilitatem uentris, quæ ad nutritionē pertinent, ut non poßint retinere, uel distribuetur alimentum, & ita dimittunt excerni una cum fecibus, uel ob defluxum, quando transmittuntur aliqua excrementa tenuia ad intestina à cerebro, aut à toto corporis ambitu; uel tertio propter colliquationem carnis, membrorum, & humiditatum: ista sunt, quæ singula possunt facere fluxū tenuem, & egestiones tenues. quænam causa fuit huius egestionis tenuis in Sileno? Audiuistis in primo die feces redditas esse crassas, & diximus causam cur crassæ essent propter priuationem ichoris naturalis, à quo crassæ tenues redduntur, imò & humores sunt tenues ratione suorum ichorum: in principio humores peccantes, & qui effluebant, erant meri, synceri, craßiq; propter priuationem, & consumptionem ichoris. forte igitur ichor additus est, & iterum feces redierunt tenues: sed hoc non fuit, propterea quòd si ita fuisset, bonum esset, nō malum, ut putat Hippoc. malum esse; atq; humores ad naturalem statum rediissent, & quod propter hoc non fuerit Hippoc. statim se declarans ostendit, quando dicit. SVBNIGRA. erant tenues, & nigræ egestiones: nigredo autem in urinis, & egestionibus, ut dicit Gal. in loco supra citato primo de crisi cap. xi. & in secundo Prognostic. in multisq; aliis locis, ut in eo Aphor. exitiosior si nigra &c. declarans Gal. dicit quod fit in egestionibus propter adustionem maximam, & cum permiscetur atra bilis multa cum fecibus. non ergo tenuia erant in Sileno excremēta, quia ichor rediisset, additus iterum eßet, imò nunc ma-

gis erant priuata ichore, non propterea erant tenuia, erant nigra præter tenuitatem, propter magnam adustionem in humoribus, & in ipsis fecibus: debebantq; potius esse crassa. quanto enim magis aduruntur, tanto magis crassa fiunt, & corpulenta: quantum ad hanc causam attinet, deberent esse crassa non tenuia. Vnde igitur reddita sunt tenuiora? propter illam tertiam causam propter colliquationem carnis, & humidi etiam substantifici, quæ est pessima causa omnium, & deterrima: & signum fuit, q. moriturus esset. Videte quomodo semper ad mortem magis, ac magis tendebat. in primo die erant crassa, biliosa, mera, aquosaq;: nunc uero tenuia non propter additionem ichoris, & serositatis; sed tenuia, & nigra, quia colliquabantur carnes, & humiditates: ratione quarum tenuia efficiebantur nigra, deinde quia adusta à calore præpotenti, quod ita sit uidebitis, quando dicemus, quæ feces secutæ sint in quinto, & in sexto die: ubi uidebimus manifestam colliquationem. in tertio itaque die incipiebant colliquari carnes, & humidum alimentale, ideo efficiebantur feces tenues. quæ de se crassæ erant. nigræ erant: hoc portendebat magnam adustionem, erat quidē magna, ob idq; poterat etiam carnes colliquare, & faciebat nigras: in primo erant meræ biliosæ, sed non nigræ: nunc modo nigræ: in principio erat quidem adustio, qua absumptus fuerat ichor, & factæ meræ, non tamen tanta, quanta nūc est, in eo gradu existit; ut iam factæ sint nigræ non modo meræ. per hoc ergo indicat auctam adustionem, quod aperte in his exterioribus perspicitur antè, quàm nigrescant

ſcant aduſta: primo humiditas abſumitur, quæ in illis reperitur, quo modo autem caro colliquetur, declarat Gal. de carne apta ad eſum dicens: ſiquis accipiat carnem, et ponat ſuper craticulam ad ignem, uidetis quomodo colliquetur, & defluat humor ſuper carbones, & ſuper ignem, ut quandoque ignis extinguatur tanta copia humoris diſtillante, & defluente: ita propemodum, inquit, contingit in homine, quando habet calorem feruentiſſimum, ut in febribus ardentiſſimis, & colliquatiuis incipiunt aduri humores, & pinguedo, carnes, humidum radicale colliquatur, & homo extenuatur: defluit humor colliquatus, ac ſi eſſet caro toſta ſuper craticula. hac ſimilitudine oſtendit, quomodo fit colliquatio, & fluxus maxime in febribus. Tenues feces, erat peſſimum ſignum, indicabat morbum ad peius procedere: propterea quia quando morbus tendit ad concoctionem, & maturationem, ut ſoluatur, & uincatur à natura feces efficiuntur craſſiores: quando uerò ad cruditatem, & non maturatur, non tendit ad ſolutionem tenuiores, quod medici quoque uulgares nouerunt, cum uident tenuiores egeſtiones, dicunt ad peius procedit. Vnde dicit Hippoc. corpulenta reddatur deiectio morbo eunte in iudicationem, oportet, criſis ad bonum tendit: quando corpulenta fit egeſtio, ita facit in ſuis ægrotis, quando uult oſtendere, quod morbus in deterius abiret, enumerat hoc ſymptoma dicens alui deiectiones tenues: ſi uero ad melius, excrementa corpulenta, & craſſa fuerunt. Videatis illam ſententiam in ſecundo Progn. xvi. & in multis locis alijs, & xx. etiam Aphor. ſi aquo

aſ

ſa admodum &c. Vbi Gal. dicit quod tenuitas, & aquoſitas deiectionum eſt ſignum cruditatis: craßities uerò cõcoctionis; & huius rationẽ habetis, quoniam quæcunque concoquuntur, incraſſantur, concoctióq; procedit ingroſſando, ut habetis ab Ariſt. & Peripateticis poſterioribus in quarto metheororum: quanto enim tenuius aliquid eſt, tanto crudius eſt. Cum igitur excrementa eſſent tunuia, ut dicit, & tenuia uſque ad ſatietatem ſignum erat, quod natura nihil faciebat, nihil operabatur: propterea quando dicit: tenuia ſubnigra, tollit omnem ambiguitatem, & difficultatem: quòd bona eſſent, nullum bonum habebant, & indicabant non eſſe motum criticum, ſed malum: non quia eſſent humores miſti cum ſuo ſero, non poterat hoc eſſe, quia erat aduſtio magna: ideo nigra tenuia, non ſimpliciter tenuia. VRINA turbida nigra. iſtud quoque erat peßimum, & deteſtabile ſignum: & dicit turbida, nigra, non abſolutè nigra: ſi fuiſſet ſolùm turbida potuiſſet forſitan eſſe bona, non ita mala ſaltem; ſed non modo fuit turbida, uerum & nigra, non nigra tantum; ut in ſecundo dixerat, ſed nigra, & turbida. fit autẽ urina turbida ab aliqua cauſa turbante, fuit nigra, & turbida: quia omnia ſymptomata augebantur. turbida autem fit, ut primo de criſi. c. 12. propter turbationem in ſanguine factam, & inflammationem, agitationemq; ſpirituum; quando eſt feruor magnus in corpore. ſanguis inflammatur, tunc ſpiritus agitantur, & miſcentur cum parte aquea, fit quod dicebamus de ſpuma; ex motu & agitatione permiſcentur flatus cum aqua, fitq; ſpuma in ſanguine, & tur-

turbidus ſanguis. quandoque itaque urina turbida ſignificat ebullitionem, & magnam in ſanguine perturbationem, quia qualis eſt ſanguis, talis redditur urina, cum ſit ipſius ſanguinis colamentum: ſicq; perturbata per ſignũ indicat perturbationem in ſanguine: alio modo fieri poteſt urina turbida propter admiſtionem rei ſordidæ, & turbidæ: ſicut quoque uidemus aquam fieri turbidam cum pura ſit propter lutum admiſtum. ita in ſanguine contingit, quando ei admiſcetur humor melancholicus niger, ſanguis quoque niger efficitur, & turbidus: urina etiam colamentum ipſius admiſto humore melancholico, & ſi lucida ſit, & tenuis clara; ſit turbida, nigra, craſſa, & impura. poteſt igitur urina turbida fieri propter duas cauſas uel propter inflammationem, & ebullitionem ſanguinis, quando ſpiritus agitati commiſcentur, & fit craßior urina, ut dicebamus ex ſecundo de partibus animalium, cap. ſecundo, ubi dicit Ariſt. de ſemine, declarabamus ſuperius, quod quando ſpiritus commiſti ſunt cum ſemine fit ſemen craßius, quàm priuatum ſpiritibus: uel fit rubida urina, perturbata ex admiſtione rei craſſæ turbidæ. ſed notate modo, quod Gal. hanc cauſam primam, quando fit turbida urina propter inflammationem, & ebullitionem in ſanguine in tres diuidit, &, dicit quod tripliciter fieri poteſt nigra ex hac cauſa: uel turbida fit ita, ut ſtatim mingitur turbida, & craſſa, & ſtatim etiam reſidet turbiditas, clareſcit & tenuior redditur, cum refrigeratur: uel mingitur craſſa turbida, & ſemper pmanet turbida, non clareſcit, nec attenuatur: aut fit primo urina quidem

dem lucida, clara, tenuis, & posteà fit crassa, & turbulenta cum refrigeratur. Dicit Gal. quod illa peßima est omnium istarum, quæ mingitur tenuis, & non permanet tenuis, sed perturbatur, crassefit: quæ uero crassa redditur, & permanet crassa, semper similis est, medio modo se habet, & media est in bonitate, atque malitia: illa autem meliorem, quæ cum mingatur crassa, posteà clarescit, & residet. reddit causam, rationemq; Gal. in primo de crisi ca. allegato. 12. præsupponit, quod in urina turbiditas efficitur propter pugnam naturæ, quando urina est turbida, signum est quod natura pugnat cum morbo: & quia cum pugnat, aut nondum pugnat postea pugnabit statim, aut pugnat continuè, aut pugnauit, et iam cœpit desistere, aut nihil pugnat, neque pugnatura est: ita uariantur urinæ turbidæ, ut pugna uirtutis uariatur. Quando urina turbida mingitur, deinde clarescit, signum est uictoriæ, quod natura superauit morbum, & materiam coxit; nondum tamen perfecit, adhuc aliquid pugnat, cum redditur crassa, & semper similis remanet, signum est, quod natura pugnat strenuè cum morbo, multum materiæ concoxit, & uictoriam aliquam habuit, remanet tamen multum adhuc concoquendum, ob idq; remanet turbida. At si urina appareat tenuis, & extra conturbatur, crassescit, indicat naturam nondum pugnare, ideo tenuis mingitur, incipit tamen agere aliquid, & iamiam pugnabit cum morbo, propterea crasse fit: hoc interest quando primo clara est, deinde conturbatur, nam non pugnat, pugnabit tamen; si turbida sit, & clarificetur pugnauit, & uicit, pa-

rum

rum adest materiæ, quam concoquat: hæc melior, illa pessima omnium est; quia longiori tempore ad solutionem, morbi, & robustiori uirtute ad concoctionem materiæ opus erit: in hac parum deest, quod agat. Quantum uerò secunda distat ab hac bonitate, tantum malitia longinqua est ab illa. cum urina redditur tenuis, clara, lucida in morbis est peßima, si omnino sit incocta, & omnes uincit, quia signum est extremæ cruditatis, nullius concoctionis: natura nec agit, nec actum est. ideo ubi primo tenuis apparuerit, quemadmodum dicebamus, malum est, ut audietis, & significat uel quod morbus lætalis est, uel longus: melior est crassa, ut uidebitis statim. Ergo ubi urina redditur tenuis, & lucida indicat naturam adhuc nihil agere, & materiam nondum passam esse aliquid: idcirco mala in quouis morbo, si acutus fuerit, quod male terminabitur: si chronicus, quod longus erit. Videtis causam omninm, & quomodo non discedo à doctrina Gal. in Sileno urina turbida, & permanebat turbida, erat quidem signum pugnæ cum morbo, & concoctionis materiæ; sed non poterat ad exitum peruenire, erat dubium de exitu pugnæ, misera illa natura faciebat quidem, quod poterat, sed semper auertebatur, & trahebatur à mala, acriq; materia, ne quid operaretur, quæ non desistebat, uolebat omnino superesse. & ideo sanguis turbabatur, & urina turbida reddebatur; erat pugna naturæ, quæ tamen necessariò deberet cadere. Turbidæ nigræ: nigræ quidem, quoniam natura aggressa fuerat pugnam; et indicium nobis est, quod aliquid faciebat: sed magnitudo morbi auertebat, & calor

lor inflammans humores assabat, adurebat, non poterat natura superare humores, neque concoquere: aggressa quidem fuit pugnam ita tamen, ut non posset ad exitum ducere: propterea in tertio urinæ fuerunt turbidæ, nigræ copulatiuè. Nam si fuissent disiunctiuè prolata, & intellecta, ut tantum fuerint nigræ, uel tantum turbidæ non esset multum malum indicium, multi euadunt, & natura potest superare materiam. At quando turbida, & nigra simul copulatiuè extremũ malum significat: summumq; malum portendebat, cum hoc uellet indicare: notanterq; fuerunt ab Hippoc. ista duo posita copulatiue, non sine maxima causa. Nam ut aliàs dixi, iste uir fuit tãtæ sublimitatis ingenij, ut non posset ponere aliquod uerbum, quod aliquid magni non significaret, omnia aduertenda sunt, quæ ille dicit: propterea & hic clarè uoluit intelligere summam malitiam, dixit duo ista simul, turbida nigra, quia pugna ad malum erat terminanda, quod non declarasset alterum ipsorum, erant cupulanda. NOCTEM insomnem duxit: in nocte fuit insomnis, sicut in prima nihil dormiuit, & hic repetit eadem etiam uerba quæ dixit in prima, dixit ibi nihil dormiuit, idest, ferè nihil dormiuit, ita hic fuit insomnis, idest, ferè fuit insomnis, sed quid succeßit? Additum est aliud præter hoc, qđ si non fuisset additum, nihil ualuisset, & frustra repetitum esset idem. MULTA uerba, risus, cantus moderari sibi non potuit. Non dormiuit: præterea multa loquebatur canebat, ridebat, & delirabat: Nec mirum quod delirabat, quia habebat eandem inflammationem auctam in sum=

ſummo, & plurimam bilem, quæ agitabatur, unde fiebant urinæ turbidæ, non ſolum erat propter bilem, & ſangui nem, ſed & propter pugnam naturæ cum morbo & ma teria, humoribus redundantibus, quibus, ut dixi, agitatis plurimi aſcendebant uapores ad caput cal di, acres qui cõ tangentes membranas cerebri efficiebant delirium, & fie bat paraphrenitis furor ſimilis phrenitidi ueræ, non erat phrenitis apoſtema cerebri ab humoribus craßis tenui= bus, ſed tantum uapores contangebant membranas cere= bri. delirabat ergo ob uapores eleuatos, quia humores modo huc, modo illuc agitabantur: ſcitisq; impetum om= nium actionum animalium fieri à cerebro, quia ſi impetus eſt naturalis, fit ſecundum iudicium, & electionem: quo= niam ſpiritus noſtri mouentur per electionem, & tunc diſcunt homines, diſcurrunt, & uarias motiones animales operantur, memorantur, & imaginantur, & ratione u= tuntur: ſed quando agitantur propter feruorem, & pro pter multos uapores aſcendentes tunc agitatio in ſpiri= tibus non amplius ſecundum naturam, ſed motus inuolun tarius, ſine iudicio, & ſine ſcopo aberrat à ratione, & operatur ſine conſilio, nec loquitur in propoſito. Erat in hoc ægro agitatio ſpirituum non ordinata, & naturalis, ſed præter naturam propter maximam ebullitionem, & ex uaporibus ad cerebrum aſcendentibus, ideo ſecutum eſt delirium, non conſtabat in actionibus animalibus. Et quoniam cum delirio erat cantus, & riſus, ob id habemus quod uapores à ſanguine erant eleuati, qui faciebant ip= ſum delirare. Et quare? quia riſus, & cantus fit propter

ſanguinis inflammationem, & ebullitionem, quod autem fuerit ſanguis, habuiſtis quemadmodum agitabatur ex turbiditate urinæ: quando quidem erat temperaturæ ſanguineæ calidæ & humidæ, ut dicemus & oſtendemus multo diſtinctius inferius: & quoniam erat iuuenis, in ætate adoleſcentiæ, in qua ſanguis dominatur, & multum generatur in proportione omnium ætatum, ideo uapores ſanguinei, & calidi humidi aſcendebant ad caput, & faciebant delirare Silenum cum cantu, & riſu. non erat delirium maniacum, aut furioſum, ſed placidum, & cum ala critate, & benignitate; quæ propria eſt ſanguinis effectus, ut furor ipſius bilis: idq; bene Gal. dicit, & poſt eum Auicenna, quod quando ſanguis aduritur, & aſſatur in cerebro facit morbum, quem melancholiam appellant: tunc fit melancholia cum cantu, & riſu, quieta non furibunda, ut quando aduritur bilis: imò dicam uobis unum, hanc eſſe, ut proprietatem in ſanguine, quemadmodum aliæ in alijs humoribus, in bile ut faciat furere: in melancholia, ut reddat ꝑtinaces; in ſanguine uerò ut benignos, alacresq; reddat homines. Vnde qui ſanguineo ſunt temperamento, ſunt benigni, mites, miſericordes, & pij: cum riſu, & gaudio, & tandem ſunt boni uiri, libenter loquuntur. Ex his quæ ab Hippoc. non iniuria ſunt addita, dicimus delirium à ſanguine dependiſſe. Quapropter in tertio delirans multum loquebatur, ridebat, canebat, non poterat ſeipſum moderari, neque ratione uti. Quoniam in quarto die nihil noui notatu dignum euenit, nihil dicemus ſcientes eiſdem ſymptomatibus tranſiiſſe quartum diem

diem, quæ perpessus fuerat in tertio. QVARTO die eadem erant: nihil innouatum ponit. QVINTO deiectiones meræ, biliosæ, læues, perquàm pingues. Videte quomodo continue magis currebat ad mortem. Notate quod ad idem reuertimur: egestiones alui crassæ, & meræ biliosæ erant, quod etiam dixit in primo, in secundo tenuiores, in tertio & quarto etiam tenuiores: quoniam eædem erant in utroque die, quæ in tertio ea quoque in quarto: in quinto redditæ sunt meræ, biliosæ, crassæ multæ, nō erant amplius tenues. Vnde hoc? Notate doctrinam, ingenium, & mirabile Hipp. artificium in contextu, & mēte recolatis processum totius. in prima die quoniam non colliquabantur humores, & carnes feces erant crassæ, adustæ: quoniam cum priuantur humores suo ichore proprio crassæ fiunt, erant sine sero meræ, & biliosæ. At in tertio, & quarto, & prius in secundo inceperunt colliquari carnes, & humiditates corporis. idcirco redditæ sunt tenues, non addito ichore, sed ex colliquatione carnium, cum postea tenderet ad consumptionem propter maximam inflammationem, consumpta humiditate feces remanserunt in sua substantia meræ crassæ sine humido colliquationis carnium, & humidi alimentalis. primùm priuatæ proprio ichore, ut audiuistis, fuit primus gradus ex adustione; iterum redierunt crassæ in quinto, tanta erat inflammatio, & feruor, ut totam absumeret humiditatemq;; sed cum crassæ apparuissent non ualeret modo arguere, quod cessauerit colliquatio, sicut ualebat quando factæ sunt tenues, quod incepisset, imò magis colliquaban

tur carnes relictæ. At quia deficiebat humor tenuis alimẽ talis, & carnes iam erant absumptæ, non apparebat aliqua notabilis colliquatio, non propterea non erat colliquatio, sed magis intendebatur, & humidum substantificum destruere, cum carnes deessent, incepit feruor ascendere, ac penetrare ad humidum radicale: atque ad substantiam membrorum. solida profectò iam tabescebãt, & exiccabantur: ita procedit colliquatio, quam rem uidete apud Gal. in secundo Prognost. xxi. et xxii. ubi Hippoc. ait, si exigua, glutinosa, candida, subcrocea, leuisq; sit, mala est: deinde. Exitiosior uerò est si nigra, aut liuida, aut opima, aut fœtida est. Gal. in commento dicit, quod sit opima ex consumptione pinguedinis, et colliquatione corporis. Cum essent crassæ feces in hoc uiro meræ sine ichore, biliosæ, erant etiam per pingues, ut declarabit. PERQVAM pingues. Notate quod semper augere contendit malitiam, si fuissent tenues, pingues, non fuisset tam malum: quia humores tantum colliquarentur. At quoniam crassæ meræ fuerunt, deinde pingues pessimam indicabãt colliquationem, et quod iam accessisset ad substantiam mẽbrorum solidorum consumpta carne, et humiditatibus.

LAEVES. Dicit Gal. in eo 21. commento secundi Prognost. quod læue omne, quod exit à corpore sit læue propter alteram duarum causarum, & ita feces læues: uel quando fit optima concoctio in humano corpore, & tunc fiunt fæces læues, id est, æquales, quia superficiem habent æqualem, planumq;: hoc enim proprie læue est, sicut suum oppositum est inæquale, asperum, & scabrosum; quod

quod partes superficiei habet inæquales. Dicit ergo hanc esse primam causam, quod aliquid excernatur æquale, & læue in suis partibus propter optimã concoctionem, quæ fit in membris naturalibus, in quibus alimenta conficiuntur, & secernuntur ab excrementis. Cum sit optima concoctio, à calore naturali omnes partes concocti superantur æqualiter, ut in fine concoctionis nulla relinquatur, quæ naturæ actionem, & alterationem effugerit, æqualiter concoctæ in superficie æquantur, ut una non super eminet alteri: cum inquam sit hæc optima concoctio feces excernuntur æquales, non asperæ, partes ipsarum planæ sunt, & hæc æqualitas subiecti, uel breuitas optima est, & optimæ feces redduntur: quia res meliores sunt, quæ secundum naturam dicuntur quanto magis æquantur. Fit læuitas propter aliam causam, ob pessimam concoctionẽ caloris innati: quando fit extrema colliquatio, & consumptio pinguedinis humiditatis, & partium corporis, tunc fiunt excrementa æqualia; sicut quando fit optima concoctio, ita assantur, & ita colliquantur membra, ut nulla pars materiæ sit, quæ non sit assata, adusta, & malè affecta, læuia efficiuntur & plana: hæ sunt duæ causæ læuitatis in excrementis, quas quotidie uidemus, ita ut æqualitas aut optimum indicium erit, & concoctionis laut pessimũ, & rebellionis materiæ: sicut illud, quod naturale est, melius est quo planius, & læuius existit: sic quod præter naturam peius, & deterius. quamuis dicat hoc Gale. tamen potest esse & alia quædam tertia causa, quam uidetur quoque Gal. attigisse in eodem commento, quando in fecibus

bus est uiſciditas, & lentor: quia membra colliquantur ab igneo calore, & ita uiſcoſitas ſummam indicat colliquationem. Vbi puto fortaſſe Hippoc. per læuia intellexiſſe uiſcida, quia erant craſſa, & uiſcida. uiſciditas autẽ duplex eſt, & dupliciter poteſt cauſari uel quia aliquod uiſcidum commiſcetur, & quando fercula, & eſculenta, quæ aſſumuntur talia ſunt, ut excrementa quoque reddãt uiſcoſa, quod non eſt peßimum: uel propter colliquationem membrorum ſolidorum, & tunc exigua ſunt: quandoque tamen copioſa, ut maximam habeant uiſcoſitatem, & per totam ſubſtantiam ipſorum. excrementa in hoc caſu non propter admiſtionem uiſcidi craßi, ſed propter colliquationem magnam membrorum, & eſt peßimum. ſcitis enim quod uiſcidum fit ex optima commiſtione partium aeris cum aqua pingui, ex qua commiſtione, & uiſciditate ſequitur læuitas, ut in oleo contingit, quod cum uiſcidum ſit, eſt etiam læue, æquales habet partes in ſuperficie: tanta eſt commiſtio ambarum partium, & mutua cõnexio, ut minima particula non ſit unius, quæ non contangat, & ſit miſta cum minima alterius; nulla alteri ſupereminet, cum oleum tale ſit, ſicuti admiſceatur facit ipſum etiam læue. quomodo facta ſunt uel uiſcida, uel læuia? Dixit Galen. quod læuitas fit uel propter bonam concoctionem æqualem in omnibus partibus, uel propter extremã colliquationem, & rebellionem concoctionis. Hic non fuerunt talia excrementa propter optimam coctionem æqualiter in tota ſubſtantia: quia ea, quæ exibant, erant humores aduſti, nigri, craßi: non autem feces, quæ ſeiunguntur

ab alimento in concoctione, quæ fit in uentriculo: propterea talia erant propter alteram causam propter colliquationem extremam, non carnium: quoniam non aderat caro, & iam colliquata fuerat: sed propter colliquationem humidi radicalis, & substantiæ membrorum solidorum. pingues. quoniam pinguedo, quæ adhæret membranis, colliquabatur. Egestiones ergo ut uidetis, indicabant summam corporis colliquationem, & est peßimum symptoma, ut etiam Gal. inquit secundo Progno. simul cum Hippoc. in his testibus, quos superius habuistis. Exitiale indicium est cum feces liuidæ, crassæ, læues, ac opimæ apparent. Has omnes conditiones habebat Silenus in quinto die, meræ, biliosæ, læues, atque ualde pingues, quod exitiosum symptoma fuerat.

VRINA TENVIS liquida, pauca, mente constitit. considerat singula quæque Hippoc. & diligenter percurrit per omnia symptomata in Sileno, contemplatur accidentia circa corpus, actiones læsas, atque exeuntia mutata, quæ omnia sunt fontes signorum indicantium nobis naturam cuiusque morbi, & affectionis. Excrementa considerauimus, & primo quidem, quæ per aluum redduntur. Nunc modo considerat Hippoc. urinam, & exeuntia à uesica. Dicit autem quòd in quinto adhuc die apparuit urina tenuis, liquida, & pauca in quantitate. Notate quod hoc dixit, quia fuit urina dißimilis à prioribus, quæ fuerunt ante in Sileno: in primo die erat nigra cum hypostasi nigra: in secundo nigra in substantia, non modo in hy-

postasi: in tertio urina turbida, nigra: Nunc modo quod fuit magis prope mortem, ad quam accelerabat, dixit urinam apparuisse paucam, tenuem, puram, & mente constitisse. MENTE constitit. Cum prius delirasset, nunc utebatur ratione, & discursu. Si fuisset aliquis ex uulgaribus, & imperitus medicus spem accepisset, & dixisset Silenum conualiturũ, & melius habuisse in quinto cum uideret mente constare, non delirare, ut faciebat in tertio, & urinas esse pulchriores. At mente constare ad oblationes bonum dixit Hippoc. in Aphor. propterea debetis diligenter animaduertere, ne decipiamini. Declarabimus quemadmodum ista symptomata fuerũt peiora, quàm ante, & quod deterius cum his habuit Silenus, ut solent speculari medici dogmatici, qui non ita temere aliquid sperassent. inquit igitur urina tenuis, liquida, pauca, mente constitit. Aduertatis quod isti qui traducunt egræco in latinum sunt causa multorum errorum in medicina, quoniam non attendunt sensum autorum, nec assequũtur, quæ non sine ratione dicunt magni uiri, & confundunt omnia, dum habere uelint eloquentiam linguæ, & decorum in uerbis. Notetis Hippoc. non dicit urinam tenuem liquidam, sed transparentem, græcè διαφανὴ, & latinè perspicuam, ut ita totus pateat textus. Vrina tenuis perspicua seu pauca trãsparẽs rara: non dicit liquidam; quoniam aliud est hoc uocabulum liquidum. Credo certe quod interpres iste debebat esse magis exercitatus in Grammaticis, & in docendis pueris in scholis, quàm in arte medica, maxime in poesi, quando postea uolebat transferre poe-

poeticè uertebat non more medicorum, qui non loquuntur poeticè. Nam consueuerunt Poetæ appellare aerem liquidum.i.purum, clarum, tenuem, limpidum, & transparentem non crassum, aut nebulosum. Et ideo pædagogi dicunt in Poetis liquidum expositiue purum, clarum, quia fluidus esse uidetur: ita interpres putabat se esse in Poetis, & posse loqui metaphoricè, ut illi consueuerunt, non sunt admittendæ metaphoræ, quoad fieri potest, ut etiam dicit Gal. & philosophi omnes in artibus realibus, ne metaphoris uocabulorum res confundantur in mentibus hominum. Voluitq; dicere transparentem, & uertit liquidum, Græcus tamen codex habet διαφανῆ, *transparens urina, & clara pura. Erat ergo urina tenuis, & transparens cum prius in quarto esset nigra, & turbida impura: nunc uero in v. totum oppositum existit: urina sicuti tunc erat crassa, nunc tenuis est, ibi nigra turbulenta, nunc transparens clara, & pura. iure itaque optimo transparens uertatur, non liquida, ne decipiamini.* PAVCA *ita prius multa esset in tertio, & quarto, & in primo nunc pauca fuit. Et circa hoc debetis scire, quod reduplicauit uerba, dixitque, urina tenuis, transparens, non pro eodem, non quod nugetur, quia Hipp. nunquam nugatus fuit in suis libris, imò ita breuitatem amauit, ut quandoque sit nimis breuis, & breuitas in ipso efficiat obscuritatem, dixit cum magna causa, quoniam per hoc, quod dixit (tenuis) non potuissemus intelligere, quod esset clara; necessarium fuit addere (transparens) non omnia, quæ tenuia*

ſunt etiam tranſparentia, & pura: cum dicimus hoc eſt tenue non ſequitur eſſe tranſparens: bene dixit (tenuis tranſparens): multa ſunt tenuia, quæ non tranſparent, ut acetum præcipue nigrum, quod tenuis eſt ſubſtantiæ, tamen non eſt diaphanes, neque tranſparens, decoctum piperis, ſynapis, & Euphorbij eſt tenuiſsimæ ſubſtantiæ; cuius rei ſignum eſt illud, quod facile penetrat ad profundum, ſed non tranſparet: aliud eſt enim tenue, aliud tranſparens; tenue illud quidem eſt, quod facile, & citò penetrat uſque ad profundum propter partium tenuitatem: tranſparens autem eſt quod recipit lumen ad profundum, & per totam ſui ſubſtantiam, ut cryſtallus, & adamas, quæ ſunt craſſa & tranſparentia. Vnde habemus quod non ſemper ſunt ſimul, neque ſunt idem tenue, & tranſparens: multa ſunt tenuia, quæ non tranſparent, neque poſſunt recipere lumen ad profundum; & multa ſunt contrà craſſa in ſubſtantia, ut adamas, quæ tranſparentia ſunt. Cum igitur iſta ſe iungantur, & poßint ſeorſum inueniri non ſequitur, hoc eſt tenue: ergo tranſparens: iureque optimo Hipp. non fruſtra uerba duplicauit, & propoſuit urinam eſſe tenuem, & tranſparentem, cum uellet dicere, quod urina erat cruda dixit tenuem, deinde cum uellet oſtendere, quod illa tenuitas non erat cum turbiditate, ſed pura, clara, & lucida addidit tranſparentem. Dixit autem tranſparentem, quia quandoque ſunt urinæ tenues, quæ non tranſparent: aliquando enim urinæ ſunt luthea, tamen ſunt tenues, nec tranſparent, ſicut illæ urinæ, et aquæ al-

bæ

bæ perspicuæ, & candidißimæ, quæ sunt peßimæ omnium urinarum, ut dixerunt optimè Gal. & Hippoc. in secundo Prog. textu xxx. et xxxi. xxxij. et multis alijs: atque Gal. in primo de crisi Cap. xij. circa dimidium, urina tenuis, alba colore, & candida, sicut est aqua, indicat summam humorum cruditatem, summamque uirium debilitatem, quæ concoctionem perficere non potest. ideo urinæ albæ tenues, aquosæ, cum fuerint in acutis proxime morietur, uel male terminabitur: significant abolitionem ferè ipsius facultatis concoctricis. Si uerò in longo, et diutino morbo longam ægritudinem futuram portendunt, & difficilem curatu, ac solutione: et huius ratio est ista, quando sunt morbi materiales. Loquimur enim de his ægritudinibus, quæ pendent a materia, non de hectica, uel alia quauis sine materia intemperie, sed de febribus, & morbis materialibus, ut de febribus loquimur putridis, quæ oriuntur propter aliquem humorem in corpore putrescentem, habentq; radices in humoribus putridis. Dico ergo in his morbis materialibus, quando urina apparet tenuis, sicut est aqua, & alba, qualem describit Gal. tunc signum est naturam nihil agere, non concoquere, nec morbum aggredi, si aliquid moliretur faceret aliquam humorum, & materiæ permistionem; ex qua quidem permistione, & agitatione urina redderetur craßior propter concoctionem ipsius humoris. At quando humores, & morbi materia subsidet non commiscetur, quoniam natura aggrauata a materia non pugnat cum morbo, naturam non aggreditur, otiosaq; manet,

net, & perpetitur, urinæ redduntur tenues, & tranſparentes claræ, & iſtæ ſummam malitiam habent, & cruditatem commonſtrant, debilitatemq; uirtutis alteratricis, & concoctricis. Vnde urinæ ſumme citrinæ, uel albidæ cum tenuitate, ut aqua uideantur, ſignificant cruditatem materiæ: in primo quidem gradu albidæ, in ſecundo proximæ citrinæ, & quæ parum de bile additum habent; & hoc aduertite, quia multum adiuuabit uos ad prenoſcendum euentum ægritudinis, & ad prognoſticandum: ſemper malæ ſunt, & malum afferunt indicium. Si in chronica, & longa apparuerint poteritis dicere aſtantibus, & ægrotantibus, quod morbus futurus eſt longus, & difficile curabitur; periculum eſt ne poßit ſuſtinere uirtus, quoad morbus ſoluatur, dum diutius ſiue longius incoctus permanſerit. in acutis uerò in quibus omnia ſunt ſæua, & peßima dicetis omnino moriturum ægrotum: quia ſcitis de natura, & eſſentia acutorum eſſe, ut citò perueniant ad ſuum terminum; tantaq;, & tam ſæua in eis fiunt ſymptomata, eaq; mala, ut non poßint prolongari: materiaq; aggrauat naturam, quæ natura maxime afflicta non poteſt diu ſuſtinere; aliquando, & citò properat, ut deponat, nec diu perdurare poteſt. ergo uel oportet breui ægrum mori, uel ad malum terminari, uel ad ſalutem: alterum duorum eſt neceſſarium, quia natura ita ſtare non poteſt, non poteſt uiuere, neque ſanari redditis his urinis, quia natura nihil agit; ex quo nihil agit, neceſſario decumbet, & morbus ſuperabit. ergo morietur, nec euadet: & ita

experientia compertum eſt neminem ſaluari in acutis; imò dicam unum quod præter rationem, & diſcurſum habet experimentum, quando uidebitis in acutis apparere urinam tenuem, tranſparentem, aqueamq́; dicatis, & ita probabitis non euadere, nec poſſe pertranſire ſeptimam: natura deiecta, nihilq́; operante neceſſarium eſt illos mori. In hoc ægroto urina tenuis fuit, aquea, tranſparens, albidaq́;: cum prius eſſet nigra, turbida, & craſſa indicabat naturam pugnare, aggreſſamq; concoctionem materiæ, licet poſtea ſuccumbebat, cum tenuis reddita eſſet urina, nunc nihil agit, ſuccumbit, quando pugnat: licet ſuccumbat ipſa natura, tamen dum pugnat ſemper relinquit aliquam ſpem, agit aliquid contra morbum: ſi non pugnat, nihil molitur, morbus ſæuit, et natura cedit hoſti, totam nobis adimit ſpem de ſalute, & tunc pronuntiabimus, quod certò morietur, ita in propoſito dicendum eſt. Vidiſtis quod primo fuit urina nigra, turbida, craſſa, ſignum quod natura ageret non ſuccumberet, ſed adhuc eſſet in pugna, ut exploſo morbo ſuperſtes remaneret. in quinto die urina reddita eſt tenuis, tranſparensq́;: quoniam natura ſuccubuit, non poterat amplius pugnare, iam ceſſerat pugnæ, in concoctione nihil faciebat. itaque urina remanſit in ultima cruditate. Nam urina fit alba deficiente eo, quod cum aquoſitate permiſtum facit ipſam coloratam, ut quando liquor ſolus remanet ſine aliquo humore, a quo coloretur, tunc coloratur quando permiſcetur liquori humor coloratus, ut bilis, uel melancholia, uel ipſa frigiditas,
quæ

quæ facit in urina liuiditatem: quando ista desierint, urina remanebit aquea, alba, & cruda. in Sileno erat magna inflammatio præsente febre acuta, non potuit reddi nigra, uel liuida a frigiditate. præterea nihil mistum habebat, a quo coloraretur, natura non pugnabat, non agitabat humores, urina ita aquosa fuit nulla facta permistione humoris propter imbecillem uirtutem non bilis, non alterius; eratque omnino sine quacunq; actione uirtutis naturalis. apparuit itaque urina sola tenuis, alba, signumq; summæ cruditatis erat, natura non poterat pugnare, defecit a pugna, & decubuit morbo superstite. præter cruditatem addit uitium in quantitate Hippoc. dicens. PAVCA signum non modo quod uirtus nihil pugnabat, sed & expulsiua erat debilitata, non expellebat, quantum oportebat, & uitium fuit, summaq; imbecilitas in uirtutibus principalibus concoctiua, et expulsiua: quia principalia membra patiebantur. Quocirca uirtus non concoquebat, nec expellebat urinalē aquositatem: exibatque urina tenuis, cruda, alba, aquea, transparens ac pessima: uirtutes defecerant, & longe peior, quàm antea; quando erat nigra, quando turbida, & crassa: quia saltem indicabat uirtutem pugnare, licet pugna esset cum detrimento naturæ, dum pugnabat non succumbebat, quæ nunc omnino defecit. MENTE constitit. Hoc quoque erat malum signum, & quod deterius habebat prudentibus uiris testantibus, ac iudicantibus; non quibuscunque, medici imperiti aliquid sperassent, qui non discurrunt, sed cum uident aliquid mites fere statim

pronuntiant,

pronuntiant, & lætantur. Viri prudentes si hoc uident symptoma discursu, & ratione utentur, & causas symptomatis perquirent, comparabunt res inuicem, & omnia alia considerabunt, & uisis alijs uident nunquid illud fieri poßit a natura, & sciunt distinguere per se factúm ne sit, an per accidens: & ita consulte, & præconside rate, posteà recte, & rationabiliter loquuntur: propterea Aristoteles in primo de generatione, & corruptione de imprudentibus, & indoctis dicit, qui ad pauca respicientes facile enuntiant, non discurrunt, nec omnia considerant, quicquid contigerit dicunt. Docti uiri contemplantur, & comparant res inuicem, inueniunt rerum causas, & cum fundamentis ueritatis loquuntur. ideo parum contingit ipsis errare. Exquo mente constitit, non delirauit, ut antea hoc per se uideretur bonum signum, melius est non delirare, quàm delirare: sed uidebamus urinam, quæ fuit cruda tenuis, & pauca, ut audiuistis, & omnia alia symptomata non debebamus spem statim assumere: alia consideranda sunt: quia & si hoc tantum bonum uideatur, multa alia sunt mala, & desperantia nobis salutem. Exemplo illius debemus esse circunspecti maxime in hac arte. Recitat fabulam de homine, qui capiebat turdos. Erat homo quidam, qui turdos aucupabatur, & plorabat fingens se non posse capere turdos; uenitq; alius homo uidens ipsum plorare credidit nullos cepisse. Turdus locutus est hominem purum circonspectum, quicquid uiderit credidisse, dixitq; non uides? Fingit homo; non oculos plorantes, sed manus inspicias

inſpicias prementes: propterea quòd manibus ille depri-
mebat caput turdorum, & multos cæperat, oculis fin-
gebat ſe non cepiſſe: obiurgauit turdus hominem de im-
prudentia, & inconſideratione. Sic quoque in propoſi-
to intelligatis: licet hoc ſignum aliquam ſpem poſſet af-
ferre, melius eſt mente conſtare, quam delirare; tamen
oportebat omnia uidere, ut urinam crudam, tenuem,
& alia ſymptomata: ac uidiſſemus quid hoc fuit. Dixit
mente conſtitit: quia prius non conſtiterat. Vidiſtis
quemadmodum delirauit in primis diebus, ubi dixit, deli-
rauit, fuit delirium, non phrenitis, non erat apoſtema:
ſi fuiſſet apoſtema in cerebro multò leuiora contigiſſent
ſymptomata, quàm contigerint: erat delirium, & pa-
raphrenitis, non uera phrenitis, quæ eſt cum apoſtema-
te: delirium uero eſt inclinatio ad phrenitidem propter
uapores aſcendentes ad caput. Vnde proxima cauſa de-
lirij ſunt uapores calidi, acresq́; ad cerebrum peruenien
tes. Sicut ab his efficitur, ut proxima cauſa, ita ablatis
aufertur: quia ceſſante proxima cauſa, ut uulgatum eſt,
ceſſat effectus. Cum uapores calidi aſcendebant ad ca-
put, agitabant ſpiritus, & motus, actioneſque animales
corrumpebant, atque delirium faciebant. Cum ceſſaſſent
uapores aſcendere ad caput, ceſſauit delirium: ceſſarunt
autem uapores, quia natura non pugnabat amplius cum
morbo: ex quo non pugnabat, nulla in humoribus erat
agitatio, ſi humores non agitabantur, imò ſpiritus non
agitabantur: quia uapores non poterant aſcendere: aſcen
dunt ſi agitatio fiat. in quinto deſierat pugna, ideo fuit
urina

urina tenuis, & cruda: & hac quoque ratione mente con stitit, cessauit delirium, quoniam uapores non ascendebāt ad cerebrum, qui sunt immediata illius causa. sed non pro pterea id fuit bonum, potius malum, & signum imbecil= litatis uirium, quæ iam deiectæ fuerant, ut nullam pror= sus haberent actionem. Habemus in quinto prostratam uirtutem, uideatis modo alia signa, & symptomata succe dentia erant semper sæuiora. SEXTO CAPVT PARVM sudauit &c. in sexto omnia exitialia contige runt, magis accedebat ad peßimum terminum, debebat ci= tò mori, si non fuisset ita fortis, & uirium tam ualidarum ratione ætatis non modo in septimo mortuus esset, sed in sexto: ex quo audietis tanta contigisse, quemadmodum di= cit Gal. in commento in sexto primum caput parum suda uit. Vbi uolo uos admonere unum à uobis semper obser uandum. Quando accedetis ad uestrum ægrum, qui labo ret febre acuta, sit apud uos hoc perpetuum, si uideritis sudare circa caput, non circa omnes partes corporis scia tis, & dicatis, quod maxime laborat, & angitur in corde, afficitur cor summa affectione. Quoniam cum in corde sit proxima sedes ipsius caloris, affectus cordis erit causa proxima, cur sudet caput, & hoc ostendo primo ex prin cipijs, & rei natura; deinde autoritate: per principia e= go semper docui, nunquàm uolui autoritates multipli= care, ut multi consueuere, nunquàm mihi placuerunt, nec potest adhuc placere modus docendi per autoritates, o= portet prius uos scire unumqnodque per principia: pro= ptereà quòd tunc uerè scimus, quādo causas rei habemus:

infinitas per uos autoritates inuenire poteritis, principia non omnes cognoscetis. Vnum est, quod hoc uerum est, quando sudat caput non omnes partes, sed solum caput, tunc præcipue laborat, & patitur cor principium, et fons caloris. scitis quod in corde generantur spiritus, & calor innatus, qui demandatur ad omnes corporis partes, ut det actum uitæ, & membra operarentur secũdum proprias naturas, ad cerebrum defertur maxima copia spirituum membrum inter cætera nobilissimum propter maximas, plurimas, & dignas operationes, quas habet cerebrum facere, & quæ in ipso fiunt, & ab ipso proficiscuntur propter uirtutes interiores, & exteriores depẽdentes à cerebro, ut principio: primo quidem propter motum à cerebro transmittitur motiua uirtus per uniuersum corpus mediantibus neruis suis instrumẽtis propter sensus tam interiores, quàm exteriores, qui omnes à cerebro proficiscuntur, ut uisum, auditum, & reliquos exteriores: cerebrum est illud, quod imaginatur, memoratur, ratiocinatur, & discurrit, & reliquas omnes facit operationes, quæ fiunt mediantibus spiritibus: propterea multa copia spirituum debebat transmitti ad cerebrum, ut cõmode officia sua posset efficere. Quocirca uidebitis in Anatome multitudinem arteriarum circa cerebrum implicatam, & per totum se diffundentem, quia cerebrum indigebat multis spiritibus, qui per arterias, ut propria instrumenta trasmittuntur per totum corpus, ubi multi spiritus necessarij fuerũt natura, sagax, & prouida multa uasa, & receptacula fabricauit. Cum itaque spiritus trãs

mit-

mittantur ad caput, est maxima consensio per arterias, et uenas inter cerebrum, & cor, quod est principium uitæ: alterum uerò animæ & ut Græci dicunt συμπάθεια; cum unum patiatur, alterum quoque patitur, si cor, cerebrum facile patitur: contra si cerebrum, cor. Cum patitur cor, spiritus, qui ad cerebrum mittuntur, sunt crudi incocti, ducunt in consensum cerebrum, & ita ambo compatiuntur, agitantur in cerebro male affecto per cõsensum, quia cor laborat, non est facta bona concoctio spirituum. ex quo modo afficitur etiam cerebrum, non possunt corrigi, nec attenuari, ut idonei fiant ad animales operationes obeundas, remanent tamquàm uapores, quidam crassi, & magis corpulenti. Vnde diaphoreticè postea exeuntes faciunt sudorem circa caput, apparet sudor circa cutem capitis, hoc euenit, ut uidetis, quoniam anxietas magna est in corde: id ita uidemus esse experientia, quotidie etiam in nobis ipsis possumus hoc deprehendere, quando propter pudorem, uel aliquem alium affectum homo angitur circa cor, apparet sudor circa caput, non propter aliud, nisi propter angustiam ipsius. præterea quando uentriculus patitur ob humorem acrem, malignum inter quem, & cor scitis esse magnum consensum, ut sensu potestis percipere, cor angitur, & uidetur affectus esse ipsius. Quapropter antiqui illi medici affectum oris uentriculi, quasi esset cordis, eo quod angi sentiretur, appellarunt καρδίαν, ut testatur Gal. nostri medici dicunt cardiacam passionem, ἀπὸ τῆς καρδίας quod est cor, quia fit quando est anxietas circa cor, & uidetur esse affectus cordis, cum patia-

tur os uentriculi, per consensum communicetur cordi, & fit propter humores acres, qui faciunt anxietatem, fit etiam tunc sudor circa caput. Hactenus cum rationes, & causas huius symptomatis audieritis, nunc audiatis autoritates, quæ cum rationibus magis persuadebunt. Gal. in secundo Prognosticorum: si sudor circa spatulas, ceruicē, uel collum, & circa caput solum, uel circa frontem apparuerit peßimus est, uel sit calidus, uel frigidus: peior tamē qui frigidus existit: nam si calidus fuerit dicas periculum esse de syncopa, futuram proxime indicat syncopen: sed si fuerit frigidus, dicas non amplius futuram esse, sed adesse cernas syncopen, ita ut sententia Gal. in summa est, quod calidus portendat syncopen, frigidus indicet presentem. Vt hoc intelligamus syncopa quid est? est paßio cordis, deliquium quoddam animæ, cum cor syncopizat. quid est syncopizare? syncopizare est intercidere, quando nō fit ille motus constrictionis, & dilatationis, intercipitur motus: unde periculum est, ne homo moriatur, cum cessarit, & intermiserit systole, atque diastole: syncopa de medio tollit, dicebat ille, cor nō potest dilatari, hinc est, quod illi, qui habent quandam anxietatem, & sentiunt angustiam circa cor. Et bene Gal. dicit, si frigidus indicat præsentem syncopam: si calidus, non præsentem, sed cito fore portendit. Cum hoc ita se habeat, Silenus circa caput sudauit, sed parum: bene dixit parum Hippocr. non frustra hoc dictum est. Ex quo omnia ipsum destituissent, ut audiuistis calor, & uirtus iam defecisset, & succubuisset, sudauit, parum tamen, non multum: quia nihil agebat natu-

ra.

ra. Quoniam Hippoc. hoc habet, ut nunquàm poßit dicere aliquid, quod intelligi queat ex ſuis uerbis, qui breuitatis fuit amator, omittit ſemper ea, quæ uel neceſſario ad dicta conſequuntur, uel ex oppoſito intelliguntur, hic omiſit, quod conſequebatur ſua uerba, ne multiplicaret ſermonem ſine artificio. Non dixit nunquid calidus, uel frigidus fuerit ſudor circa caput Sileni, quoniam unuſquiſque medicus potuiſſet per ſe habere ex his, quæ dicit in textu, quod fuerit frigidus, non calidus, maxime cum uiderit id, quod addidit ſtatim, extrema frigebant, cum ex dictis, & ſequentibus poſſet haberi, noluit addere qualitatem ſudoris, relinquit ſpeculandum, & inquirendum ingenio ueſtro: hæc eſt cauſa cur prætermiſit dicere, quod eſſet frigidus. Ex quo dixerat Hippoc. quod paucus fuit, quia calor defecerat: ſi paucus, ergo frigidus: ſi paucus & frigidus circa caput, ex hoc quod dixit Gal. habemus eſſe in ſyncopa, ſignum eſt ſudor frigidus in fronte, & paucus, erat in anguſtia mortis, natura comprimebatur: quod autem fuerit ſudor frigidus, ſequitur ex hoc, quod dicit. EXTREMITATES algebant in reſpectu, non abſolute dictum eſt, non quacunque frigiditate algebant. LIVESCEBANT. Audiuiſtis in ſuperioribus, quod nigredo & liuiditas extremorum indicat extremam eſſe frigiditatem in illo corpore, ut teſtatur nobis Gal. Nam dicebamus qđ liuor, & nigredo extremorum fit aut propter calorem adurentem, qui craſſefacit ſanguiuem, adurit, & reſoluit florem, & partem tenuiorem, ac humidiorē ſanguinis, remanet craſſa terreſtris, & nigra aduſta, cum poſteà ſan

guis deuenit ad cutem extremorum, facit eiusdem esse coloris, qualis ipse est, qui colorat cutem, & remanet nigredo, uel liuor quidam in extremitatibus. A magnis quoque frigoribus fiunt liuidæ partes non eo modo, quo à calore adurente: sed quia extrahitur pars florida, & humidior sanguinis à magno frigore; sicut calor resoluit humidum & facit exhalare, ita frigus exprimit idem humidum, exprimendo extrahit & spiritus, & humiditatem; quo fit ad ambo eundem sequi effectum: uaria tamen actione hoc condensante, & comprimente: illo rarefaciente & exhalante: ista non sunt mea, est doctrina antiqua. Ari. in quarto meteororum, à quo nō discedo: ab his duabus causis fieri potest nigredo, & liuiditas extremitatum: in hoc uiro non erat iam calor adurens, & ita præpotens, ut posset liuiditatem efficere, erat algor, & frigus exprimens: quia scitis, quod calor defecit, est in extremo, ideo algebant nō qualicunq;, sed maxima frigiditate: secutus est liuor in extremitatibus, hoc est quod copulatim dixit. Extremitates algebant, liuescebant, ut liuor terminaret algorem, & frigiditatem, quæ non poterat propterea esse, nisi maxima. Ne habeatis aliquam difficultatem in mentibus uestris necessario oportet nos remouere contrarietatem, & quandam contradictionem, quæ est inter dicta nostra, & sententiam Gal. & dicta Hippoc. in illo primo prognost. Dicit enim ibi: si digiti, ac pedes omninno nigrescunt, minus pestiferi sunt, quàm si liuescant, cum antea dixisset: si ungues, ac digiti liuescunt, periculum est ne mors continuò sequatur: addit statim: si digiti, ac pedes &c. Hoc est contra=

trarium nostris dictis, quoniam diximus liuorem esse uiam ad nigredinem, & fieri à causa imbecilliori, quàm fiat nigredo. unde quando aliquod corpus liuescit, minus malum est, quàm quando nigrescit: quando liuescunt membra, diximus, quod adhuc remanet aliquis calor, non sunt priuata omnino calore. At quando nigrescunt, ablatum habent calorem, & iam mortua sunt, ut apparet in cadaueribus. summa ergo frigiditas efficit nigredinem, minor liuiditatem: totum oppositum dicit in eo aphor. Hippocr. si pedes sint liuidi magis pestiferi, quàm si nigri, oportet, ut tollamus hanc contradictionem, quæ nulla est. Remouet dubium Galen. in commento dicens, quod bene scripsit Hippocrat. & determinauit dictum suum, non ignorauit, quod quandoque liuiditas peior est, quàm nigredo: quandoque minus mala, oportet totam dictionem considerare, & quæ adijciat: sed alia signa consideranda sunt; si enim facilè ferre malum appareat, & aliquod aliud salubre fuerit signum, morbum uerti significat ad abscessum, ita ut æger sit conualiturus: corporis uero nigredo casura. Dicit modo Gal. quod nigredo propter duo fieri potest, aut quia humor niger defluit ad extremitates, & decumbit ad membra, ut humor melancholicus: uel propter consumptionem factam uel à calido, uel à frigido floris ipsius sanguinis: si primo modo, nigredo est melior, quàm liuor: quoniam nigredo significat humorem, uel materiã deuenientem ad extrema calidum, uel frigidum: at liuiditas indicat extinctionem caloris naturalis, quod peius est, quàm humorem decumbere, & facere abscessum. Quan-

do uero nigredo fit propter calorem,uel frigus absumēs partem humidiorem relicta craßiori aut resoluendo, aut exprimendo,non autem propter humorem defluentem , ita ut fit propter extinctionem caloris absumpto flore sanguinis , tunc peior est , atque longe deterior nigredo, quàm liuor,& mortem indicat esse futuram. Quod ita sit,& hoc cognouerit Hippoc.uideatis, quid dicat Galen.inquiens uerba Hippoc.hoc nobis clarè demonstrare. si fiat nigredo cum humor defluit ad extremitates,& propter decubitum materiæ,quod cognoscetur,si æger melius habuerit,& aliquod aliud salutare signum affuerit melius est,& minus malum,quàm cum liuescunt mēbra propter extinctionem caloris innati,aut propter eandē nigredinem. Est itaque hæc solutio Gale.non sophistica, sed ex natura rei:uidetis quemadmodum in Sileno liuescebant extrema propter frigiditatem,& caloris extnictionem,pessimum symptoma,iamiam moriturus erat. MVLTVM sese iactauit. Debetis scire, quod iactare se est moueri ad uarios locos non posse quiescere,& uertere se de uno latere in aliud latus,de prono in supinum , modo ad pedes non habere quietem:causam reddebat Gal.in primo Prognost. 17.ubi ait Hippoc.in textu:si manus, collum , & crura dispergat inæqualiter,malum est : significat enim inquietationem:in commento Gal.inquit.inquietationem, et iactationem ægri fieri uel propter affectum existentem in uentriculo , propter quod uitium molestatur os stomachi,ut propter humorem acrem corrodentem , & mordicantem,ut alibi declarat Gal.uel propter summam, & ex

tre=

tremam uirium imbecillitatem. Cum hoc ita sit, quando accedetis ad uestrum patientem, uidebitis illum se se iactare inquietum esse, non stare loco; debetis interrogare, & petere, nunquid sentiat aliquid mali circa uentriculum, uel circa cor. dicatis, melius intelligent, non possunt percipere, nec discernere queunt nunquid hoc, uel illud afficiatur, imò neque hoc distinguere potuerunt medici, quemadmodum dicebamus, qui putarunt eundem esse affectum, eodemq; nomine appellarunt: si dicat quod angatur circa cor, & maxime afficitur, tunc dicatis inquietationē fieri propter uitium uentriculi: sed si nihil dicat, uel respōdeat nihil percipere mali, tangatis pulsum, si uideatis, & percipiatis pulsum tardum, paruum, & frequentem, quæ sunt propriæ notæ, & differentiæ imbecillitatis uirium, dicatis uirtutem esse debilitatam, & ita imbecillem esse, ut aggrauetur pondere corporis. Et ideo quando quis ita imbecillis est, iactat se per lectum, non quiescit, mouetur semper, quærit locum, in quo quiescat defessus, cum est in uno latere, non potest ibi quiescere, ad huc grauatur, mouetur ad alium, in illo non permanet, nec in aliquo alio, semper quærit, nunquàm inuenit quietem, quia semper portat secum eandem imbecillitatem uirium: & ita iactare se huc illhuc, nihil aliud est, quàm ferre secum imbecillitatem, uel causam inquietudinis, & molestæ grauitatis. In Sileno inquietudo significabat summam uirium debilitatem, quod extinctus fuerat calor, erat in anxietate ob syncopā præsentem, extrema liuescebant, & algebant ob frigiditatem, paucitatem caloris, & reuocationem ipsius ad cor. AL-

VVS NIHIL excreuit. VRINAE restiterunt. propter eandem imbecillitatem uirtutis, nihil mixit, erat tam pauca uis uirtutis expulsiuæ, ut non posset expellere excrementa, cum uult dicere, quod nihil mixit, inquit: urinæ restrictæ sunt. Vbi notate, quando urina restringitur in acutis febribus, signum est mortis, & quod iam imminet propè mors, id quod sæpius experientia obseruaui: & memini me in quodam collegio fuisse pro quodam ægroto (erat Vincentius Contarenus Venetus) qui in corde affligebatur, & uersabatur in magna anxietate, dum medici loquerentur, & perquirerent quonam morbo laborabat, dicerentq́; mediocriter laborare, ego præsciebã, & prognosticatus eram moriturum esse, interim uenit ad nos mulier quædam, dixitq́; nobis urinam fuisse restrictam, non posse amplius mingere. ego hoc audito confirmatus sum in mea sententia, & instabam, dicebamq́; medicis me nihil posthac facturum, quoniam certißime moriturus esset in mane sequenti: & ita fuit, mortuus est in nocte citius circa horam decimam. Nihil potest esse peius in acutis morbis, quàm ut urina supprimatur; significat extremã esse imbecillitatẽ. Silenus primo habuit multa excrementa alui, & multam urinam, nunc repente restricta sunt omnia, aluus nihil egeßit, & urina suppressa est, erat summa imbecillitas uirtutis, extremè laborabat: unde non poterat mingere. FEBRIS acuta. Febris non remittebat cum his, magis exacerbata fuit, & si excrementa defecissent, tamen acuta febris inuasit. sed uideo, quod aliquis obijcere posset, quomodo erat febris acuta, cùm haberet

tan=

tantum frigus in corpore, ut iam ferè defecisset calor, algebant extrema, dicit Hippoc. erant priuata calore, quomodo ergo potuit incendi febris, & quidem acuta? Notate quod omnes febres sunt commensuratæ penes calorem igneum, et naturalem: quoniam nihil aliud est febris, quàm calor naturalis mutatus ad igneum formaliter, hæc est ipsius ratio formalis. cum itaque in hoc ægro esset inflammatio in corde, calor in toto ambitu paucus ad cor totus retrahebatur. & ideo extremitates algebant priuatæ calore in corde, erat collectus, & maxima inflammatio, quæ percipiebatur circa os ex ariditate linguæ, per anhelitum, & per uapores fuliginosos, interiora multum inflammabãtur: poterat bene esse, quod partes internæ cordi propinquæ essent inflammatæ, & calefactæ, tamen frigus perciperemus in aliis membris, frigebãt extrema, potest esse febris, quia non necessario requiritur, ut si sit febris, omnia incalescere, interiora inflammata, frigent extrema, & exteriora. Cum ergo dicimus, febris est calor igneus, uel naturalis mntatus ad igneum accensus in corde expansus ab eo per uniuersum corpus, non est necessarium, ut inflammatio sit in omnibus partibus corporis, satis est, quod accendatur in corde, potest bene etiam transire ad cæteras partes, nisi aliquid occurrat impedimento, hoc poßibile est, non tamen semper necessarium, quod etiam uidens Auicenna planius explicauit in prima fen quarti cap. primo in definitione febris. ubi dicit quod expansio illa, quæ ponitur in definitione febris, non dicit nisi aptitudinem, non actum, ita ut hoc pacto intelligenda sit,

in-

inquit Auic. definitio febris eſt calor igneus accenſus in corde expanſus per uniuerſum corpus &c. ideſt, aptus eſt, cum eſt accenſus in corde, ut deinde expandatur in totum corpus, niſi aliquid impediat, non quod actu debeat extendi, & quod actu extendatur, habet aptitudinem: quandoque impedimentum eſt aliquod, propter quod minime expandi poteſt, ut in febribus leipyrijs, in quibus interiora calent, exteriora frigent, non eſt in his expanſus calor igneus in uniuerſum corpus, ſi exteriora frigida ſunt, ut etiam eſt in peſtilentibus, in quibus extrema frigent, eſt tamen ſumma in interioribus inflammatio. Quapropter expanſio, non eſt niſi aptitudo expanſionis caloris febrilis per totum corpus non actualis expanſio: & ita poſſunt bene extrema frigere, cum calor in corde inflammatus ſit, erat febris acuta, non eſt abſurdum.

SEPTIMO OBMVTVIT, *extremæ partes etc.* Audiuiſtis quid in ſexta contigiſſet in Sileno, ceſſauerunt actiones illæ duæ naturalis, & animalis propter ceſſatio tionem uirtutum interiorum, & ſenſitiuarum, quod ceſſaſſet uitalis, non docet, tamen & ipſa debebat eſſe diminuta, & debilitata, cum ſit principalis, & fundamentnm, à quo dependent aliæ, propterea non ſtatim deiecta fuit, ſi defeciſſet, non potuiſſet uiuere, & non ſolum duraret uſque ad xi. uerum mortuus eſſet in ſexto, non dixit in ſexto aliquid de uitali, quia in ipſo non erat motus naturæ certus, ſed in ſeptimo die critico, in quo criſis certa fit: criſes enim uel mutationes ſiue bonæ, ſiue malæ ſunt certæ, quæ

fiunt

fiũt in his diebus criticis 4.7.11.14. quæ in reliquis die bus incertæ iuxta sententiam Hippoc. si bonæ terminantur ad salutem, si malæ ad mortem, uel ad difficultatem: diximus in aliis diebus superioribus non criticis defecisse uirtutes, nunc in septima critica multa mala, & peßima congerunt: omnes facultates apparuerunt ablatæ, & nullæ in hoc homine, ferè mortuus est, & medici, qui eum uidebant, debebant forsitã putare, quod esset mortuus, nescio quid magis poterat accedere, remansit tanquàm cadauer, & credite hoc mihi, quod mortuus esset, nisi inuentus restitisset. septimo obmutuit, remansit sine uoce deficiente uirtute uitali. Textus græcus habet ἄφωνος γέγονε hoc est, fuit sine uoce: unde ἀφωνίαι obmutescentia, quæ, ut declaratur à Galen. in primo Prorrhethicorum, commento 23. ἀφωνίαι cum singultu peßimæ, & 24. quæ cum exolutione fiunt ἀφωνίαι ualde malæ &c. sed potius bene aduertatis unum, quod quando dicimus, obmutuit, debetis recte, & ad bonum sensum intelligere: nolumus dicere, quod fuit sine sermone, non loquebatur, ut dicuntur muti, quia non possunt sermonem exprimere, sed intelligimus magis uniuersaliter, quod fuit sine uoce, nullam emittebat uocem, quia quandoque contingit, ut aliquis nõ loquatur, tamen emittat uocem, obstrepat uocem, ullulet, & conqueratur, propterea melius fuit uertere ἄφωνος, idest, fuit sine uoce, non dicere obmutuit, cum & de sermone intelligatur. Quandoque Hippoc. dicit ἄλογος γέγονε, quando uult dicere, quod fuit sine uerbis sine oratione: cõmunius enim est ἄφωνος, quàm ἄλογος: sicut φώνη, quàm λόγος, om=

omnis λόγος est φόνη, non contra, est aliqua uox, quæ nō est oratio, ut uox brutorum, ita de his compositis dicendum omnis ἄλογος est ἄφονος, non omnis, qui est ἄφονος, est ἄλογος: sunt quæ amittunt uocem, cum sermonem non edant, bene ablata uoce aufertur sermo, potest sermonem quis non habere uoce remanente. aliud est ergo ἄφονος, idest, sine uoce, & maius, quàm ἄλογος sine sermone: iste obmutuit, quia non modo amisit sermonem, uerum etiam uocem. ἀφονία autem quemadmodum dicit Gal. in eo 23. commento primi Prorrhethi. circa principium, & ferè in fine 24. commenti fit propter duas causas uel propter uitium existens in cerebro, & principis facultatis animalis, quæ continetur in cerebro principio omnium neruorum, & à quo procedit uirtus motiua: uel propter læsionem instrumentorum uoci deseruiētium, neruorum, quia sciuistis alibi, quod uox fit per motum musculorum in pectore, respirationi quoque deseruientium. Itaque ad formandam uocem requiritur motus uoluntarius, qui quidem testante Gal. fit per musculos, & neruos, quotiescunque læduntur, amittitur uox; uel quandoque, quoniam offenduntur alia facientia ad edendam uocem, ut resonantia, quæ ad sonum conferunt, & hoc modo possunt amittere uocem tympana læsis his organis, quæ sonum efficiunt. Vel igitur uitium est in principio facultatis motricis in cerebro, uel in instrumentis uoci deseruientibus motū efficientibus, uel ad sonum concurrentibus: si uitium fuerit in cerebro, id potest esse dupliciter uel quoniam uirtus animalis in cerebro est diminuta, & ita diminuta, ut

non poßit exercere ſuas operationes, nec motum edere: uel & ſi ſtet uirtus, non ſit diminuta, aut ablata, aufertur uox uitio in cerebro exiſtente propter craßitiem, & frigiditatem ſpirituum, uel immobilitatem. Nam in cerebro, & in quibusq; alijs membris, quemadmodum toties admonuit uos Gal. in libris de cauſis ſymptomatum caliditas corrumpit operationes, frigiditas diminuit immodica, & intenſa aufert. Amißio uocis ratione cerebri eſt uel propter frigiditatem magnam in cerebro, & ſpiritibus ipſius, uel propter uirtutem animalem offenſam, & diſſolutam: ita ut ſunt duæ cauſæ ἀφονἰ. Et hæc eſt ſumma diuiſio, uel uitio cerebri principij neruorum, & facultatis animalis, uel affectis inſtrumentis ipſius uocis: ſi propter affectum cerebri, aut propter facultatem diminutam, uel ablatam & omnino debilitatam, aut propter aliquid accedens ad cerebrum, ut malam intemperiem qualitatum, quæ eſt uel cum affluxu, uel ſine affluxu, ideſt, uel cum materia, uel ſine materia. Silenus obmutuit, amiſit uocem: quodnam ergo fuit horum uitiorum, quo amiſit uocem? Non poteſt eſſe ob uitium inſtrumentorum, quid ſi tantum inſtrumenta uocis fuiſſent offenſa, reliquæ actiones remanſiſſent immunes, & illæſæ, non eſſent mutatæ, ſed quia affectus erat in cerebro, amiſerat omnes operationes animales non ſolum uocem: fuit factus comatoſus, & perdidit omnes actiones, nihil imaginabatur, non erat cogitatio. ergo uitium fuit cōmune in cerebro, ex quo affectæ ſunt actiones ipſius: dicit quod comatodis euaſit, & obmutuit, non niſi propter materiam craſſam in cerebro contentam

frigi-

frigidam; materia calida biliosa euaporauerat, permansit materia frigida crassa, quæ ita constituta in cerebro effecit dispositionem comatosam, subet, ut dicunt isti, & inclinationem ad somnum dicũt recentiores: hoc enim est propriè coma, quod quidem fit propter materiam multam crassam in cerebro, ut audietis: propterea etiam uocem amisit, uel quoniam erat facultas principalis, idest, animalis motiua debilitata, ut iam mouere non posset: propter causam quoq; cerebri, cerebrum patiebatur, & hoc dupliciter tum propter intemperiem frigidam in cerebro impressam, tum propter humores frigidos crassos congregatos in cerebro, ut etiam testatur in commento Gal. Ergo habetis, quod obmutuit, amisit uocem, & causas cur obmutuerit, quæ maximæ sunt, & symptoma determinatũ: reliquum nihil erat, nisi ut moreretur. Videtis quàm parum abest, quin sit mortuus nunc, quia principium omnium actionum, & facultatum non operabatur amplius aliquid, destitutum erat. EXTREMAE partes amplius redierunt ad calorem. Refrigeratæ sunt partes extremæ, ut non possent incalescere: in sexto frigescebant, & liuescebant, in septimo modò permanserunt frigidæ, non redibant ad calorem, sicut in sexto, fuit ferè mortuus, laborauit in extremo uitæ, & permansit tanquàm cadauer: ex quo non incalescebat amplius, ita frigidus remanebat, ut mortuus. NIHIL minxit, si quasi mortuus est, quomodo poterat mingere, ista omnia sunt posita, ut uideretis q̃ proximus fuerit morti. Audiatis quid successerit. OCTAVO frigidus toto corpore sudor &c. Notate admirandum

dum motum naturæ: in ſeptimo quaſi mortuus iacuit, ut audiuiſtis ex ſymptomatibus, quæ illi contigerunt: at modo in octauo remiſerunt omnia, & uidetur iterum reuiuiſcere, reſurrexit. Namq; ſudauit per totum corpus, emiſſæ ſunt puſtulæ ad cutem, multam minxit urinam, quæ omnia ſtatim attuliſſent ſpem ignauis, & minime circunſpectis medicis, qui cum uidiſſent redire talia ſymptomata pauca conſiderantes credidiſſent primo aſpectu, quod natura aliquid feciſſet, & quod materiam ſuperaſſet, dixiſſentq; ſe habere ſpem ſalutis futuræ. periti medici qui cum ratione procedunt, non mouentur, niſi ualidiſsimis rationibus, nihil ſperaſſent, omnia ſpreuiſſent, imò magis pertinuiſſent, tantum ab eſt, ut ſpem de ſalute caperent: licet etiam ualidus, & potens conatus naturæ, tamen nihil boni in ſe habuit. Nam cum iſte eſſet ſanguineus in tēperatura, iuuenis 20. annorum, fortis, & ualidus, eſſetq; prima die critica moriturus, & inſtaret mors: uirtus collecta eſt in unum, & cum uideret ſe iam eſſe deiectam, metaphoricè loquor, bene ſcio quod natura non cognoſcit, nec intelligit, nec uidet, incognite agit, liceat mihi nunc uti metaphora, ut melius intelligatis meum conceptum, cū inquam uirtus uideret ferè mortuum, nihil deeſt, niſi ut exhalet anima; deſpexit, & quærebat, ut iuuaret ſe omnino: quid fecit? ultimum edidit conatum, quem poterat, quaſi excitata, ne moreretur uidens ſe continue mori, hoc uidemus manifeſtè quotidie in morituris omnibus; quando quis proxime moriturus eſt, multa agit, comedit cum antea nollet comedere, uellet ſe iuuare ſentiens continue de-

ficere uirtutem, facit ultimum, quem potest, conatum: deinde moritur, ut contingit lichnio in lucerna, quando est paucum oleum, paulatim remittitur lumen, & igniculus, postea facit magnum conatum, & reddit maiusculum lumen, statimq; extinguitur: ita fit in his, qui morituri sunt. Quod fuerit ultimus conatus uirtutis laborantis, uideatis, quoniam non agebat hoc regulariter operans, motus iste fuit in octauo, cum debuisset esse in septimo, quia malus, & symptomaticus factus est à natura in octauo, motus autem in diebus paribus non fiunt regulariter, neque nobis aliquam afferunt spem, sed semper mali sunt, quia natura in diebus paribus nihil facit ordinarie, nihil mouet secundum ordinem naturæ, si qui fiunt fœlices motus, illi omnes fiunt in imparibus: hoc alias longius demonstrauimus, & demonstrat quoque Gal. rationem afferens ex motu Lunæ, qui fit in cœlo, sed omittamus hoc, dicemus aliquando, si dabitur occasio. Erat itaque conatus naturæ in octauo ultimus malus, & symptomaticus, qui debuit esse in septimo, si fuisset in septimo, mansisset aliqua spes de salute, sed omnia deteriora fuerunt in die octauo: nam et si apparebat motus, tamen signa non erant bona, erant omnia signa certiora mortis, sudauit per totum sudore frigido, & cum sudore maculæ. PAPVLAE CVM sudore. Vna cum sudore in toto apparente emanarunt pustulæ ἐξανθήματα: maculæ, si modo istorũ uolumus loqui. Notate motum hunc materiæ, & exitum pustularum non fuisse motum naturæ, quoniam natura quando mouet, & expellit superfluitates, primò separat,

habetis à Gal. in prima Aph. particula, in eo Aphor. con cocta medicari &c. secundo concoquit, ultimò expellit, quod superfluum, & excrementosum existit. concocta uerò esse excrementa, & separata esse cognoscimus, quando apparuerint signa concoctionis. Materiæ istæ, quæ in Sileno uisæ sunt exijsse, non erant concoctæ, quia non apparuerunt signa aliqua concoctionis, nondum separatæ, quia natura, quod separat ante concoctionem separat, & cum separauit bonum à malo, utile ab inutili, statim concoxit, ante coctionem, quæ nulla fuit, neque etiam separatio uisa est. Quare motus, & expulsio huius materiæ à natura non est factus: primo natura separat, & concoquit, deinde quod inutile est, reijcit, & expellit. Quod autem natura nondum separasset istas materias, manifestum est ex hoc, quod dicit sudorem emanasse una cum pustulis. Papulæ cum sudore. Sudor, & exanthemata sunt disparia, non eandem habent, neque similem materiam: sudor est materia tenuis, serosa, & subtilis: unde facile potest per totum corpus diffundi, & per quoscunque meatus etiam minimos, quales sunt cutis emanare: materia, quæ erat contenta in pustulis, exanthematibus erat solida crassa, non aquea, uel tenuis, ut sudor, & erant cum rubedine, duræ, permanentes ex materia crassa. Quapropter expellebat natura simul materiam crassam, & tenuem, non nisi, quia nondum separauerat utranque à seipsa, inæqualiter mouebit expellendo crassam, & tenuem commistam. At natura æqualiter, & ordinate procedit, & operatur in quacunque actione naturali. inæqualitas er-

go motus per contrarium, & operatio inordinata signũ est, quod materia non concoquitur, ne separata est, est ad huc commista, æquale per contrarium significat concoctã esse materiam, non tamen semper. Dicebamus aliàs æquale in excrementis posse esse, & significare aut summum bonum, aut summum malum: sicut id, quod secundum naturam est, quanto magis æquale fuerit, tanto melius existit, ita ut malum est, & præter naturam eo deterius, quo æqualius. hæc non est mea doctrina, sed antiqua. Scitis quid dicant Hippoc. & Galen. de hypostasi in urina, quid debeat habere, si naturalis & bona sit, dicunt debere esse albam, læuem, & æqualem, ita factam esse coctionem inquiunt indicari. Scitis quid de egestionibus bonis, quod & ipsæ debent esse æquales. quid de sputo in secundo, de ratione uictus in morbis acutis, quod inter alia debet esse æquale sputum bonum, & naturale, semper illud æquale adijcitur in omnibus naturalibus excrementis: in pure quoque idem contingere uidetis; si concoctum, & bonum sit, æquale esse oportet, quemadmodum dicunt medici pus album, læue, æquale, & tandem omnia excrementa, quando æqualia fuerint, tum concoctionem esse factam à natura significant: & hæc conditio optima est, quando concoctio est perfecta. in Sileno inæqualis exiuit materia, sudor tenuis, & pustulæ, quarum materia crassa. ideo Hippoc. ut ostenderet non fuisse motum bonum naturæ, non omisit ostendere inæqualitatem materiæ. Notetis quid dicat: in octauo cum sudore simul emisit pustulas copulatiuè, & coniunctiuè, non disiunctiuè dixit, ut denotaret,

quod

quod materia erat mala, non cocta, & expulsio non secundum ordinem naturæ. fuerũt igitur cum sudore pustulæ, malum indicium, cum essent etiam aliàs signa peßima, quæ indicarent cruditatem materiæ, artificiosè tamen denotauit his uerbis, quod in octauo fuit inæqualitas materiæ expulsæ ad exteriora manifestata. Sed bene examinemus hunc punctum prius, deinde ad alia singula deueniemus. Notate, uolo examinare textum. Audiuistis, quod octauo sudor frigidus per totum emanauit: diximus superius sudorem frigidum peßimum esse duplici ratione, & uiatum per uiam causæ, tum per uiam signi: per uiam quidẽ causæ, quoniam refrigeratæ sunt partes exteriores cutem pertingentes, quia sudor frigidus ex loco frigido emanat, & exit. Nam, ut dicit Galen. sudor frigidus non potest à corpore humano, nisi partes à quibus excernitur, sint frigidæ, tales possunt esse partes cutaneæ. Dicit Aristot. quod frigidus sudor peßimus est, quia calorem significat debilitatum, & ferè extinctum, & causa mala est, idest, mala & peßima materia, ut accidit in febribus pestilentibus, ita per uiam causæ malus est: per uiam signi, ex eo quod exteriores partes cutaneæ sunt frigidæ, peßima est illa ægritudo, & deterrima, in qua exteriora frigent, interiora calent, ut pestilentialis. PAPVLAE cũ sudore. Notate. Non immorabor multum in expositione huius, admonebo bene uos, quod Hippoc. dixit hic, græce ἐξανθήματα. Quod enim dicunt isti, qui latine loquuntur in Auicenna pustulas esse quædam apostemata parua pituitosa, debebat interpres potius nomen græcum relinquere,

quàm dare occasionem errandi, debebat dicere exanthemata cum sudore, quoniam ἐξανθήματα est commune, & generale uocabulum apud græcos pro omni efflorescentia, & pro eo, quod extra cutem apparet, ita dicamus, indigebunt etiam ipsi nomine proprio, modo translato, metaphoricè loquuntur, sicut oportet nos loqui, licet sint tã copiosi lingua, & uocabulis, non potuerunt tamen rectũ inuenire uocabulum, efflorescentiæ apud nos communi uocabulo appellabuntur, quæcunque efflorescunt circa cutem, quæcunque sint illa apostemata. At pustulæ sunt quidem exanthemata, quæ fiunt ex putrida pituita, præter quas sunt multa alia exanthemata, ἐξανθήματα est tanquàm genus, quod de omnibus illis prædicatur. Notabitis sæpius, & obseruare poteritis apud Hippocrat. & Gal. Epidemijs, qui ἐξανθήματα uniuersaliter omnia cutanea appellarunt, non designatam aliquam speciem determinantes. Ex quo colligatis fœdißimum errorem Manardi, qui parum intellexit, uel nihil in his græcis autoribus, licet esset doctus in lingua, ita ut potius uideatur fuisse medicus uocabulorum, & nominum in medicina, non rerum; fuit ἰατρολόγος. Dixit Manardus ἐξανθήματα proprie esse, quas nos uariolas, & Arabes cum nouis morbillos appellant. Et ita ipse, dum loquitur de exanthematibus, facit sermonem de uariolis, idemq; putat Græcos intelligere: manifestissimum erratum, quod facile deprehenditur in hoc textu: tangatis locum, non oportet somniare. Hippoc. dicit græce ἐξανθήματα cum sudore erant exanthemata in Sileno, tamen non erant uariolæ, uel

mor-

morbilli, sed peßimæ efflorescentiæ circa cutem, non est dubitandum in hoc, clarißime dixit Hippocr. quòd erant exanthemata, & quoniam erat nomen generale ad omnes efflorescentias, ut intelligeremus, de quibus exanthematibus loqueretur, distinxit Hippocr. Non solum apparuerunt exanthemata, sed et cuius materiæ essent, declarauit, et cuius naturæ erant. Declarat seipsum exemplo, & per alia accidentia: primo dicit figuram, & colorem. RVBENTES, rotundæ, paruæ, uerißimiles permanebãt, nec abscessum efficiebant dic t cuius figuræ, deinde dat exemplum, & inquit quod papulæ erant rotundæ, exanthemata figuræ rotundæ malignæ, non magna, sed parua: quia uos scitis, quod exanthematum, quædam sunt magna, quædam parua, ita bubo est exanthema magnum circa cutem efflorescens, licet non sit pustula, uel uariola. male igitur & interpres, qui traducit (papulæ, male & Manardus, qui idem existimauit esse ἐξανθήματα, & uariolã. Exanthemata ista erant rubentia, rotunda & maligna parua non magna, & quasi uariolæ. VARIS similes: iste interpretatur uarum id, quod apud Græcos dicitur ἴον, uel ἴονθος: ἴονθοις apud Græcos sunt quædam eminentiæ duræ paruæ, quæ maxime circa frontem, & totam faciem contingunt, intelligent me Itali uulgari lingua, quid sint, præcipue tamen notum erit apud Lombardos, qui solent appellare uulgo (cosi) fiunt in his iuuenibus, qui lanuginem emittunt præcipuè, & in his, qui sunt temperatura sanguinei, & parum indulgent Veneri, multiq; ad me uenerunt aliquando, & ueniunt, qui consulunt me de his

exanthematibus, quia deturpant faciem, parum tamen offendunt, fiunt sæpißime in iuuenibus, & adolescentibus, & prouectis ætate rarißimè. ἴονθος ergo est quædam pustula, & exanthema, quod est nomen generale, meliusq; propterea dicemus esse exanthema contingens præcipue in iuuenibus circa faciem, solida, dura, in acutum tendens. Varus apud Latinos aliud est, quàm ἴονθος, est apostema, & efflorescentia, quam uariolam, & morbillum dicimus, enascitur cum febre acuta, & pestilenti. Quando dixit similes uaris, bene intelligatis, quid uelit significare cum accidentia posuisset, notauit modo, quod erant tanquam ἴονθοι græce, non uari, non erant tamen ἴονθοι, si similes ἰονθοις, ut significaret substantiam solidam, & duram ad modum eorum ἰονθῶν, qui dicuntur (cosi) fiunt ex pituita commista cum sanguine ad cutem perueniens, & attollẽs in tumorem, ut sint efflorescentiæ, sed paruæ, cum natura non esset ualida ad expellendum multam materiam. Erãt rotunda, quoniam erat materia æqualis mista pituitosa, et sanguinea humida non concocta in aliqua parte, penitus destituta ope, & actione naturæ, humiditas nullam faciebat asperitatem, propterea residens in exanthematibus faciebat figuram rotundam, quod esset sanguinea multa materia, audiuistis, & pituitosa: unde quoniam communẽ habent qualitatem, ita tamen rotunda erat figura exanthematum, ut in oblongum acumen protenderetur, sicut sunt (cosi) propter causam dictam, quia ex sanguinea calida, & pituitosa frigida commista est, primo singula recitabimus, deinde examinabimus omnia seorsum. PER-

MA-

MANEBANT, *nec abſceſſum efficiebant.* Notate qđ iſti interpretes non intelligunt, quid intelligat per id, qđ dixit permanebant, interpres intellexit, quod cum eſſent rotundæ, & duræ ſolidæ, malignæ non faciebant abſceſſum, non faciebant tumorem, uel apoſtema: ſi hoc intelligeret Hippoc. falſum eſſet: ex quo erant exanthemata, neceſſariò in tumorem eleuabantur: ſed ſi modo etiam intellibat, quod eſſent permanentes, non faciebant abſceſſum, nõ tendebant ad exituram, & ſuppurationem, materia non ſuppurabatur. Eſſet hoc uanum, ſi intelligeret eo modo Hippocr. quomodo debuit fieri ſuppuratio in tam pauco ſpatio, erat cito moriturus, & iam mors imminebat, non eſt dignum Hippoc. Neque hoc dicit Hippoc. abſit, optime conſiderat, deinde profert. Dicit Hippo. permanebãt, non abſcedebant, non oportet uertere, non faciebant abſceſſum, deciperemur, putaremus, quod non tendebant ad ſuppurationem, id quod unuſquiſque etiam fatuus ſciret dicere. Vult dicere poſtquàm exierunt, permanebant in cute fixæ, non abſcondebant ſe, erant intra cutem, & ſic hoc intelligatis, permanebant: quemadmodum quandoque uultis curare, quas uulgo petechias dicunt, quando exeũt, & efforeſcunt, ſed non permanent, ſtatim cum exierint retrocedũt, et retrahuntur intra cutim, non poteſtis curare. Videtis quotidie in febribus peſtilentibus euenire, exeunt, & apparent, non permanent petechiæ, uel punctură pulicum, apoſtemata paruula, & cutaneæ eminentiæ, abeunt, & abſcondunt ſe materia ad interiora retrocedente. Vnde iſte uir totum contrarium uertit. Non faciebant

abſceſſum, & ſi permanebant, noluit hoc uanum: perma= nebant, & non abſcondebant ſe, non retrocedebant. Dixit autem recte, permanebant, & non retrocedebant, ad differentiam illorum exanthematum, efflorationumq́;, quæ exeunt, & ſtatim abeunt, non permanent, retrahun tur. Non dicatis, ergo quomodo dicit interpres: non abſce debant, uel abſceſſum non efficiebant: quoniam hoc pro= prie dicitur apud græcos ἄποστημα: non dicit ἀποστή= ματα, ut ad ſuppurationem, uel ad abſceſſum, ut dicit iſte, uerterentur: ſed dicit, quod non retrocedebant, fixæ hære bant cuti, abſceſſus ἄποστημα eſt ſuppuratio; longe dif fert à ſenſu Hippoc. quia quædam exanthemata ſunt, quæ retrocedunt, quædam non dixit, permanebant, non retro cedebant ad differentiam eorum, quæ retrocedunt. Audi= uiſtis naturam harum puſtularum, quæ quidem exeuntes indicabant naturam expellere materiam ad exteriora, & ipſius conatum oſtendebant: ex quo puſtulæ materiæ re= pletæ apparuerunt, uolebat omnino ſe adiuuare. Et debe tis notare, quod hoc contingit in peſtilentibus maxime no ſtra ætate: alio uero tempore nunquàm in debitis, quod in febribus peſtilentibus fuerint, non ſicut puſtulæ ſolidæ duræ, ſed tanquàm puncturæ pulicum ſine tumore, nun= quàm reperietis fuiſſe apud antiquos: ſi percurretis, & diligenter conſiderabitis omnes conſtitutiones epidemi= cas conſcriptas ab Hippoc. bene inuenietis, quod quando= que exierunt puſtulæ ſolidæ duræ: ſed iſtas nunquàm ui= debitis, eſtq́; nouum ſymptoma ad nos delatum, perpetuo in febribus peſtilentibus ferè, præcipue in conſtitutioni=

bus epidemicis uidentur non eminere, ſunt ſine omni emi nentia noſtra ætate, & ſigna in cute tantum, ac ſi pulices pupugiſſent cutem, & ut ſunt cicatrices, quæ remanent poſt latas puſtulas, uulgò uariolas dictas ſine tumore, ideo à nobis inde nomen acquiſiuerunt; dicuntur punctu ræ pulicum, uel cimicum, uel culicum. Ergo uidendæ ſunt cauſæ huius noui ſymptomatis, iſtorum ſignorum, cum nunquàm uiſæ fuerint apud antiquos, apud ipſos aliter apparuerint. Actius (qui nihil eſt, quoniam ab alijs ſcri pſit, eſt recitator, accepitq; à Ruffo antiquiſſimo medi co, qui fuit ante Gal.) dicit quod in peſtilētibus apparebāt papulæ, & puſtulæ, quædā duræ ſolidæ, nunc uidentur ut puncturæ pulicum, quod eſt ualde memorabile apud no ſtra tempora, multa etiā eueniebant ætate priorum, quæ ante non fuerant. Vndenam euenit? Debetis ſcire, quod ægritudines epidemicæ habent cauſam uniuerſalem, ſicut ſunt communes, ita fiunt ab uniuerſali cauſa propriæ, et particulares à particulari, quemadmodum ſcribit Galen. primo epid. in principio, cauſa uniuerſalis maxime eſt aer. Ab aere ergo fiunt epidemiæ, quem appellabat Hip poc. diuinum, ut interpretatur Gale. primo Prognoſt. in principio libri, ubi facit longam commentationem in fine ferè optime ſecundum propriam ſententiam exponit Hip poc. qui dixerat in textu. (Et ſiquid in morbis diuinum habetur, illius quoque ediſcere prouidentiam oportet) Ga len. dicit, diuinum intellexit naturam, & conditionem am bientis nos aeris, qui eſt cauſa multarum ægritudinum, ut ſcribit Hippoc. tum in epidemijs, tum in aphoriſmis.

Ex

Ex mutatione & alteratione ipsius aeris fiunt uaria, & admiranda: aer mutatur, & alteratur secundum uarios influxus cœlestes, corpora cœlestia semper imprimunt aliquas qualitates in ipsum aerem inferiorem, continue mouetur, & mutat locum, facit uarias impreßiones. sicut ergo uariæ partes ipsorum respiciunt aerem, uariaturq́; motus syderum, uariatur aer non semper eadem pars cœli eodem modo ad nos conuersa est, neque semper eodem modo influit, nec imprimit suas influxiones in aere, quoniam si eodem modo respiceret nos cœlum, semper eadē esset ætas, idem tempus, eadem accidentia permanerent, cum aer comparauerit impreßiones cœlorum impregnatus uaria imprimit in hæc inferiora contenta, & incorpora humana. Vnde fiunt uariæ ægritudines eædem genere uniuersales uarijs ætatibus, uarijsq́; temporibus: quemadmodum dicit Plinius de mentagris, & lichenis: tempore Plinij cæperunt uagari ægritudines dictæ mentagræ, λειχῆνας, ut dicit ipse, quæ incipiebant in mento, corrodebant totum mentum, & faciem, deinde collum, & pectus occupabant, deturpabant totam faciem ex corrosione, quia tamen à mento cæperunt mentagræ, nomen retinuerunt, quæ ægritudo longè peior, & turpior, q̃ nunc morbus Neapolitanus, siue Hispanicus, siue Gallicus habebatur, nunc lichenes non uagantur, nec antea uagabantur, sed ex influxu cœlesti in ambiemtem aerem nouæ ægritudines eo tempore infestabant homines. Scimus quod ab anno xc. natiuitatis D. nostri Iesu Christi incepit grassari morbus, qui à nostris uulgo Gallicus appellatur

tur, ante inauditum, & ignoratum fuit, quid esset morbus gallicus, est nouus morbus nostra ætate infestans humana corpora, habetq; sæuißima, & turpißima symptomata; multi moriũtur, cuius causa communis necessario existit. Vnde? non nisi propter influxum cœlestem ex uario aspectu corporũ, & motu syderum, qui in aere impressus est, aere impregnato corpora alterantur, & cum se contangunt, recipiunt morbum hispanicum: ita potest esse de his maculis, quæ coniungũtur cum febribus pestilentibus. Memini quando eram puer, quòd uagabantur febres pestilentes in quadam constitutione epidemica, eratq; sine maculis istis, in nullo apparebant maculæ, loco tamen macularum erant alia, quæ noua symptomata non amplius uisa hominibus accidebant, materia maligna, & acuta rapiebatur ad caput, & multa mala efficiebat, aut moriebãtur, & fiebant phrenetici, si non moriebantur, fiebant quasi fatui, furibundi, & permanebant sic per multum tẽpus, tanquam futuri, non memorabantur, & pili cadebãt, stolidi efficiebantur, maximeq; circa caput offendebantur: & appellabant parentes nostri ante hanc ætatem, qđ nos phrenetidem nunc malam, & maximam, uulgò mal de mazucco, pili cadebant à capite, materia ita mala caput repebat, & faciebat morbum istum, qui ita inuadebat, ut non modo coniungeretur febribus pestilentibus, uerum etiam sine pestilentibus infestabat, cum materia afflueret ad caput, & faceret phrenitidem, uel stultum hominem nullius memorem. Et memini ego, quando eram puer de quodam puero, qui apud me habitabat, qui hoc morbo per

man-

mansit totus stolidus, immemor etiam proprij nominis. Nunc uerò in pestilentibus apparent maculæ circa cutem, quod tunc erat morbus Italicè dictus mal de mazzuco. Eadem est febris pestilens maligna, quæ tunc erat, sed alia accidentia noua acquisiuit, non propter nouam materiam, sed propter influxus, qui nunquàm fuerunt tales, quales nunc sunt. ideo non est inconueniens censere, mal de mazzucco, materiã, quæ eo tempore circa caput affectum, uel symptoma efficiebat, nunc facere circa cutem ex uaria aeris immutatione, sicut & tempore Hippoc. apparebant aliæ pustulæ ab his maculis, aliæ alijs ætatibus. Tempore Hippoc. maculæ, & pustulæ apparebant solidæ duræ, sicut apparebant mala ulcera κακοήθη, quæ erodebant testiculos, & multi alij affectus, qui non ita contingebant tempore Galeni, nec apud posteriores. Eadem ratione euenit, quod nunc in pestilentibus appareant maculæ circa cutem, sine tumore; huius rationem, & causam aliam dare nõ possumus, quàm ex influxu cœlesti, uarioq; aspectu corporum diuinorum, qui apud patres nostros, et antiquiores non erat, alterãdo aerem mediate, alterat corpora humana nouo accidente. Proposuit iam particularem naturam exanthematum, qualia essent; ita enim accidebant in pestilentibus, ut apud nos maculæ. ALVI irritationes paruæ: iste, qui interpretatus est, errat, nec intelligit Hippoc. certe Cruserius non fuit medicus, dicit textus græcolatinus, alui irritationes paruæ. Non uult dicere, quod paruæ essent deiectiones, sed ipse dicit, & uult dicere, quod reddebantur egestiones cum pauco sensu, &

paruo irritamento, ita ut quando reddebat stercora, non multum sentiebat: pro quo debetis scire, quod quando uolumus egerere, antequàm egeramus, præcedit quædam uoluntas egerendi, appetitus est, & sensus, q̄d intestina uellent omnino deijcere. in Sileno paucus sensus, & ferè nullus, intestina paucum irritamentum, uel sensum habebant antè quàm deijceret. Vnde dicit, si sensum ipsius assequi uolumus, exibant egestiones alui cum pauco irritamento, non autem separare, & ponere in recto, irritationes alui paruæ, ut intelligamus, quod egestiones quæ irritabant intestina, parum irritabant, longe diuinius, & longe melius dicit ipse in græco, & rectè si eo modo, quo uertimur, intelligatur, ut cum dixerit, quod sine irritamento, & cum pauco sensu irritationis egerebat, statim addat Hippocr. STERCORA tenuia, ueluti cruda multa cum labore reddebantur. Melius est, ut omnia coniungamus, & dicamus, quod stercora exibant cum pauco irritamento, quæ erant tenuia, non separare, sicut iste fecit, ac diuersa dicere. Dicit tenuia, qualia sunt cruda: non dicit græcus codex, ut iste uertit οἷον, sed οἷα: οἷον enim est ueluti, quomodo uertit interpres: at οἷα qualia, qui dicit οἷον dat exemplū: qui uerò dicit οἷα similitudinem affert: aßimilabantur crudis excrementis. Nam qui egerunt cruda, egerunt tenuia, & qui tenuia etiam cruda, ut uidebamus superius. ut ergo sciamus, quomodo essent tenuia, quia non erant tenuia propter cruditatem: dedit, attulitq; similitudinē, et dixit quod erant tenuia, ac si fuissent cruda, & similitudine crudorum. Reddebantur tenuia ob rationem superius datā,

quia

quia colliquabantur omnes partes corporis, ex colliquatione humidi tenuia fiebant excrementa, non propter cruditatem, sed similia his, quæ cruda fiunt. MVLTA cum labore reddebantur. Melius dicit ipse, multa reddebantur cum dolore, non cum labore, quoniam ut alias annotaui uobis πόνος apud Hippocr. significat dolorem, non laborem, in textu, cum dicit cum labore, intelligatis cum dolore. Est dolor in egestione istorum excrementorum, quia materiæ erant adustæ, acres pungebant exeundo musculos ani, & ita percipiebatur dolor in egerendo. VRINAM reddebat cum dolore mordacem. Vrina quoque erat acris propter eandem, quæ erat in egestionibus, adustionem materiæ. ideo mordicando dolorem efficiebat in pene. ALIQVANTVLVM resumebat caloris. Reassumpsit in eodem die aliquid caloris, hoc signum est magis certum, quod fuit ultimus conatus naturæ in octauo, & sic sudauit, papulæ, exanthemata apparuerunt circa cutem, & calor circa extrema redibat, quæ prius algebãt, aliquantulum tamen, non multum, parum poterat in fœlix natura, ultimum suum uoluit facere conatum, ut facit flamma, quando se multum expandit proxima extinctioni. SOMNI tenues, & quasi sopores per tenues intellexit breues non profundos, qui facile excitantur, & ad uigilias redeunt: nõ erat somnus, sed potius quædam impotentia uigilandi, sicut solent habere, qui sunt in extrema debilitate, non possunt uigilare, tamen non dormiunt uerè, & medium est quoddam inter somnum, & uigiliam. ideo dicit somnos tenues, & quasi sopores, non dormiebat,

bat, sed erat comatodis, non erant ueri somni, erat sopor & κῶμα, quemadmodum dicit Gal. Et per hoc, quod dixit quod inclinabat ad somnum cum sopore, & subet significat, quod esset comatosus, & qui uersati sunt circa particularia, & in actu practico, quotidie uident, quod multi nõ dormiunt, sed nõ possunt excitari, & remanẽt soporati, subetici, non est somnus, neque uigilia, sed sopor, non possunt uigilare, uidentur dormire propter magnam frigiditatem primi sensitorij. itaque sopor, & subet est somnus præter naturam, qui fit propter materiam frigidam existentem in cerebro non uerus somnus, qui fit ab humectatione cerebri. Vnde bene dicit Gal. frigiditas, & humiditas sunt duæ causæ somni præter naturam, & soporis: humiditas uerò somni naturalis, sicut frigiditas principaliter efficit soporem, ita humiditas principaliter in cerebro moderata facit somnum secundum naturam. quando papauer secundum Galenum inducit soporem κῶμα, quia frigidum est, & siccum: somnus autem naturalis fit ab humiditate: hoc modo intelligit Gal. quando dicit papauer esse somniferum, quia inducit soporem: si liberalius sumatur, adhuc ulterius facit aliquid in cerebro præter naturam, & soporem profundiorem.

VRINAM *reddebat cum dolore mordacem, aliquantulum resumebat caloris, scitis quod urina erat mordax, acris propter humores adustos, & admistam bilem, acrẽ, & mordacem, quam expellebat natura simul cum urina. ideo uirtus uisa est excitata, & sensus excitari; dolebat in*

expulsione, quia sentiebat acrimoniam: ex quo fuit excitatus. Aliquantulum resumebat caloris. cauete ab interprete hoc loco, quoniam deprehenditur errore manifesto: nā cum textus græcus dicit ἄκρων. iste interpres legit ἄκριτων, uel ἄκριτον, quod est merum, quasi Hippoc. dixisset, quod Silenus reddidisset urinam meram, & mordacē, non uult hoc dicere, sed inquit græce, οὖρον ἀκρῶν, si diceret ἄκριτων, male diceret. Caueatis ergo ab interpretatione Cruserij, non dicit Hippoc. fuisse meram urinam, quia fuisset multum biliosa. ex quo audimus mordacem cū dolore exijsse, non potuit esse multum biliosa cum sopore, qui statim fuit, ut audietis, & signum est, quod esset multum biliosa, si fuisset mera, quia superius idem dixerat de egestionibus. Errauitq; duplici errore in hac sua interpretatione: primo addidit, quod non erat addendum urinæ, quod mera esset, & impermixta accipiens ἄκριτων pro ἄκρων, ἄκρος extremum significat, ἄκρα extrema: secundo errauit, quia non posuit, quod erat addendum sequentibus, cum dixisset refrigeratas fuisse extremitates, nunc modo ait calefactas. Hæc est consuetudo Hippocrat. quando uult dicere ægrum refrigeratum, uel calefactum inquit extremitates uel frigere, uel calere: interpres non potuit exprimere, quod uult dicere Hippoc. Quare coniungatis illud ἄκρα consequentibus, & seiungatis à præcedentibus illud, meram sic urinam reddebat cum dolore mordacem, ibi sit coma. deinde addatis: extrema aliquantulum resumebant caloris, partes extremæ, quæ prius algebant, nunc redierunt ad calorem, id quod dicit meram, non po-

ponatis, deleatis, quia textus græcus fideliſsimus non habet, poſt punctum, quod inquit Hippocr. ἄκρα, uos dicatis, extrema, & ita prima ſententia non erit falſa, nec ſecunda diminuta. Hoc quantum ad textum. SOMNI tenues, & quaſi ſopores. Nunc modo eſt ſecunda pars diei: illa fuit prima pars, in qua apparuerunt ſigna pugnæ cum morbo, & conatus ipſius uirtutis, licet fuerit fruſtra. Nunc indicant naturam ceſſaſſe, & quod nulla ſit pugna, dicit primo, quod erant ſomni, qui non fuiſſent pugnante natura. Et notate quod non dicit Hippocr. ſomnos tenues, & quaſi ſopores, ut idem ſit, diſgregat, quoniam ſomnus diſtinguitur à ſopore, ſunt diuerſæ paſsiones. Dicit, erant ſomni tenues commiſti cum ſopore, & non dicere, quaſi ſopores, non dixit ſeorſum, licet ſint diuerſæ paſſiones, poſſunt tamen commiſceri. itaque ſomni tenues erant ſimul cum ſopore. Circa hoc, ut recte intelligamus hanc affectionem, uolo facere breuem diſcurſum; uellemq; declarare totum textum. poſtquàm deſperatum eſt de ſalute Sileni, debetis ſcire, quod ſunt nonnullæ ægritudines, & quædam ſymptomata, quæ ſolent afficere cerebrum, & ſunt propriæ ipſius affectiones, quæ etſi eſſentialiter ſint inter ſe diſtinctæ, magnam tamen habent affinitatem, & præter naturam cum ſint, fiunt omnes à cõmuni cauſa frigiditate: & harum quidem prima eſt ſomnus; ſomnus fit à refrigeratione primi ſenſorij, ut eſt cõmunis ſententia tum apud philoſophos, tum apud medicos: quamuis apud omnes unum, & idem non ſit primum ſenſorium: diſſentiunt philoſophi à medicis. Ariſtoteles

cum cæteris Peripateticis existimauit esse cor. Gale. una cum medicis cerebrum. Nos cum simus nunc medici, dicamus primum sensorium esse cerebrum, principium omnium sensuum, & operationum animalium: conueniunt tamen omnes in conclusione, dissentientes in principijs. Fit ergo somnus propter refrigerationem prioris sensorij, quod est cerebrum apud medicos, post somnum succedit ulterius sopor, quem affectum Græci κῶμα dicunt, Arabes & qui sequuntur eorum doctrinam, subet. Nostri uerò soporem nominarunt: deinde si ulterius procedimus fit καταφορα, & ista καταφορα apud nostros Latinos dicitur delatio in somnum, uel inclinatio in somnum, uel inclinatio in somnum, marcor: appellatur ab Arabibus subet sara, nonnunquàm apud Græcos dicitur ἀγρυπνοκῶμα, ut sciatis intelligere Galenum, & non non confundamini in nominibus, idem est καταφορα & ἀγρυπνοκῶμα, est medium inter uigiliam, & soporem: est medium inter somnum, & soporem, ut melius loquar, delatio in soporem nondum est sopor. Erraui, cũ dixi primo esse κῶμα, replicemus, & contra dicamus rectè: primo est somnus à uigilia digrediendo, deinde est καταφορα, quæ à nostris dicitur delatio in soporem, & principium soporis minus est, quàm sopor, quandoque à Græcis dicitur ἀγρυπνοκῶμα, ab Arabibus, maxime ab Auicenna subetsara, minor est, quàm subet simpliciter, ut potestis uidere apud ipsum: tertio occurrit in ordine κῶμα, qui est affectus in cerebro, ubi sensus, & motus amittitur: sic dicebamus κῶμα appellari subet absolutè apud

Ara-

Arabas:apud nostros soporem. Nunc recte procedimus, & occurrit quarto lethargus, qui se habet ad κῶμα, ut phrenitis ad paraphrenitin, & apoplexia ad paraplexiã: quinto succedit catocha; κατοχὴ, quæ dicitur apud uulgũ medicorum congelatio; qui uerò laborant, congelati ab ipsis appellantur, à Græcis κατοχοὶ: nostri detentos, affectum detentionem nominarunt: sexto est melancholia: unde qui patiuntur, dicuntur uulgò melancholici: septimo est epilepsia: octauo apoplexia: nos breuiter discurremus, et dicemus de singulis horum affectuum, ut habeatis aliquam introductionem, dabimus eorum essentias mira breuitate, non ut omnia docere uelimus, sed ut inquam habeatis aliquam instructionem inter autores, inter quos, maxime inter recentiores, est maxima confusio propter affinitatem affectuum, ut cum de uno loquuntur, uideantur loqui de alio: modo uno nomine uocant, modo alio, ut distinctè saltem ipsos intelligatis, dabitis ueniam me digredi, confusi admodum sunt in his uocabulis, dico maxime de medicis, qui sunt nostro tempore. Quantum ad somnum, ipse est paßio à natura instituta, & est refrigeratio primi sensorij cerebri non excedens, ita ut calor refrigeratur, & patitur à refrigeratione, à qua contemperatur, quoniam cõtemperatur, dicimus quod refrigeratur: illud dicimus refrigerari, exempli gratia, quando membrum est multum inflammatum propter aliquam materiam calidam, uel aliam causam calefacientem, applicamus refrigerantia, & dicimus quod uelimus illud refrigerare, quia uolumus remittere inflammationem factam à calore, & calorem in-

tensum, non ut refrigeretur simpliciter, sed intensio ipsius remittatur, & ut reducatur ad suum temperamentum respectu caloris intensi: hæc est refrigeratio apud medicos, non interstinctio caloris, ut posset aliquis ignarus imaginari, ita in somno fit refrigeratio primi sensorij, idest, cõtemperatio caloris innati intensi: quandoquidem calor propter motus factos in uigilia, exercitia, & labores, curas, & cogitationes inflammatur, intenditurq́; ita, ut periculum sit, ne pereat, & resoluatur, natura sagax, & prouida omnium rerum inuenit somnum, qui succedens uigilias, refrigeraret aliquo pacto calorem intensum, ut reficeretur, & contemperaretur, ac permaneret: quæ quidem refrigeratio, si uerum fateri uolumus, potius fit ab humido, quàm à frigida: licet ad hoc quoque frigiditas concurrat, principalior est humiditas. Quemadmodum enim siccitatis propriũ est acuere caliditatem, imò est propria lima caloris dicunt philosophi: ita humiditas obtundit frigiditatem, & refrenat calorem: frigiditas uerò extinguit, & contrà agit, ut ipsum perdat. Vnde optime dicebat Aristoteles, quod humiditas non potest stare cum intensa caliditate, quo fundamento motus Auerroes conatus est destruere temperaturam inæqualem ex humiditate, & caliditate, quia humiditas obtundit calorem, sed hoc etiã Galenus concedit, quod humiditas poßit facere refrigerationem, & adueniens caliditati obtundat eius acrimoniam: quomodo causatur somnus à blanda, & remissa obtusione, ac remißione caloris, ita dicunt philosophi; neq; Gale. contradicit, imo dicit, quod somnus, & uigilia si modum ex-

excesserint utrunque malum ex sententia Hippoc. in Aphorismo.4.part. 2.ubi etiam quærit nunquid somnus, et uigilia cum sint affectus naturales, sint boni, uel mali, sunt à natura instituti, hoc certum est. Dicit cum sunt mediocres somni, sunt boni, idest, quãdo parui: at si fiat propter refrigerationem magnam caloris, tunc dicit Gal. quod est præter naturam, imò utrunq; præter naturam si fuerint à causa magna, si fuerit refrigeratio magna cerebri, est somnus præter naturam, & malus: sed non est amplius somnus, incipit esse sopor, qui est præternaturalis, & declarat hoc bene Gal. qui nunquàm sine ratione loquitur, cognoscit bene, & ipse differentiam inter somnum uerum, & soporem. Ideo bene distinguens dicit, quod nunquàm est malus somnus, ut exponebant antiquiores, loquens de somno naturali, qui fit à moderata frigiditate, idest, contemperatione caloris innati ab humiditate in suis limitibus est bonus. Si modo somnus excedat modum, extra limites somni, intelligit de somno illo profundo, & quia iam fit à frigiditate positiuè, & principaliter, est malus. At iste cum habeat profunditatem, & difficilem excitationem non amplius est intra limites somni, & est sopor; somnus, qui est naturalis, & uerus somnus, de quo loquimur, ille est refrigeratio caloris innati, idest, contemperatio in primo sensorio ab humiditate facta, & hoc modo somnus nunquàm ma lus est, fit à causa naturali, ita intelligit Gal. & ita intellexit Arist. non est dissensio, alias ostendimus, & concordauimus omnia, nunc omittamus. Succedit refrigeratio cerebri, quæ cum intẽsior redditur,

fit ſopor, & prius diſponitur ad ſoporem, fit κατάφορα, incipiunt ſomni eſſe grauiores, & difficilẽ experrectionem habere, deſinit eſſe ſomnus, & ſopor incipit, ita ut facile poſtea fiat ſopor, ſi non prouideatur, eſt media affectio inter utrunque, ſomnum & ſoporem, recedit à ſomno, tendit in ſoporem: unde dicitur delatio in ſoporem, incipit eſſe ſomnus grauis, et malus præter naturã, quando eſt refrigeratio propter contemperamentum caloris naturalis intenſioris facti, fit conatus naturalis. fit autem hæc refrigeratio ordinata, & moderata caloris, & contemperatio ab humectatione cerebri, ab humore moderato in cerebro, qui refrenat caliditatem, & conſequitur frigiditas, cauſa tamen humiditas exiſtit. Sed κατάφορα cum fit, non eſt amplius humor ille benignus, mitis tanquàm ros contemperans calorem naturalem, fit à fortiori refrigeratione, ut dicit in illo tertio commento ſecundæ particulæ Aph. Gal. eſt humor frigidus, qui refrigerat frigiditate poſitiua, quia ponit frigiditatem poſitiuam in cerebro primo ſenſorio, & in ſenſibus, non contẽperat, ſed inducit frigiditatem, ita ut cerebrum, & ſpiritus in cerebro animales refrigerantur actu, & poſitiuè, refrigerati cum ſint inſtrumentum proximum animæ, non poſſunt efficere ſenſum, nec motum. Ideo ſenſus, & motus obtunduntur, & uidentur amiſsi, conſequenter difficile excitantur, non eſt amplius ſomnus uerus naturalis, qui fit à refrigeratione priuatiua ex remiſsione caloris facta ab humiditate, ſed delatio ad ſoporem, ſomnus grauis, quando non poteſt ſentire in ſenſibus exterioribus,

bus, nec facile excitari à somno, appellatur κατάφορα, ut dixi: causa eius est materia frigida pituitosa, quæ tamen non sit in intenso gradu frigida, refrigeret quidem non ita, ut habeat symptomata sæuißima, quæ fieri solent ab intensa frigiditate: ista est κατάφορα simplex. Composita est de qua Gal. in primo Prorrhethicorum, fit quando cum pituitosa materia commiscetur bilis, ideo dicit, qđ fit à bile cum pituita, & quod habeat uigilias mistas cum somno, ut duæ causæ contrariæ, ita duo effectus contrarij, quæ proprie dicitur κατάφορα magna, græce ἀγρυπνοκῶμα, quasi dicas uigilias cum sopore, ἀγρυπνία uigilia, κῶμα sopor: uidentur dormire, non dormiũt propter acrimoniam, & caliditatem bilis. Simplex uerò illa κατάφορα fit propter pituitam ipsam frigidam refrigerantem primum sensitiuum, & hæc habet tantum somnũ, delatio est in soporem, quasi principium soporis, & præparatio, grauior somnus. Succedit modo κῶμα sopor, soporantur homines, ut neque moueantur, sunt pigri ita, ut non moueantur ad sensum, & motum. Nam istud est rationi consentiens, quod amittant motum, & sensum, non sentiant, nec moueantur. in comate, uel subet ita refrigerãtur sensus, & cerebrum, quod est principiũ omnium sensuum, ut non amplius sit aptum ad exercendum operationes animæ, quomodo potest esse? Si somnus, qui fit ab humore miti non frigido ligat sensus, & cerebrum, ut non operaretur extrinsecus. Vnde dictus est uinculum sensuum, quomodo non ligabit κῶμα, sopor, qui fit ab humore frigido, crasso, refrigerante positiua frigiditate

*cerebrum, & spiritus. Et propterea qui cadunt in sopo-
rem non sine ratione priuantur motu, & sensibus exte-
rioribus, isti non excitantur, amittunt sensus interiores,
& torpent, & hic est sopor; somnus uerò aliud est, ex-
citantur, qui dormiunt, facile: in somno quamuis ligentur,
ut non poßint exerceri sensus exteriores, remanent inte
riores, qui non amittuntur: imaginatio, discursus, & me-
moria, cuius signum sunt insomnia, in quibus discurri-
mus, & imaginamur, memoramur, incolumes manent isti
sensus. in cnmate perduntur interiores, & exteriores u-
nà cum motu, quod fœlicius intelligetis, si uideritis Gale.
in libris de causis symptomatum, ubi habet id à me toties
repetitum non frustra, quod frigiditas est illa, quæ aufert
operationes, & diminuit; caliditas, quæ corrumpit, sem-
per lædit: frigiditas, si parua sit non admodum intensa, di-
minuit operationes, maxima, & intensißima abolet. Hinc
habent medici, quod diminutæ actiones frigiditatem non
intensam, ablatæ maximam ostendunt. Et ita habetis hæc
tria symptomata, & causas eorum primo somnum natu
ralem, secundo καταφορὰν & ἀγρυπνοκῶμα, tertio κῶ-
μα, soporem, uel subet, quomodocunque appellaueritis, in
quo amittuntur omnes actiones animales, & prouenit
propter affluxum materiæ frigidæ in substantiam cere-
bri, quemadmodum optime declarabat Galen. in secundo
Prorrhethicorum commento aph. lv. capite dolentes cum
catocha &c. dicit Hippoc. circa dimidium commenti Gal.
dabat differentiam inter coma, & catocham, ne aliquis de
ceptus idem esse existimaret. Coma fit à nimia refrigera-
tione*

tione cerebri, sed cum affluxu materiæ, ita ut affluit ad cerebrum humor frigidus, & humidus ligans omnes sensus, & ipsum sensorium. Vnde qui patiuntur coma, habent oculos clausos dormientibus similes, non possunt eleuare oculos, lucidas & subalbidas habent palpedras propter pituitosum humorem existentem in cerebro, qui replet oculos, atque palpebras, imbuit cerebrum, ut non possit sensus exercere. At catoche fit à mera frigiditate: siquidem cum humore non sit coniuncta, ut in comate, frigiditas intensa sine humiditate refrigerat cerebrum, & congelare uidetur, ut sensus non exerceantur, intuentur, & habent oculos apertos conniuentes, quoniam non est ab humore frigido existente in substantia cerebri, quò possint repleti oculi, & præ grauitate teneantur clausi, sicut in comate contingit. tota itaque differentia stat in hoc, qđ coma fit ab humore frigido, humido, catocha à simplici qualitate sine materia; ex quo habemus causam comatis, quam inquirebamus. Succedit immediate lethargus post coma, qui se habet ad coma, uel melius coma se habet ad lethargum, ut paraphrenitis ad phrenitidem. Sed phrenitis est calidum apostema cerebri; ex quo sequi delirium, furorem, & insaniam certum est, propterea quòd inest materia calida, & caliditas corrumpit, ut dictum est, actiones: opposita frigiditas facit oppositum, remouet, atq; diminuit. paraphrenitis est medium symptoma, non habet remotas operationes, nec omnino corruptas, corruptas tamen propter humorem calidum in cerebro: sed differũt paraphrenitis, & phrenitis, quia & si paraphrenitis habeat

beat uapores calidos aſcendentes ad cerebrum , caliditatē æſtuationemq́; in cerebro, tamen non eſt cum apoſtemate cerebri, habet delirium aliquod. Vnde poſſumus dicere, quod paraphrenitis eſt quoddam procemium , quædam uia ad ueram phrenitidem; in utroque feruor eſt, utrunq; ab eadem cauſa cauſatur materia, inquam calida, & ſymptomata eadem: quamuis in paraphrenitide remiſsiora , in uno eſt apoſtema, in altero materia calida ſine apoſtemate, niſi prouideatur, tranſit facillime in phrenitidem. Eodem præciſe modo eſt coma, & lethargus: coma cum habeat ſenſus, & actiones abolitas, eſt quidem cum materia frigida in cerebro, ſed nondum fit apoſtema: cum iam factũ eſt apoſtema cerebri à materia frigida, dicitur lethargus, qui nihil aliud eſt, niſi apoſtema frigidum cerebri. Coma eſt ſine apoſtemate cerebri, cum eadem materia frigida pituitoſa in cerebro, & eſt tanquàm proœmium ad lethargum, ut niſi prouideatur facilè tranſeat ad lethargũ; per compendium hæc dicta ſint, nolo me extendere . Latius, forſan alias dicemus de omnibus his, ſi dabitur occaſio. Habetis hactenus quatuor affectiones frigidas, ſomnũ καταφορὰν, κῶμα & lethargum λήθαργον à Græcis, eſtq́; catocha κατοχὴ, quæ & ipſa eſt propter refrigerationem cerebri. quod eſt primum ſenſorium: ubi amittuntur ſenſus, & motus: ſed differt à prioribus affectibus, ut dicit Galen. in eodem lv. commento ſecundi Prorrhethicorum, quoniam κατοχὴ fit à frigiditate ſine materia congelante cerebrum. Et ibi narrat hiſtoriam de quodam diſcipulo, qui cum haberet animum ad ſtudium, multum

ex-

exercitabatur in adipiſcendis diſciplinis, aßiduè ſe fatigabat in ſtudio, dicebat, & comedebat in ſuo cubiculo pro alimento cruda, frigida, non cocta fortaſſe, ut ſolent facere multi etiam nunc propter paupertatem: contigit ex hac uictus ratione, ut fuerit reſolutus calor, & ſpiritus, refrigeratum corpus eſt exiccatum, factus eſt catochus, permanebat oculis apertis, fixis, & continentibus, ut uideretur aſpicere homines circumuerſantes, nihil tantum loqueretur, tanquàm ſtatua rigidus, & extenſus iacebat, non mouebatur, uix poſtea, ut dicit Galen. fuit curatus. Catochee eſt refrigeratio cerebri, ut coma, in hoc omnes conueniunt, differunt, quia catocha fit à frigiditate ſine materia iuncta ſiccitati facta propter reſolutionem caloris, & corporis exiccationem. Vnde uidetur cerebrum congelari, & totum corpus rigidum: & congelati dicti ſunt κατοχοί, κατοχὴ congelatio, Auicenna ita appellauit ſatis accommodato uocabulo, & facit caput in tertio libro de congelatione, uidentur rigidi, ac ſi congelati eſſent, tenent oculos apertos, tenſos, ſoporati & comatoſi ſemiclauſos, non uere clauſos: ſicq; poteſtis cognoſcere, qui habeant coma, & qui catocham per hoc ſignum: in catochis aperti ſunt oculi, & tenſi propter ſiccitatem, non eſt humor, qui aggrauans palpebras cogat deprimi. Habetis quinque affectiones hactenus cerebri propter ipſius refrigerationem, & cauſas diuerſitatis, ſomnum, ab humiditate mediocri, cataphoram ſoporem propter refrigerationem cerebri cum humore, ut dicebamus, ſed ſine apoſtemate, lethargum cum apoſtemate, ultimò catocham à frigiditate cum

ſic-

ſiccitate ſine materia. Reliquæ ſunt melancholia, epile-pſia, & apoplexia: iſtæ tres affectiones conueniunt cum alijs, quia & ipſæ fiunt propter refrigerationem primi ſenſorij. Et notate, loquor de melancholia ſine furore, nõ de furore, qui aliud eſt. Melancholia uera eſt refrigeratio primi ſenſorij cerebri ſine diſcurſu, non habent diſcurſum, qui patiuntur melancholiam, non memorantur, non loquuntur tanta, ut faciunt furibundi melancholici, maniaci, & dæmoniaci, ut dicunt iſti uulgares, quæ ſpecies melancholiæ fit ab aduſta melancholia, et ab aduſta bile, ab atra bile, non dicimus de his, in quibus aduritur ſanguis, uel alius humor à maximo feruore caloris, de illis dicimus, de quibus loquuntur Gal. & Hippocr. qui fiunt melancholici à melancholia naturali, quam proprie appellamus humorem melancholicum, non ſunt ita fatui, nec ita diſcurrunt, ut maniaci. Eſt refrigeratio proueniens à melancholia naturali illa frigida in primo ſenſorio: illa melancholia eſt furibunda ob aduſtionem humorum, & feruorem caloris, hæc propter abundantiam humoris melancholici, ut eſt diſtinctus contra alios tres humores, qui quoties occupat ſubſtantiam cerebri, facit affectum, de quo loquimur ex refrigeratione cerebri. Iſti non diſcurrunt, timent, quoniam timor eſt effectus frigiditatis, cum retrahuntur ſpiritus ad ſuum principium, ſicut gaudium fit à caliditate, quando dilatantur ſpiritus & expanduntur ad exteriora, melãcholici habent ſemper ſecum frigiditatem in ſubſtantia cerebri, ideo ſemper timẽt, imò, ut dicit Auicenna, timor eſt inſeparabile ſignum à melancholia, ſem

per melancholici timent, ne aliquis ipſos occidat, ne incidant in latrones, ne lupus comedat ipſos, ne domus cadat, & ruat ſuper eos: & ita hoc habet commune cum comate, & alijs paßionibus, quod eſt refrigeratio primi ſenſorij, ſed iſta refrigeratio eſt propter humorem melancholicum naturalem frigidum, qui occupat ſubſtantiam cerebri: coma fit ab humore quidem frigido: & humido. ideo differunt ratione humorum, qui uarij occupant principiū omnium ſenſuum, & uaria faciunt ſymptomata: in comate quidem cum peccet humor frigidus, & humidus ligat ſenſus exteriores, & interiores, & maxime obtundit operatioues animales, euadunt pigri ad motum, & ad quā cunque actionem. Melancholici habent alia ab his ſymptomata, quamuis melancholia ſit frigida, ſicut eſt pituita, tamen non aufert operationes animæ, quia melancholia eſt frigida, & ſicca: ſiccitas acuit frigiditatem, & quamlibet operationem, ſicut humiditas obtundit. melancholici bene ſentiunt, & poſſunt etiam diſcurrere: qui uerò ſunt comatoſi propter humorem frigidum, humidum, pituitoſum nō diſcurrunt, humiditas maxime lædit potentiam diſcurſiuam: cuius ſei ſignum eſt illud, quod illi, qui habent temperaturam cerebri humidam, male diſcurrunt, quales ſunt, qui capita habent craſſa, humida, ac ſi eſſent plena butyro, iſti nunquàm diſcunt, ſunt pigerrimi in omnibus operationibus animæ; ita appellabat meus præceptor Peretus. Qui habent capita ſicca minime redundantia humore ſuperfluo, ſunt ſapientißimi, & bene diſcurrunt, & iudicant de re propoſita, quemadmodum dicebat Democritus,

tus, qui ita proferebat: spiritus siccißimi, anima sapientissimi, alludens ad hoc, quod qui habent temperaturam siccam cerebri, optime discunt. Quapropter melancholici non habent omnino ablatum discursum: ex quo redundat humor frigidus, & siccus, nec impeditas habent animæ operationes. in comate torpent, & pigri sunt in omnibus sensibus, non discurrunt propter humorem frigidum, humidum, pituitosum obtundentem uirtutes animales, & tēperaturā cerebri, ne poßint facultates edere suos motus Hactenus habetis, quæ sit similitudo, & quæ differentia huius cum alijs affectionibus. Accedunt postea epilepsia, & apoplexia: primo epilepsia habet hoc commune cum alijs, quod est refrigeratio primi sensorij: differt ab omnibus illis, quoniam omnes aliæ iam dictæ paßiones habent materiam in substantia cerebri, & sunt affectiones in cō plexione cerebri: epilepsia sola habet hoc diuersum, quod est ægritudo composita, idest, in compositione, non in com plexione, quando oppilantur cauitates in capite, est uitiū in cauitatibus ab oppilatione uentriculorum cerebri, & fit ab eadem materia, à qua prouenit coma, frigida humida, & pituitosa, quæ cum esset in substantia cerebri faciebat coma, nunc oppilans uentriculos cerebri efficit epilepsiam. Nam licet Auicenna determinauerit epilepsiam posse fieri ab omnibus humoribus, non tantum à pituita, & hoc quandoque uisus sit dicere Galen. tamen sciatis, ne erretis cum alijs, quod uera, & simplex epilepsia fit ab humore pituitoso, humido, crasso obstruente uentriculos cerebri: inuenietis quidem Galenum dicere, quod epilepsia

fit à ſanguine, & ab alijs humoribus, non tamen inuenietis unquàm ita loqui, quod epilepſia fiat ſine pituitoſa materia, & hoc non eſt contra nos, nec contra doctrinam Galen. quandoquidem dicitur tantum fieri à ſanguine, uel ab aliquo alio humore, quia cum pituita commiſcetur ſanguis, uel melancholia, exempli gratia, ſed non eſt neceſſarium, quod ſemper non ſit pituita, & illa quidem dominetur. Ex ſuppoſitione dixit Gal. epilepſiam fieri à ſanguine, ſupponendo hoc, quod pituita ſit, cum qua concurrens ſanguis efficit epilepſiam: & ab humore commiſto dicitur fieri, non quod uere fiat, cum non ſit uera, & immediata ipſius cauſa: immediata cauſa eſt pituita, ſi pituita nõ adeſt nunquàm fit epilepſia, & eſt illa ſola, quæ facit ueram epilepſiam. Vnde & Gal. ubicunque loquitur de epilepſia, appellat ipſam, & communerat inter morbos pituitoſos: alij humores ſunt illius cauſæ quandoque, hoc ex ſuppoſitione contingit. Conuenit ergo epilepſia cum comate, & alijs frigidis in hoc communi, quod fit à frigiditate cerebri, & quidem ab humore frigido pituitoſo: ſed differt ratione loci. Conuenit etiam cum melancholia quoad humorem frigidum, & quoad genus ſuum, ſed non quoad ſpeciem: quoniam epilepſia fit à pituita frigida humida: melancholia dependet à melancholia naturali frigida, & ſicca. Differunt etiam quoad genus proximum: epilepſia eſt in compoſitione morbus: melancholia uerò in corpore, & in complexione cerebri. ideo bene dicebat, licet obſcure Hipp. epilepſiam eſſe in corpore, quod epilepſia occupat corpus, melancholia animam, ualde obſcurè, & ænigmati

cè dixit hoc Hip. epilepsia enim occupat corpus, & orgã num animæ, quia est in cõpositione ægritudo facta ab oppilatione uentriculorum cerebri, ab oppilatione organi. Sed melancholia est in anima, idest, est in complexione, quam medici animam esse dicunt: locutus est clarè, et apertè, & uerißimè secundum suum dogma. Dogma Hippo. est, ut cum dicimus melancholia est in mente, intelligatur est in complexione, putauit animam esse complexionem corporis animati, & mentem non differre à complexione, ideo mentem appellauit complexionem, instrumentũ uerò corpus: & ita per hoc ænigma uoluit significare nobis ueritatem, quod epilepsia est ægritudo instrumentalis, melancholia uerò complexionalis, uolens animam esse cõplexionem, ut declarauit alibi. idem uoluit quoque Galen. in suo libello, quod animi mores sequantur temperaturã corporis, licet in alijs compluribus locis in dubio posuerit, nec se determinauerit ad alteram partem, imò semper cum conditione locutus sit, dicens se non audere dicere hoc, quod dicendum est secundum dogma Hip. animam esse idem cum complexione, tamen ibi tractat hoc dubium ex professo, & per totum libellum examinat, ualidißimisq; rationibus persuadens concludit animam non esse aliquid aliud, quàm complexionem, & temperaturam corporis, propterea mirum uideri non debet, si animi mores uarientur secundum uarietatem temperaturæ corporis: imò quod plus est, postquàm id demonstrauit, quod uolebat concludere, conatur trahere in consensum quoq; Aristot. ut dicat siue uelit, siue nolit ita sentire, Aris. nobiscũ:

cogitur tamen idem dicere ex suis principijs, & dogmatibus, ad quæ necessariò sequitur animam esse temperaturam corporis animati. Quare habetis, quod epilepsia est refrigeratio primi sensorij ex oppilatione corporis, idest, uentriculorum cerebri, qui sunt, ut instrumentum animæ. Est ultimo apoplexia, quæ differt ab epilepsia tantũ secundum magis, & minus: apoplexia quidem est oppilatio uentriculorum cerebri maior, quàm epilepsia. Epilepsia est oppilatio uentriculorum non integra, ut spiritus non poßint transire ad faciendos sensus, & motus ordinatos, transeunt tamen aliqui spiritus: unde isti mouentur, & concutiuntur motu inuoluntario, quia cum uentriculi ita obstruantur, natura conatur expellere materiam, in hoc conatu contrahũtur nerui uersus suum principium, deinde & musculi, in quibus inseruntur, & ita fit motus contractionis præter naturam inuoluntarius, non concurrente uoluntate epileptici, fit motus maxime circa musculos oris, qui contrahuntur præcipue ad cerebrum illi proximiores, apparet spuma circa os facta ex ualidissimo motu, & maxima agitatione naturæ. Apoplexia est magna epilepsia, & fit quando omnino uentriculi ipsius cerebri fuerint repleti, & oppilati, manent homines sine sensu, & motu quolibet. Ex quo spiritus animales sunt in cerebro, & uentriculis cerebri, qui exeuntes ad circunferentiam corporis edunt sensum, & motum; obstructis uentriculis non possunt amplius exire. ideo apoplectici priuantur sensu, & motu quouis, ne minimi quidem spiritus possunt pertransire integre obstructis uentriculis,

meritoq; diximus, quod est magna epilepsia, quia in epilepsia non perfectè obturantur, in apoplexia perfectè obstruuntur. Differt à comate apoplexia, in comate non est obstructio, ut in apoplexia, si pungitis comatosum non sentit, uel difficulter quidem sentit, tamen spirat, quia exit aliquo modo spiritus, & facit motum respirationis, non intelligit, nec memoratur, ut in somno potest esse: in apoplexia uerò non sentiunt, priuati sunt quocunque sensu, & quouis motu, amittunt motum respirationis, non respirant, qui tamen necessarius est ad uitam conseruandam, non merè naturalis, ut alibi dictum fuit à nobis, propterea in apoplexiam cadentes omnes moriuntur, & ferè nulli saluantur, imò si sit uera apoplexia sine ferè, & sine fortasse nullus redditur. Erat sententia Hippocr. in aph. illo secundæ particulæ 42. apoplexiam debilem soluere difficile, fortem impoßibile. Si enim difficile est eam, quæ non uera est, & parua soluere, quanto magis istam, in qua ut mortui manent? certe impoßibile, imò statim moriuntur. Audiuistis per compendium, & introductionem causas omnium harum affectionum, quæ ut puto sunt numero octo, somnus, cataphora, coma, lethargus, catocha, melancholia, epilepsia, & apoplexia. Dicit autem Hip. in textu, quod somni erant tenues, quia facile excitabatur à somno, cum sopore, non quod somnus ille esset similis sopori, sed quoniam sopor erat mistus cum sommo tenui. Si uolumus exprimere hoc ad unguem, erat potius κατάφορα, q̃ sopor, uidebitis quod postea fuit uerus sopor κῶμα in decima, nunc est inclinatio ad soporem, & uidetur uigilia

esse commista somno. OBMVTESCEBAT, urina tenuis, liquida. indicabat quod illa pugna, & ille conatus naturæ, qui uidebatur in principio octaui diei fuerat frustra, & quod natura iterum deiecta fuit in totum, ut nihil adhuc remaneat, nisi mori. Nam ex quo, somni erant cum sopore κατάφορα, obmutuit, & urina iterũ apparuit tenuis, transparens, ut in quinto die apparuit, quoniam desierat natura pugnare, neque transmittebat amplius materiam cum urina, exibat, sola serositas urinalis, ita nunc cum esset immunis à pugna natura, materia non agitabatur, non commiscebatur cum urina: & si natura pugnasset, ut uisum est per ea symptomata, quæ contigerunt, tamen obmutuit, & urina transparens, tenuis erat, natura amiserat pugnam, iterumq́; deiecta est, ita ut non posset amplius resurgere, amisit uocem, nihil loquebatur, nec uocem emittebat, extremum signum, quod esset prope mortem. NONO nihil mutabatur in nono die illa eadem permanebant, quæ fuerunt in fine. 8. quia urina tenuis transparens apparebat, & quia non poterat loqui, amittebat uocem: nihil ex his mutatum est, cito morietur, ita solet accidere, ut ante mortem ut plurimum obmutescant. DECIMA potum non sumebat. Aderat adhuc signum quod omnino in xi. erat moriturus, in primo die critico, in x. quid habuit? Audiatis, inquit quod in decimo non potuit sumere potum: dicit breuiter Hip. de potu intelligens de omnibus, quæ per os sumuntur, semper fuit amantissimus breuitatis, ut cum aliquid ad aliud consequitur, de illo nihil dicat, ex quo dignitatem acquisiuit in dicendo. Et

hoc possunt intelligere omnes periti medici, si potum non potuit deglutire, longe minus cibum deuorare, quia potus uidetur magis posse sumi, cum sit liquidus. Facilius enim est repleri potu, q̃ cibo dicit Hippoc. in secunda particula aph. xi. aph. erat statim moriturus, abnuebat nutrimentũ natura, properabat ad mortem. Non erat aliquid agendum, natura habebat silentium. SOPORE tenebatur, & somni tenues. ex καταφορα descendit modo in κῶμα, non uerus somnus, nec etiam sopor perfectus, & uenis. SIMILIA alui excrementa. Excrementa alui erant similia, quæ in octauo apparuerant tenuia multa, similia crudis. Videatis, iste modo moriturus iamiam excreuit multam copiam urinæ, magnam quantitatem, ut crassam ad fundum. MINXIT multum, quod subcrassum in mutella euadebat. si uidebitis, uel uidistis morituros, statim antequàm moriantur, imò etiam post mortem egerũt multa excrementa per secessum, & per os, urinam, & p alias partes, quandoque etiam sanguinem, quoniam relaxatis uijs, & ductibus excrementorum à frigiditate super ueniente morte materiæ exeunt, & currunt ad exitum suo impetu, non ab ullo expulsæ, cum habeant patefactum aditum: sicut aqua, quando est inclusa in aliquo ductu, uel alueo, quocunque fiat foramen, & patefiat aditus, impetu proprio naturali fluit, & exit alueum, quocunq; ducatur exitus: inde cum natura nihil ageret, mors super ueniret, & frigesceret, relaxati sunt ductus urinarij, & exiuerunt multæ urinæ crassæ cum sedimine. QVOD SVBSIDEBAT, erat simile farinæ craßioris, album.

Sedi-

Sedimen erat crassum, simile farinæ craßiori modo contusæ, ut farinæ pultaceæ, erat sicut puls. Sed quomodo potuit esse cum sedimine, si natura nihil agebat, non expellebat materiam cum urina. quidnam significabat, quoniam urina erant cum sedimine? obseruabat hoc Gal. in primo de crisi. cap. xii. dicens, quod est maligna urina talis cum sedimine farinæ pultaceæ, & malum indicatur, nimirum membra solida colliquari. in Sileno iam erant colliquata; quod fuerint colliquata à feruenti calore febris, uos audiuistis in octauo, et in alijs per symptomata, quæ uisa sunt, idq́; totum, quod fuit colliquatum, exibat nunc, ac si fuisset aqua crassa fluens ad locum depressum. Dixit deinde q̃d iterum extrema euaserunt frigida. EXTREMA membra iterum frigebant. Moriebatur, ideo frigescebat in extremis, quæ semper sunt prima refrigerata. xi. OBIIT. in xi. die mortuus est: cuius anima requiescit in pace, usque ad futuram hominum mortuorum resurrectionem. Addit symptomata, ut suus mos est, in fine, quæ fuerunt in toto morbo, & addit quidem ætatem, quam non addidit superius dicens, quod agebat. 20. annum, uel circiter, & arte idipsum addidit, ne miremini qnod in tam ualida ægritudine uixerit tot diebus, erat ætatis, florentis adolescentiæ, habuit semper anhelitum magnum, & tersum, pulsumq́; fortißimum usque ad finem: propterea quòd habebat uirtutem fortem, & magnam neceßitatem. idcirco addidit ætatem, quam non addidit in superiori: si uixit usque ad xi. fuit merito ætatis. Nam ratione ægritudinis, & symptomatum debebat mori etiam in quarto. in his esset

im-

immorandum, & loquendum de pulsibus, quia quod dicit Hippoc. de anhelitu id debemus intelligere de pulsu. Sed quia non habemus tempus, & dabitur melior occasio in alijs casibus, differam ad aliud tempus hoc examinare, & si non poßim in hoc explere, non propterea amittetis aliquid, legatis per uos literam, quæ sequitur, omnia sunt Ita clara, ut ea per uos ipsos percipere ad unguem posſitis.

FINIS.